


JO. LAURENTII BERTI,
FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI
THEOLOGI PRÆCLARISSIMI
LIBRORUM XXXVII.
DE
THEOLOGICIS DISCIPLINIS
ACCURATA SYNOPSIS,
QUAM
AD USUM SEMINARII AUXIMATIS
CONCINNAVIT,
Notis perpetuis, ac novis quibusdam Dissertationibus auxit, & in lucem nunc primum edit
F. HIERONYMUS MARIA BUZIUS,
AUGUSTINIANUS
In eodem Seminario Sacræ Theologiæ Professor.

ACCEDUNT
De Locis Theologicis Libri X.
qui in Auctore desiderantur.
TOMUS IV.
CONTINENS
DISSERTATIONES DE RELIQUIS NOVÆ LEGIS SACRAMENTIS.



Cum Privilegio S. Cæs. Majest. & Approbatione Superiorum.

BAMBERGÆ ET WIRCEBURGI,
APUD TOBIAM GOEBHARDT, BIBLIOPOLÆ UNIVERSITATIS A CELSISSIMO SPECIALITER PRIVILEGIATI. MDCCLXX.





DISPUTATIONES THEOLOGICÆ
DE
RELIQUIS NOVÆ LEGIS SACRAMENTIS.

JANUA Sacramentorum per baptiſma in libris ſuperioribus patefacta, reliqua novæ Legis myſteria ſedulo luſtranda ſunt, quibus nimirum ſacro fonte expiatis robur animi, & fortitudo per Confirmationem accedit, ut fidem in baptiſmo ſuſceptam Chriſti milites invicto animo profiteantur. Vivifico ac Divino cibo potuque refecti ad montem, qui Chriſtus eſt, alacriores aſcendunt. Lapſi renovantur per pœnitentiam. In agone certantes ſacro oleo delibuti, dæmonis frangunt inſidias & impetus. Qui vero in ſortem Domini delecti ſunt, rite, atque ordine ſacro miniſterio funguntur. Denique per Sacramentum Matrimonii viri ac mulieres individuam vitæ conſuetudinem legitime ineunt maritali connubio. Ex quibus omnibus quot quantaque Chriſti fidelibus ſolida emergant bona, vix arbitror hoc exiguo volumine comprehendi poſſe. Hoc autem non ſecus ac duo poſtrema, lubet partiri bifariam;

nimirum de Confirmatione, Euchariſtia ac Pœnitentia ſermo erit in prima parte; In altera vero de extrema Unctione, de Ordine, ac Matrimonio.

PARS PRIMA.

UBI DE CONFIRMATIONIS, EUCHARISTIÆ, AC POENITENTIÆ SACRAMENTIS DISPUTATUR.

TRIA iſthæc novæ legis Sacramenta totidem libris prima hujus voluminis parte complectimur: quorum prior, ſervato Auctoris Ordine XXXII. de Confirmationis myſterio verba faciet, alter vero, in eodem ordine XXXIII. de Euchariſtiæ Sacramento: poſtremus, ſive in laudato ordine XXXIV. de ſalutari Pœnitentia pertractabit.

LIBER XXXII.

De Confirmationis Sacramento.

ARDUAM provinciam aggredimur, cum de Confirmationis Sacramento ſuſcipimus tractationem, in qua aſſiduus labor, Eccleſiaſticorum rituum cognitio, ac exquiſita novæ & veteris diſciplinæ notitia requiritur. Ut itaque de re difficillima debito ordine diſſeramus, librum hunc tribus diſtinctis diſſertationibus complectemur: quarum prima erit de eſſentia atque exiſtentia Confirmationis. Altera de ejus miniſtro, ac ſubjecto. Poſtrema de effectibus, ritibusque breviter pertractabit.

DIS-

DISSERTATIO I.

De essentia atque existentia Sacramenti Confirmationis.

Agemus hoc loco de nomine, essentia, atque institutione Confirmationis, tum de ejus materia ac forma.

CAPUT I.

De nomine, essentia atque institutione Confirmationis.

NOT. I. definitur Confirmatio a Theologis: *Sacramentum novæ legis, quo baptizatis Spiritus S. robur confertur, ut Christianam fidem firmiter teneant & profiteantur.* Ubi tria priora verba stant loco generis, reliqua proprietatem & efficientiam designant. Sicut enim per baptisma in novam creaturam renovamur, ita per Confirmationem animi robore perficimur. Præter Confirmationis nomen, quod apud veteres passim occurrit, dicitur etiam *perfectio* seu *consummatio*, quia baptizatum perficit & confirmat, Dicitur etiam ab *unctione*: *Sacramentum chrismatis*, & *oleum sanctificatum*, ab August. A Græcis autem: *Unguentum, chrisma spiritale, sanctum, supercœleste.* A *charactere* dicitur *sigillum*, atque *signaculum* apud Eusebium. Denique *manus impositio* appellatur ab August. l. 3. de Bapt. a Rabano, Isidoro, aliisque. De his vocabulis, præter Estium, Poncium, Fervaquesium &c. exquisite pertractant Lindanus, Durantius & Molanus, quos laudat cl. Auctor.

Not. II. *Manus impositio* non semper *Sacramentalis* est, atque *confirmatoria*: nam sæpe adhibetur ad faciendum catechumenum, ad pellendos dæmones, ad sanandos ægros. Alia adhibetur in ordinum collatione, de qua alibi, alia in reconciliatione pœnitentium, aut receptione hæreticorum:

alia in baptizatorum Confirmatione. Pœnitentium autem quatuor olim erant gradus. 1. πρόσκλαυσις, seu *fletus*, cum pœnitentes extra portam templi consisterent; 2. ἀκρόασις *auditio*, cum intra portam starent cum catechumenis sacras Conciones audientes; 3. ὑπόπτωσις *substratio*, cum se substernerent, & illis episcopis manus imponerent; 4. σύστασις *consistentia*, dum orabant cum aliis fidelibus, postquam catechumeni abiissent. In tertio ergo gradu pœnitentibus manus imponebantur: quam impositionem non fuisse sacramentalem, ex eo constat, quod ii solum in quinto gradu, vel in exitu pœnitentiæ absolutionem perciperent. Eodem ritu hæreticos ad Catholicam venientes fuisse exceptos constat ex decreto Stephani Papæ; *A quacunque hæresi venerit ad nos . . . manus illi imponatur in pœnitentiam.* Quem quidem morem fuisse Occidentalis Ecclesiæ scribit Gregorius M. l. 11. Ep. 67.

In Orientali autem *unctionem chrismatis* invaluisse. Neutram vero fuisse *confirmatoriam* infra ostendemus. Per Sacramentalem manuum impositionem episcopus manum extendit supra confirmandorum capita, signat frontem, eisque largitur, vel potius *advocat & invitat Spiritum S.* ait Tertullianus de Bapt. Hunc enim non dant homines, sed orant, ut veniat in eos, quibus manus imponunt, ut de Christi discipulis docet S. P. A.

Not. III. Inter eos, qui Confirmationem ex Sacramentorum albo expunxere, recensent nonnulli, præter Arianos, Donatistas & Novatianos, etiam Valdenses, Wiclefistas atque Ruthenos, sed eos aut falli, aut in ambiguo versari pluribus demonstrat cl. Auctor. De Luthero autem, Calvino, eorumque asseclis explorata res est. Lutherus enim in l. de Captiv. Babyl. Confirmationem esse ait: *Ritum, seu ceremoniam Sacramentalem*, sed eam *Sacramentum* esse perfracte negat. Calvinus

autem

autem in Antidoto Conc. Trid. ſcribit, olei neminem veterum meminiſſe. Kemnitius 2. p. Exam. unctionem Chriſmatis e Montani ſchola prodiiſſe impudenter effutiit. His porro ſubſcripſere Beza, de Dominis, Dallæus, Magdeburgenſes, aliique.

Not. IV. Scripturarum auctoritate veritatem catholicam comprobari perſpicue demonſtrarunt Jodocus Raveſtein, Tapperus, Bellarminus, Eſtius: neque oppoſitum cenſet Scotus, quidquid ſcribat Tournelyus & Witaſſe: Scotus enim non de veritate Sacramenti diſputat, ſed de ejus inſtitutione, ut Maſtrius obſervat, atque hoc Sacramentum a Domino inſtitutum aſſerit: *Licet tempus & modus hujus inſtitutionis in Scriptura non legatur.* Diſſimulandum tamen non eſt, Jeremiam Patriarcham C. P. *Divini unguenti myſterium non extare in ſacris litteris* ſcripſiſſe in cenſura Confeſſ. Auguſtanæ, unde inferunt Lutherani, Confirmationem eſſe *adinventionem Eccleſiæ.* Contra quos ſit

PROPOSITIO I. Ex ſacris literis conſtat Confirmationem eſſe verum Sacramentum.

Prob. I. Act. 8. 14. habetur: quod *Petrus & Joannes imponebant manus ſuper illos,* qui *baptizati tantum erant in nomine Jeſu,* & *accipiebant Spiritum Sanctum.* Et cap. 19. *Cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus S. ſuper eos,* ſed ibi extat res ſenſibilis, id eſt manuum impoſitio, & inviſibilis gratia, id eſt virtus Spiritus Sancti: ergo eſt verum Sacramentum.

Inſt. I. Calvinus & Kemnitius, quibus noviſſime acceſſit Pictetus, in ea manuum impoſitione deeſſe *promiſſionem gratiæ,* ac mandatum. II. Fuiſſe ſingulare Apoſtolorum privilegium ea impoſitione gratiarum dona largiri, nunc enim nec dona linguarum, nec virtus ſignorum ab epiſcopis conferuntur. III. Spiritum S. ea impoſitione collatum fuiſſe dona linguarum &c. non gratiam ſanctitatis. IV. Eam impoſitionem fuiſſe oblationem, qua initiati Deo hac ceremonia conſecrarentur, non vero

Sacramentum. V. Addit Dallæus, nec oleum ibi esse, nec balsamum, nec verbum Sacramentorum formam: ergo &c.

℞. ad I. neg. ant. Ibi enim, nedum promissio, sed etiam collatio gratiæ exprimitur, ex qua etiam arguitur mandati impositio. Quis enim credat, ceremoniam absque magistri præscripto usurpatam, tam eximiam virtutem fuisse subsecutam. Ad II. neg. ant. Nam dona signorum &c. cuique fidelium ex Marc. ult. collata sunt, Apostolis autem & episcopis datum est baptizatos perficere, & signo sensibili largiri Spiritus S. virtutem. Hinc Philippus, *utpote discipulus*, ait Oecumenius in Act. pag. 77. *tantum baptizat, gratiam vero perficiunt Apostoli, quibus hujus doni concessa erat auctoritas. Quem morem*, addit S. P. l. 15. de Trin. c. 26. *in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Nec obstat, visibilia signa ex impositione manuum episcoporum, modo non consequi, illa enim infidelibus, non fidelibus data sunt. *Numquid modo quibus imponitur manus expectatur, ut linguis loquantur? Et cum videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis fuit, ut diceret, non acceperunt isti Spiritum sanctum?* Ad III. neg. ant. Constat enim ex dictis, baptizatos Spiritum S. accipere, tametsi linguis non loquantur: hæc enim etiam improbis, ex Matth. 7. aliquando conferuntur, in quibus non inhabitat Spiritus S.

Dices: sanctitas & gratia recipitur in ipso baptismate; ergo &c. ℞. dist. ant. Recipitur ad renascentiam & adoptionem, conc. ad robur & firmitudinem, neg. Sicut enim Apostoli justitia & gratiæ donis ornati S. Spiritus illapsu acceperunt *virtutem ex alto*, ex Luc. 24. ita recipiunt fideles, & visibili Sacramento eam conferunt eorum successores episcopi, quam illi singulari privilegio sine ullo signo receperant. Ad IV. neg. ant. Hanc enim oblationem potuisset Philippus excipere, quemadmodum baptisma contulit, nec ad id opus erat, ut

duo

duo Apoſtolorum diſcederent Jeroſolymis. Conſtat etiam baptiſma eſſe perſonarum initiationem, & oblationem; ſi ergo alia oblatio requiritur, hæc non regeneratorum eſt, ſed catechumenorum ad baptiſma accedentium. Ad V. infra erit ſermo, ubi de materia ac forma Confirmationis pertractabimus. Sat eſt in præſentia obſervare, in ea ſignum ſenſibile gratiæ, veramque Sacramenti rationem ex Act. Apoſt. perſpicue demonſtrari.

Inſt. II. Dallæus: Act. 8. ubi legit vulgata: *Nondum venerat* (Spiritus S.) habetur græce ἐπιπεπτωκὸς, ab ἐπιπίπτειν *irruere*, *illabi*, quod exprimit prophetici ſpiritus energiam, hinc Joel 2. 28. habetur: *Effundam de Spiritu meo, & prophetabunt filii veſtri.* II. Eum ſpiritum conferebant Apoſtoli, quem Simon expetiit, ſed is eum ſpiritum expetiit, *quo ſibi quæſtus occaſio fieret*, ait Oecumenius, donum nempe miraculorum, non robur animi; ergo &c. III. Apoſtoli *ſpiritum* dabant, quem Philippus dare non poterat, ſed is ſpiritum gratiæ ſanctificantis dare poterat, ut contulit Ananias ex Act. 9. ergo &c. IV. Act. 8. agi de adventu Spiritus S. per quandam ſenſibilem formam, quæ donum conferret linguarum &c. etiam Catholici docuere, Sanctius, Gagnæus, Menochius &c.

℞. ad I. Græcum ἐπιπίπτειν, nedum ſignificare *irruere & illabi*, ſed etiam *ſupervenire*; nam Ariſtoteles in 3. Animal. *ſupervenientes* vocat ἐπιπιπτόντας, unde habet Arabicus: *Accipietis robur per adventum Spiritus S.* merito ergo græcum ἐπιπεπτωκὸς latinus vertit: *venerat*, alii: *aderat*, *deſcenderat &c.* Non tamen negamus, Spiritum S. illapſum ſub viſibili forma, quæ inviſibilem gratiam oſtenderet, & prophetiæ, & miraculorum dona conferret. Ad II. neg. maj. Nam Simon *deſideravit iſtam, non gratiam, ſed potentiam, non*

unde liberaretur, sed unde extolleretur, ait S. P. in Ps. 30. Et Ps. 130. *Plus illum delectavit potentia Apostolorum, quam justitia Christianorum . . . Ubi vidit per manus impositionem dare Spiritum S. quia tunc per miraculum demonstrabatur adventus Spiritus S. . . . Cum ergo hoc videret Simon, voluit talis facere, non talis esse*, ubi potentia miraculorum a gratia perspicue distinguitur. Patres ergo, quando illam commendant, hanc non excludunt: idque Sanctius, Menochius, aliique docent. Ad III ℞. impositionem manuum factam per Ananiam non fuisse *confirmatoriam*, qualis describitur Act. 8. sed eandem cum illa, de qua Marc. ult. habetur: *Super ægros manus imponent &c.* Nam hæc baptismum Pauli præcessit, illa Samaritanorum baptismum subsecuta est; dum ergo ait Ananias: *Dominus misit me, ut videas & implearis Spiritu S.* significavit se missum fuisse, ut sanaret cæcum, & deinde illum baptizaret in remissionem peccatorum. Unde sequitur: *Visum recepit, & baptizatus est.* Prob. II. ex Ep. ad Ephes. 1. 13. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis S.* Et 2. Cor. 1. *Qui confirmat nos in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, ubi Apostolum loqui de charactere confirmationis alibi ostensum est. Vide Auctorem.

Propositio II. Idem ostenditur ex traditione.

Prob. I. ex summorum Pontificum auctoritate. Nam Cornelius apud Eusebium l. 6. H. E. c. 43. Novatiano exprobrat, quod *neque ab Episcopo consignatus est*, ubi non de baptismi ritibus loquitur Cornelius, tum quia non opus erat eos ab Episcopo perfici, tum quia Cornelius ait: *Hoc signaculo minime percepto, quomodo* (Novatianus) *Spiritum S. potuit recipere?* Adde græcum σφραγισθῆναι nullibi cerémeniarum complementum exprimere.

II. In-

II. Innocentius I. in Ep. ad Decent. c. 3. ait: *De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo fieri licere; nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus apicem non habent:* quod probat tum Ecclesiæ consuetudine, tum ex Act. Apost. auctoritate, sed ceremonialis unctio etiam presbyteris Silvestri ætate concessa est; ergo ibi agitur de confirmationis Sacramento, quod a solis confertur episcopis, ut ex sequentibus evincitur: *Nam bresbyteris,* inquit, *chrismate baptizatos ungere licet, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solum debetur episcopis, cum tradunt Spiritum S.*

III. S. Leo ait, vetitum chorepiscopis *chrismate baptizatorum frontem signare.* IV. Gregorius M. in ep. ad Jan. ait: *Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* Et Ep. 45. l. 10. mandat Clusino episcopo, *ut ii qui baptizantur inconsignati non debeant remanere.* V. Innocentius III. Cap. *Cum venisset* ait: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quia per eam Spiritus S. ad augmentum datur & robur: unde, cum cæteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarii sunt episcopi, quod per manus impositionem Spiritum S. dabant;* ergo &c.

Prob. II. ex definitionibus Conciliorum: I. enim Illiberitanum an. 315. celebratum Can. 38. statuit, baptizatum *in necessitate si supervixerit, ad episcopum perduci debere, ut per manus impositionem* (id est per confirmationem, ut pluribus ostendit Mendoza) *perfici possit.* II. Laodicenum an. 364. aut 367. celebratum can. 48. *Oportet,* inquit, *eos, qui illuminantur,* POST BAPTISMUM *inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes:* quibus verbis aperte refellitur Dallæus, qui hunc locum de baptizandis, aut de unctione catechumeni perperam accipit, hæc enim baptismum præcedit non sequitur. III. Arelatense III. anno 455. statuit, ut

chris-

chrisma, nonnisi ab ipso episcopo speretur: neophyti ab eodem confirmentur. IV. Florentinum an. 1439. in Decr. Arm. ait: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, & balsamo, forma, signo te &c.* V. Tridentinum anno 1547. statuit, ut: *Si quis dixerit Confirmationem otiosam ceremoniam esse, non verum & proprium Sacramentum, anathema sit*; ergo &c.

Prob. III. ex PP. I. Auctor Const. Ap. l. 3. de Bapt. 16. ait: *Postea episcopus baptizatos ungat chrismate.* Et c. 17. *Chrisma confirmatio est confessionis, ubi* τὸ μύρον, non *oleum simplicem* significat, ut insanit Dallæus, sed *unguentum*, quod a *sacro oleo* τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ perspicue secernitur. Dicitur autem: *Confirmatio confessionis*, ex ejus effectu. Nam ex Rituali Græc. p. 368. *Unguenti chrisma confirmat fidem.* II. Auctor Eccles. Hierarch. ait: *Ei qui regenerationis Sacramento initiatus est, consummans illa unctio divini Spiritus illapsum elargitur.*

III. Tertull. de bapt. c. 1. ait: *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina. Dehinc manus imponitur advocans Spiritum S. Sic in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit.* Ubi utraque Confirmationis materia chrisma, & impositio manus & ejus effectus exprimitur. IV. Clemens Alex. apud Euseb. l. 3. H. E. c. 23. de quodam episcopo, qui juvenem a Joanne Apostolo commendatum baptizaverat, ait: *Cum perfectam illi custodiam addidisset signaculum Domini*, sed hoc signaculum baptismo additum est Confirmatio, ut probat Menardus ex Ecloga vitæ Athanasii in Bibl. Photii cod. 258. ubi legitur: *Qui cum eos Christi signaculo confirmasset &c.* ergo &c.

V. S. Cyprianus Ep. 73. ad Jubai. postquam ostendit, a Philippo baptizatos non fuisse rebaptizatos, sed iis manu imposita ab Apostolis superinfusum Spiritum S. ait: *Quod nunc quoque apud nos geri-*

geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per manus impositionem Spiritum sanctum consequantur; & signaculo Dominico consummentur. VI. Cyrillus Jerosol. Catech. 3. *Vobis, postquam ex aquis S. lavacri ascendistis, datum est chrisma; hoc autem est Spiritus S. . . . Ut enim Salvator per baptismum, & S. Spiritus adventum devicit adversarium; sic & vos post sanctum baptisma, et chrisma mysticum induti armis S. Spiritus præliamini dicentes: omnia possum &c.* VII. Ambros. l. 2. de Sacr. c. 7. *Ergo mersisti,* ait, *venisti ad sacerdotem: quid tibi dixit? Deus,* inquit, *qui te regeneravit ex aqua & Spiritu S. ipse te ungat in vitam æternam.* Ubi *sacerdotem* S. D. appellat episcopum, ut ex sola lectione hujus libri manifestum est, in quo aliquando etiam legitur: *Summus sacerdos.* Fallitur ergo Dallæus, dum ait, loqui Ambrosium de unctione facta a presbytero; dumque consignationem illam inter baptismi ceremonias recenset: ait enim Ambrosius c. 2. *Sequitur spiritale signaculum, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus S. infunditur.*

VIII. S. Hieronymus 2. p. tom. 4. pag. 295 ait: *Baptizatos in Ecclesia, nisi per manus episcoporum, non accipere Spiritum S.* IX. S. P. A. l. 2. cont. lit. Petil. c. 104. ait: *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* X. Theodoretus in Cant. Tom. 1. p. 1002. ait: *Qui baptismate initiantur unguenti chrismate inuncti sub visibili unguenti specie invisibilem S. Spiritus gratiam suscipiunt,* ex quibus constat Ss. PP. in manus impositione, & chrismate, quo baptizati ab episcopis liniuntur, divinum signaculum, gratiæ typum, collationem virtutis, fidei confirmationem, ac donum Spiritus S. agnovisse; adeoque Confirmationem inter Ecclesiæ Sacramenta numerasse; ergo &c.

Prob.

Prob. IV. ex Ecclesiarum consensu; nam Romana, Africana, Græca, Æthiopica, Copta, aliæque Orientales & Occidentales, imo plerique Novatorum conventus nobiscum sentiunt, qui sane non possunt ullum producere, qui primus hoc Sacramentum invexerit: sed ex Augustini regula, quod universa tenet Ecclesia, nonnisi ab Apostolis creditur derivatum. *Constat* enim, ait Tertull. de Præscr. 21. *Omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit*; ergo &c.

Ob. I. In scripturis a catholicis productis de dono linguarum sermo est, sed hoc cessavit; ergo Confirmatio tunc est inutilis ceremonia. II. Nulla ibi chrismatis fit mentio; ergo &c. III. Ex PP. alii Confirmationem describunt ut ceremoniam baptismi, ajunt enim neophytos statim post lavacrum inungi, atque huic unctioni tribuunt effectus baptismi, gratiam, animæ signaculum, Spiritum sanctitatis, alii, ut Justinus, Athenagoras, Tatianus de Confirm. ne verbum quidem. Alii errarunt, ut Tertullianus, qui ad Montanistas, Cyprianus, qui ad Anabaptismum prolapsus est. IV. Perperam Areopagitæ, Clementi & Ambrosio tribuuntur opera de Hierarch. Eccl. Constitutiones Apostolicæ, & libri de Sacramentis: ergo &c.

V. Hoc Sacramentum expunxere, præter Novatianos, Albigenses, Valdenses, Hussitas &c. Ecclesia Græca, Æthiopica, Armenica; ergo &c. VI. Nec Theologi conveniunt, quorum aliqui institutam scribunt confirmationem ab Apostolis, alii in Concilio Meldensi: imo de materia etiam & forma disputant. VII. Derogat Confirmatio efficaciæ baptismi, cui adimit Spiritum S. quem sibi vindicat, ex quo sequitur illam esse baptismo præstantiorem: cumque in baptismo conferatur Spiritus Sancti gratia &c. sequitur Confirmationem esse penitus supervacaneam.

℟. Vi-

℞. Visibilem illapsum Spiritus S. argumentum fuisse virtutis baptizatos corroborantis, ac ubique disseminandi Evangelium ; ideoque cessavit, dum Evangelium undique diffusum non egebat ulterius approbatione miraculorum : descendente deinceps Spiritu S. absque aspectabili forma *per sacrosancta signatula*, ut ait S. P. Tract. 6. in Jo. non est ergo manus impositio inutilis, sed efficax & gratiæ effectrix. Alioquin etiam baptismus inutilis esset, quia nunc Spiritus S. visibili forma, ut olim, non descendit. Ad II. erit infra responsio.

Ad III. neg. I. Partem ant. Patres enim Confirmationi vim tribuunt gratiam conferendi, & inter visibilia signacula sacrosanctam appellat Augustinus; non ergo inter ritus, & variabiles ceremonias confirmatio referri debet, licet statim post baptisma olim neophyti confirmarentur. Nam iis etiam Eucharistia statim porrigebatur, quæ sane non est baptismi ritus : nec statim omnes confirmabantur ; nam baptizati a Philippo, nonnisi post adventum Petri & Joannis confirmati sunt. De Justino alibi dictum est. Tatianus vero & Athenagoras pro Christianis adornarunt apologias, nec ethnicis exposuere fidei mysteria. Confirmationis tamen meminere ex majorum traditione Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, qui hac in parte a nemine improbantur. Nec Tertullianus ad Montanistas defecerat, cum scripsit librum de baptismo, ut probant Alex. Dupinius, Caveus : Cyprianus vero non negat Confirmationem, ex quo eam non secus ac baptisma, tradiderit repetendam, sed adstruit.

Ad IV. neg. conseq. Nam Constitutiones Apostolicæ, & libri de Hierarchia saltem quartum sæculum præcessere ; ex iis ergo constat, ante quintum sæculum Confirmationem ab omnibus probatam fuisse, cum nemo eam in iis scriptis, alias plurimum exagitatis, hoc aliquando improbaverit. Liber vero de Mysteriis perperam a Bullingero, Coco & Dallæo abjudicatur Ambrosio, ut ostendunt

dunt Maurini. Ad V. neg. conſ. Non enim Eccleſiæ quædam a nobis, aut ſchiſmate aut hæreſi ſejunctæ, conſulendæ ſunt, *ſed in Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus & originalibus* doctrina catholica ex Tertulliano inveſtiganda eſt. Ad VI. ſequenti cap. erit reſp. Ad VII. neg. ant. Nam *in baptiſmo*, ut obſervat Petrus Damianus Serm. 1. Dedic. Eccl. *Spiritus S. datur ad veniam, hic ad pugnam, ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur.* Porro, ſi derogaret baptiſmo Sacramentum, quod confert novam gratiæ perfectionem, nec Euchariſtia eſſet recipienda; ſi hæc nutrit, Confirmatio addit vires.

CAPUT II.

De inſtitutione Sacramenti Confirmationis.

NOT. I. Hoc Sacramentum a Chriſto *immediate* inſtitutum ex Trid. Synodo can. 1. ſeſſ. 7; non autem in Melden. Synodo, ut quidam ſunt opinati, videtur omnino exploratum; hæc enim anno 845 celebrata eſt, cum nempe de hoc Sacramento plurimi pertractaſſent; atque inter 80. Canones Meldenſis Synodi de hac inſtitutione ne verbum quidem. Falluntur etiam qui Confirmationem ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe opinantur, nam ex Vavrenſi Concilio c. 2. de fide: *Sacramenta inſtituere competit ſoli Chriſto, qui ſolus poteſtatem excellentiæ ſibi retinuit, poteſtatem miniſterii Apoſtolis dedit. Omnia ergo Sacramenta Chriſtus per ſe immediate inſtituit, aliqua tamen, præcipue Confirmationem & extremam unctionem, per Apoſtolos promulgavit.*

Not. II. De tempore hujusce inſtitutionis non conveniunt Theologi, idque a ſe ignorari ingenue fatetur Fervaques & Vanroy, ex quo nil certi ex ſcripturis, ex PP. aut ex Conciliis affulgeat.

Noſtram

Noſtram vero ſententiam declarabit, quæ mox ſequitur.

Propositio I. Probabilius eſt inſtitutam fuiſſe Confirmationem poſt Chriſti reſurrectionem.

Ita Eſtius, Merbeſius, Vitaſſe, Suarez, Henriquez, Faber, aliique. Prob. I. Chriſtus enim Confirmationem inſtituit, cum promiſit Apoſtolis virtutem Spiritus S. cum iis poteſtatem contulit in myſticum Chriſti corpus, pluraque iis revelavit myſteria, ſed hæc præſtitit poſt ſuam reſurrectionem; ergo &c. I. conſtat ex Luc. 24. & Act. 1. II. ex Jo. 20. 22. III. ex ſerm. 1. de Aſcenſ. S. Leonis Papæ dicentis: *Magna in eis, diebus, confirmata Sacramenta, magna ſunt revelata myſteria;* ergo &c. Idque præſertim cum aliud hujus inſtitutionis tempus nequeat congrua ratione aſſignari. ℞. aliqui apud Poncium, inſtitutam Confirmationem, cum Dominus Matth. 19. parvulis manus impoſuit. Sed falluntur: non enim omnis manuum impoſitio confirmatoria eſt; nec decebat aliquem confirmari ante Apoſtolos, & Spiritus S. adventum; fuit ergo ea manus impoſitio uſitata apud Hebræos benedictio, unde Chryſoſtomus ait, eos Chriſto oblatos fuiſſe: *Ut benedicerentur contactu manuum Salvatoris.*

℞. II. alii: Confirmationem inſtitutam, cum Chriſtus ait Jo. 16. *Si abiero, mittam eum* (paraclitum) *ad vos.* Sed contra eſt: ibi enim extat ſola promiſſio gratiæ, unde ait S. Thomas q. 72. a. 1. Chriſtum tunc inſtituiſſe hoc Sacramentum, *non exhibendo, ſed promittendo.* Promiſſio autem non ſufficit ad inſtitutionem, hæc enim una eſt, illa multiplex, eaque Joel. c. 2. reperitur.

℞. III. alii, Confirmationem inſtitutam in ultima cœna, in qua, ex Fabiani epiſtola 2. c. 1. legitur: *Jeſus poſtquam cœnavit . . . chriſma conficere docuit.* Verum epiſtola illa ſpuria eſt, neque in ea aliud apparet, niſi chriſmatis confectio & conſecratio, non vero Sacramenti inſtitutio. Vide auctorem.

℞. IV. nonnulli: hanc inſtitutionem referendam ad diem Pentecoſtes: ſed immerito: I. quia tunc Apoſtoli non viſibili ſigno, ſed ſingulari miraculo receperunt Spiritum S. II. quia tunc apparuit potius confirmationis effectus, quam inſtitutio. III. quia decuit Sacramenta, quæ ſunt redemptionis noſtræ pars maxima, a Chriſto inſtitui debuiſſe, priusquam ipſe cœlum conſcenderet.

OPPONES I. Cum Chriſtus Jo. 20. 22. ait: *Accipite Spiritum S. &c.* dedit Apoſtolis poteſtatem abſolvendi a peccatis, non conſignandi neophytos; ergo ex hoc loco nihil evincitur. II. Concilium Senonen. ann. 1528. contra Lutherum ait, hoc Sacramentum a Chriſto inſtitutum: *Cum parvulis manus imponeret*; ergo &c. ℞. ad I. neg. conſ. Præmiſerat enim Chriſtus ea verba: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ut pateat, collatam Apoſtolis poſt reſurrectionem Chriſti plenam epiſcopalis muneris poteſtatem, cujus tamen argumentum eſt illa retinendi, abſolvendique peccata facultas. Ad II. ℞. I. eo argumento etiam premi, qui Confirmationem inſtitutam fuiſſe arbitrantur, aut in die Pentecoſtes, aut in ultima cœna. ℞. II. Syn. Senon. accipiendam de quadam deſignatione vel ſymbolo, quo adumbrata eſt Confirmatio, non de vero & proprio Sacramento.

CAPUT III.

De materia eſſentiali Confirmationis.

Hujus Sacramenti materiam eſſentialem eſſe ſive manus impoſitionem, ſive chriſma, ſive utrumque docent Theologi omnes contra Lutherum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum &c. In ſola impoſitione manuum eam ſtatuunt Aureolus, Habert, Sirmondus, l'Herminier, fatentur tamen unctionem eſſe antiquiſſimam, nec omittendam. Poncius, Fervaqueſius, Vanroy, aliique noſtrates, nec

non

non Bellarminus, Maldonatus, Arcudius &c. eam ponunt in chrifmate. Alii in alterutro, nempe vel in impofitione manus, vel chrifmate, alii in utroque. Ita Merbefius, Alexander, Juenin, Habert, Tournely, Vitaffe &c. ab auctore laudati. Sit itaque

Propositio I. Mânus impofitio eft materia effentialis Confirmationis.

Prob. Materia effentialis Sacramentorum eft res fenfibilis, quæ ex infti utione Chrifti gratiam confert, fed talis eft manus impofitio in Confirmatione; ergo &c. Prob. min. Apoftoli enim per illam dabant Spiritum S. ideft non folum donum linguarum, fed virtutem fupervenientem, qua fideles munirentur ad pugnam, ut c. 1. dictum eft. Porro non folum Apoftoli, fed alii etiam epifcopi hanc *impofitionem* adhibuere, ut docent I. Latini PP. ut Cyprianus in ep. 73. ad Jub. *Nunc quoque geritur, ut qui baptizantur præpofitis Ecclefiæ offerantur, & Spiritum S. confequantur.* Hieronymus contra Lucif. ait: *Baptizatus, nifi per manus epifcopi, non accipit Spiritum S.* Auguftinus l. 15. de Trin. c. 26. ait: *Quem morem etiam nunc fervat Ecclefia.* Idem evincitur ex Innôcentio III. Tertulliano, Eufebio Gallicano epifcopo, Primafio, Gregorio Magno, Ifidoro, aliisque. II. Idem ftatuunt Conc. Illiberitanum, Arelatenfe, Colonienfe, Moguntinum, Rhemenfe, quæ omnia uno ore docent, baptizatos ab epifcopo perfici per manus impofitionem.

III. Conveniunt Græci PP. ex quibus perperam contendit Morinus oftendere, Græcos folum chrifma, non vero manus impofitionem adhibuiffe. Nam Firmilianus Ep. 75. inter Cypr. pag. 304. Epifcopis tribuit *baptizandi, manum imponendi* (id eft confirmandi) *& ordinandi poteftatem.* Chryfoftomus hom. 13. in Act. Ap. p. 580. manuum impofitionem peculiarem fuiffe ait Apoftolorum munus: *Unde, ait, præcipuos, & non alios, videmus hoc facere.* Theodoretus in Ep. ad Hebr. c. 6. de cre-

dentibus ait: *Accedunt ad baptiſmum, & per manum ſacratam accipiunt gratiam Spiritus S.* ubi Theodoretus huic manuum impoſitioni Spiritum S. adſcribit; ergo non loquitur de ea impoſitione, quæ præcedit baptiſma, vel de ritu acceſſorio, ut cenſet Morinus, ſed de ea quæ ſubſequitur, & de *materia* Sacramentali. Oecumenius etiam Comment. in eand. Epiſt. p. 354. ait, a Paulo vocari *principium baptiſma, & manuum impoſitionem, & ſignaculum, quæ in eo ſunt;* ſicut ergo *ſignaculum*, ita manuum impoſitio baptiſma ſubſequitur, licet ex veteri conſuetudine ſimul cum baptiſmate conferretur.

Quod clarius exprimit inſertus Oecumenio Gennadius pag. 355. ſcribens: *Vult autem Paulus, ut credentes baptizentur, baptizati autem ſeipſos ſubjiciant impoſitioni manuum ſacerdotum ad participationem ſpiritus.* Ubi *de impoſitione ſacramentali* ſubſequente, non de ceremoniali & præcedente baptiſma ſermo eſt. Simeon Theſſal. Tom. 22. Bibl. PP. pag. 768. ait: Deum gratiam impertiri regeneratis, *per manuum impoſitionem, & inſufflationem unguenti.* Tandem Michael Palæologus Imp anno 1274. in ſua fidei profeſſione ait: *Sacramentum Confirmationis, per manuum impoſitionem epiſcopi conferunt chriſmando renatos.* Unde ſic arguitur: ea eſt *eſſentialis materia*, ſaltem inadæquata, Confirmationis, quam agnovere per duodecim Eccleſiæ ſæcula Græci & Latini PP. ſed hi agnovere manuum impoſitionem, ut eſſentialem materiam; ergo &c.

Propositio II. Etiam unctio eſt Confirmationis eſſentialis materia.

Prob. I. ex Rom. Pont. Innocentius I. ait, ſolos epiſcopos *frontem ex oleo ſignare, cum tradunt ſpiritum paracletum.* Idem docet S. Leo Ep. 88 & ſerm. 4. *Chriſma ſalutis vocat, & ſignaculum vitæ æternæ.* Innoc. III. Cap. *Cum veniſſet* ait: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur,*

tur, quæ dicitur Confirmatio. Prob. II ex latinis PP. Tertullianus de bapt. c. 7. *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione.* Cyprianus Ep. ad Numidas : *Ungi necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate habere gratiam Christi possit.* Ambrosius ad ea scripturæ loca, ubi unguentum memoratur, ait : *Omnes in regnum Dei, & in sacerdotium ungimur gratia spiritali.* S. P. A. in Ps. 26. ait : *Ungimur modo in Sacramento, & ipso præfiguratur quod futuri sumus.* Eadem habet Theodulphus de Ord. Bapt. ergo &c.

Prob. III. ex Græcis PP. Dionysio, Irenæo, Cyrillo Jerosf. Theodoreto &c. quos c. 1. laudavimus. His adde Cyrillum Alex. in Joel : *Data est nobis aqua vivens sacri baptismatis . . . Accessit usus olei, qui per baptismum justificatis ad consummationem conferret.* Prob. IV. ex Conciliis. Florentinum in Decr. unionis ait : *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma ex oleo & balsamo.* Tridentinum sess. 7. *anathema* dicit iis, *qui sacro Confirmationis chrismati virtutem denegant.* Synodus Bituricen. can. 2. ait : *Nemo dicat chrismatis confectionem ab alio, quam a Christo institutam esse.* Unde sic arguitur: Concilia, ac PP. appellant S. chrisma signaculum salutis, justitiæ consummationem, qua gratiam consequimur, ergo est *materia* essentialis Confirmationis.

Propositio : *Materia adæquata* Confirmationis in impositione manus & chrismate statui debet.

Prob. I. Utrique enim PP. tribuunt gratiæ effectum, & quidam ex iis utriusque meminere. Nam Tertullianus de Resurr. c. 8. ait : *Caro ungitur ut anima consecretur ; caro manus impositione adumbratur, ut anima illuminetur.* Cyprianus in ep. ad Jub. ait : *Baptizatos per manus impositionem Spiritum S. consequi, & signaculo dominico consummari*, id est chrismate, quo crucis signo frons illinitur. Adde Isidorum, Amalarium, Strabonem &c.

II. Accedit ratio theol. Habetur enim tam in chrismate, quam in manus impositione una cum institutione divina vis quædam significandi gratiam, quæ per Confirmationem confertur; ergo &c. Relucet institutio Christi in manus impositione, & nonnisi temere asseritur, Apostolos sine Christi mandato externo hoc signo usos esse. Relucet etiam in usu chrismatis, eo enim neophytos confirmant Ecclesiæ omnes *Matrices & Apostolicæ* ex definitione Synodi Bituricen. sed ex Tertulliano id, in quo Ecclesiæ ipsæ conspirant, Christus tradidit; ergo &c. Est etiam in impositione manuum symbolum gratiæ, qua præmunimur ad pugnam: nam in scripturis manum imponere est regere, & opem ferre ex Ps. 88. 22. & Is. 51. 16. Oleum quoque gratiæ & fortitudinis typus est, unde olim athletas perunctos in signum fortitudinis testatur Isidorus; ergo &c. Vide Menardum not. 334. in Sacram. Greg.

Ob. I. contra 1. Prop. Ecclesia probat Confirmationem Græcorum, qui chrisma adhibent absque impositione manus; ergo &c. Prob. ant. I. ex Euchologiis Græcorum, ubi de ea impositione ne verbum quidem. Item ex Simeone Thessal. ex Cabasila, Dionysio, Cyrillo Hieros. Damasceno aliisque cit. Prob. II. qui Confirmationem appellant, μύρον, σφραγῖδα, *unguentum, signaculum &c.* numquam vero χειροθεσίαν, *manus impositionem.* II. Eugenius IV. in Decr. Arm. ait: *Loco manus impositionis datur Confirmatio*, & Innocentius III. in cap. *Cum venisset* ait: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur.* Synodus Moguntina c. 18 ait: *Hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione, mox unctione cœpit conferri;* ergo &c. III. S. Thomas, aliique pro materia Confirmationis assignant *chrisma;* nec manus impositionem commemorant; ergo &c.

℞. dist. ant. Græci adhibent chrisma, nec manus impositionem excludunt, conc. & excludunt, neg. Nam Auctor Constit. Apost. quem laudat Morinus l. 3. c. 15. ait : *In manus impositione caput ipsius unget episcopus :* quem locum non recte interpretatur Morinus de baptizandis, queis ab episcopo manus imponebatur; nam ibi describitur baptismus mulierum, quarum frontem ante baptismum ungebat diaconus, non episcopus. Simeon quoque Thess. in lib. de Templo de episcopo neophytos confirmante ait : *Per manuum impositionem & inspirationem unguenti gratiam infert.* Hinc Goarius ait : *Simeonem Theologorum nostrorum mentem, ubi manuum impositionem cum unctione confundunt, fuisse sequutum.* Idem evincitur ex Eugenio IV. & Innocentio III. in ipsa ergo unctione manus impositio comprehenditur.

Ad II. neg. cons. Si enim episcopi neophytum consignantes manu tangunt & ungunt ; est ergo una cum frontis chrismatione manus impositio; neque Eugenius aut Innocentius ait, chrisma inductum sublata manus impositione, sed hujus loco dari *Confirmationem*, non chrismationem, & sensus est, appellari modo *Confirmationem*, quod Apostolorum ævo dicebatur *manus impositio.* Idem est sensus Innocentii. Nam ibi probat spectare ad episcopum chrismationem frontis : *quia de solis Apostolis legitur, quod per manus impositionem Spiritum S. dabant ;* ergo &c. Et Moguntina Synodus ait, etiamnum *per manus episcoporum tradi fidelibus Spiritum S. per manus impositionem ;* ergo &c. Hanc vero etiamnum adhiberi dici potest, quia episcopus, antequam consignet baptizatos, recitat orationem, *levata manu super capita omnium,* ex Sacram. Greg. tom. 3. p. 73. Ad III. dist. ant. Assignat chrisma, & *impositionem* supponit, conc. & excludit, neg. Nam S. D. Lect. 1. in c. 6. ep. ad Hebr. agnoscit : *Impositionem manus Sacramentalem,*

talem, qua in Confirmatione datur Spiritus Sanctus ad robur.

Ob. II. contra 2. Prop. Unctio chrismatis spectat ad mundi elementa, de quibus ait Ap. ad Coloss. 2. *Mortui estis ab elementis hujus mundi*; ergo &c. II. Tertullianus de Bapt ait, nos ungi, *ex pristina disciplina*. Dionysius de Eccles. Hier. hunc morem derivat ex athlethicis unctionibus, & Basilius de Spiritu S. ait: *In nullo scripto nos habere chrisma*; hoc ergo non *est materia essentialis*, nec a Christo institutum. III. S. Lucas in Act. Ap. non meminit chrismatis, sed solam *impositionem manus* & orationem commemorat; ergo &c. IV. Moguntina, ac Bituricen. Synodus, Eugenius IV. Innocentius III. & D. Thomas initio traditam fuisse ajunt sola *impositione manus*; ergo &c. Nam essentialis materia a Christo præscripta non posset ab Apostolis prætermitti. V. In Can. 2. Arausic. Synodi habetur: *Inter quoslibet chrismatis ipsius, nonnisi una benedictio est, non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*; hæc ergo est pura ceremonia, non *materia essentialis*. VI. Ex oppositis argumentis solum evincitur *chrisma* esse materiam *integrantem*, non necessariam; ergo &c. Prob. ant. Nam Eugenius IV. pro materia calicis assignavit *vinum & aquam*: pro Ordine id, *per cujus traditionem confertur Ordo*, & tamen aqua & instrumenta non sunt essentialis materia calicis aut Ordinis; ergo a pari. VII. Tandem chrismatio non semper, nec eodem modo obtinuit. Nam unctio prius *impositioni manuum* præmittebatur: postea fiebat a presbytero, nunc ab episcopo: olim una, nunc duplex est; ergo &c.

℞. ad I. neg. ant. Apostolus enim vocat *Elementa mundi* Judaicos ritus, utpote carnales, umbrasque futurorum, non gratiæ effectivos; ab his ergo, utpote abrogatis, monet Apostolus, ut Colossenses abstineant: sed tales non sunt res sensibiles Sacramentorum a Christo institutæ, veterum

anti-

antitypi, & gratiarum fontes. Alias, nedum chrisma, sed etiam aqua baptismi, panis, & vinum Eucharisticum, & quidquid elementare est, erit explodendum, sed hæc probat Calvinus, & *quatenus verbo Dei sanctificantur sacramenta esse* ait l. 4. Inst. §. 4. ergo & illa probare debet. Ad II. neg. cons. Non enim ait Tertullianus unctionem pertinere ad disciplinam, sed nos ungi *ex pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant,* significans chrisma præsignatum in oleo, *quo Aaron unctus est.* Basilius vero docet *chrisma*, licet *e verbo scripto non probetur,* probari tamen *e verbo tradito.* Dionysius, unctionem illam *illapsum divini spiritus elargiri* testatur: *debellare mortis imperium*: & adhiberi *pro libertate & victoria*; utitur ergo S. D. pugilum exemplo, ut significet chrismatis usum *ad spiritalia certamina.* Nam ibi ait, se *mystice* loqui. Adde, profanos ritus ex Sacramentis, Ecclesiæ non vicissim, ortos esse: & *dæmonem æmulatorem Sacramentorum signare in fronte milites suos*, ut ait Tertullianus de Præscr.

Ad III. neg. cons. Non enim omnia dogmata ex scripturis, sed plura accepimus ex traditione. Numquid Apostoli non baptizarunt in nomine Trinitatis, quia id Lucas non expressit? Numquid de sola fide Philippus rogavit Eunuchum? Num de sola fide, non de præceptis baptizandos monuerunt Apostoli, quia hanc solam expressit Lucas? *Si ergo scriptura tacuit, & intelligenda dimisit cætera, quæ, licet taceantur in scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda*, ait S. P. l. de Fide & Oper. c. 9. Adde, Lucam nomine impositionis manuum intellexisse etiam unctionem: sicut Patres, qui hanc expresse tradunt, illam solam sæpe commemorant. Tandem ex argumento negante nihil concluditur. Ad IV. dist. ant. Ad tempus, & quando Spiritus S. visibiliter descendebat, conc. perpetuo, & communiter, neg. *Non enim erat necessaria sensibilis materia Sacramentalis, ubi sensibilia*

ſigna miraculoſe exhibebantur, ait S. Thom. q. 72. a. 2. ad 1. Cæterum Apoſtolos, ait, uſos *communiter chriſmate , quando viſibilia ſigna non exhibebantur*. Idem ſentit Bituricenſis , & Moguntina Synodus. Illa enim definit : *Chriſmatis confectionem , non ab alio , quam a Chriſto, inſtitutam eſſe : oleumque pro igne viſibili ex Apoſtolica traditione ad confirmandum adhiberi.*

Ad V. neg. conſ. Ibi enim de unctione in vertice, ſeu de ceremonia baptiſmi, non de chriſmate in fronte, ſeu de Sacramento Confirmationis ſermo eſt. Nam Innocentius I. jam ab anno 416. ſtatuerat, ne presbyter baptizans ſignaret frontem chriſmate, ſed ungeret tantum in vertice ; ergo in laudato Canone ſtatuitur, ut ſi prætermiſſa ſit unctio chriſmatis in baptiſmo commoneatur *ſacerdos*, ideſt epiſcopus, ut ante Confirmationem ſuppleatur ceremonia neglecta , ideſt unctio verticis. Unde, ſi legas cum Petro Aurelio : *Ut neceſſaria habeatur chriſmatio*, ſenſus erit, ut ſuppleatur ritus omiſſus, & ſi legas ; *Ut non neceſſaria &c.* ſenſus eſt, nullum præjudicium afferri, ſi omittatur unctio verticis, cum ſuppleri poſſit per unctionem confirmatoriam factam in fronte ab epiſcopo. Vide Auctorem.

Ad VI. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Nam Eugenius IV. ait, materiam Euchariſtiæ eſſe panem & vinum ; *cui aqua modiciſſima admiſceri debet*, ſed non ait, eam pertinere ad eſſentiam materiæ. Quoad Ordinem commemorat quidem inſtrumenta, tamquam ſymbola munerum ab initiatis exercendorum, ſed agens de Confirmatione laudat chriſma, ut ſymbolum gratiæ &c. Ad ult. neg. ant. Diverſa eſt enim unctio verticalis ab unctione frontis, eaque a Sylveſtro presbyteris permiſſa, hæc ab Innocentio vetita eſt. Sed hac de re, tum de tempore Confirmationis , infra erit ſermo.

Quæres. An de fide ſit, unctionem ſpectare ad hujus Sacramenti eſſentiam ? ℞. affirmative Suarez,

rez, Valentia, Sylvius, Maſtrius, Gavardi, aliique. Negant tamen Habert, aliique permulti, qui ajunt, Eugenii decretum datum eſſe Florentina Synodo jam diſſoluta, & *de materia integrali, non de eſſentiali* accipiendum: Tridentinam vero non definire, an virtus, quam chriſmati tribuit, ſit ex divina inſtitutione, an ex benedictione, ut ſit in Sacramentalibus.

Sed fallitur Habert, l'Herminier & Witaſſe, qui has reſponſiones probant. Falſum eſt enim, quod ait l'Herminier: *Quando Armeni Florentiam advenere, jam diſſolutum fuiſſe Concilium*; nam Decretum Eugenii *cum promulgatum Florentiæ ponatur in publica ſeſſione ſynodali anno* 1439. *pontificatus Eugenii anno* 9. *inde percipies, non una cum Græcorum diſceſſu diſſipatam eſſe Synodum Florentinam, ſed continuatam a PP. Latinis.* Hæc Spondanus & Pallavicinus ab Herminierio laudati Quod etiam probatur ex autographis ſervatis in arce S. Angeli, de quibus Pallavicinus, Card. a Monte, & Raynaldus. Tridentinum vero eam chriſmati virtutem tribuere videtur, quam negant hæretici, nempe producendi gratiam ſpiritalem. Unde infertur, hanc ſententiam non poſſe ſine temeritatis nota refelli.

Quæres I. An ad compoſitionem chriſmatis ſufficiat aliquando oleum ex amygdalis, nucibus &c. ℞. neceſſarium eſſe oleum olivarum, quod proprie *oleum* dicitur a PP. & Conciliis, & eſt in uſu communi, alia vero *olea* nonniſi hujus defectu. Adde analogiam *olei* cum dono Spiritus S. nam oliva ſemper virens Dei gratiam & miſericordiam ſignificat, ut ait D. Thomas. Accedit, *oleum* ab *olea*, ἔλαιον ab ἐλάια, ideſt ab *oliva* arbore derivari; ergo &c. Deinde Græca & Latina Eccleſia in chriſmate ſemper adhibuit oleum olivarum, ut conſtat ex Pontificali ab Haberto illuſtrato, & ex hymno, quod canitur Fer. 5. in chriſmatis conſecratione. Tertullia-

tullianus etiam de Bapt. c. 7. comparat hoc oleum illi, quo olim ungebantur ſacerdotes & reges: ſed hoc erat *oleum ex olivetis* ex c. 30. Exodi; ergo &c.

Quæres II. An ſimplex oleum absque balſami mixtione ſit materia ſufficiens hujus Sacramenti? ℞. negative, & prob. I. ex Ordine & ex Pontificali Rom. ex Amalario, Albino, Innocentio III. Eugenio IV. qui olei ſimul & balſami meminere. II. PP. materiam Confirmationis aut *chriſma*, aut *unguentum* dixere. Chriſma vero ex oleo, & fragrantis alicujus materiæ mixtione confici pluribus demonſtrat noſter Scachius Myrothec. 2. c. 1. III. Concilium Carthag. II. Can. 3. & Carth. III. can. 36. idem decernunt, dum vetant presbyteris *conficere chriſma*. Unguentum pariter eſt diverſorum odorum commixtio, hinc *mixtum oleo balſamum* legimus in Serm. de Unct. Domini inter opera Cypriani. IV. Conſentiunt Græci PP. Irenæus de Gnoſticis æmulantibus mores catholicorum ait, ab iis baptizatos *balſamo* inungi. Auctor Conſt. Apoſt. & Cyrillus Jeroſ. ab oleo diſtinguunt *chriſma* & *unguentum*. Et auctor Eccl. Hierarch. unguentum vocat *Collectionem bene ſpirantium materiarum*, quarum 33. ſpecies, præter vinum & oleum, addunt Græci, de quibus auctorem conſule. Harum plurimas prætermittunt Latini, ſed debet quisque Eccleſiæ ſuæ ſervare conſuetudinem.

Quæres III. An balſamum permiſceri debeat *neceſſitate Sacramenti*, an præcepti? ℞. binas eſſe ea de re DD. ſententias. Soto, Cajetanus, Eſtius, Valentia, Juenin, Tournely &c. id neceſſarium putant ſola neceſſitate præcepti, quod probant I. quia perrarum eſt, Plinio teſte, verum balſamum. II. Quia Sacramentorum materia debet eſſe communis & cognitu facilis, verum autem balſamum & pretioſum eſt, & numquam in Italiam defertur. III. Fertur Pium IV. & Paulum V. conceſſiſſe Indiarum epiſcopis ut balſamo Indico, quod adulterinum eſt,

eſt, confirmarent. IV. Innocentius III. cap. *Paſtoralis* Extra de Sacram: negat iterandam Confirmationem in eo, qui *per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat omiſſum;* ergo &c. V. PP. agentes de hoc Sacramento olei, aut unctionis meminere, non balſami; ergo &c. Alii cum D. Thoma, Goneto, Sylvio, Maſtrio, Puteano, Poncio, Vanroy, Piette, Gavardo & Bellarmino teſte, *veteres omnes Theologi*, & Jureconſulti neceſſariam putant ad Sacramenti valorem mixtionem balſami: *Neutra opinio eſt de fide* ex laud. Bellarmino l. 2. de Confirm. c. 9. ſed poſtremæ ſententiæ adhæremus ſequentibus momentis.

I. Quia Florentina & Tridentina Synodus in balſamo & chriſmate gratiæ ſymbolum & virtutem agnoſcunt. II. Simplex oleum ſine balſamo non eſt chriſma nec unguentum, ut quæſt. II. monſtratum eſt, ſed Patres his nominibus deſignant hujus Sacramenti materiam, & ſicubi olei meminere, oleum permixtum non ſimplex intellexere; ergo &c. III. Chriſmati applicatur forma ſacramentalis; ergo &c. IV. Ex vet. Liturgiis conſtat, ſuper chriſma ex diverſis ſpeciebus compoſitum orare epiſcopum, ut oleum & balſamum *ſimul permixta unum fiant, & quicumque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, ut regni cœleſtis participem effici gratuletur. Huic unguento ſpiritalem gratiam & plenitudinem ſanctificationis, & cœleſtis vexilli*, ideſt characteris impreſſionem tribuit Pontificale Rom. & vetera Sacramentaria; conſtat ergo balſamum ad hujus Sacramenti pertinere ſubſtantiam. Nec urgent oppoſita momenta. Ad I. neg. ant. Magna enim copia balſami ex Perſide & India ad nos usque defertur, abundat etiam in Palæſtina, Sabæa, Arabia &c.

Ad II. ℞. S. Thomas art. 2. ad 3. *Sufficit, quod materia hujus Sacramenti poſſit de facili ad omnia loca deferri;* præſertim cum ad chriſmatis compoſitionem ſufficiat exigua balſami pars. Ad III. ℞.

bal-

balſamum Indicum ex peritiſſimorum medicorum judicio verum eſſe balſamum, & a Syriaco ac Palæſtino diverſum tantum accidentaliter, ut aſſerunt Poncius, Lupus & Benedictus XIV. Ad IV. neg. conſ. Innocentius enim ibid. negat iterandam publicam ſolemnitatem Confirmationis, ſed ſupplendam *caute* & ſecreto unctionem chriſmatis una cum *forma verborum*; non enim ait ſupplendum balſamum, ſed unctionem, quæ fuerat omiſſa: materia enim, quæ additur ex præcepto, ut aqua calici, non ſuppletur perfecto jam Sacramento. Adde Innocentium eadem ſtatuere de impoſitione manuum, quæ in Ordinatione eſt *materia eſſentialis*, ſaltem partialis: ergo eodem modo accipi debet canon. 1. *Paſtoralis*, ut notat Gloſſa. Ad V. neg. conſ. Nam etiam chriſma a PP. *oleum* dicitur, ſed non ſimplex & impermixtum, ut dictum eſt ſupra.

Quæres IV. an chriſma neceſſario debeat eſſe ab epiſcopo conſecratum. ℞. dubium non eſſe de jure ordinario ad ſolos epiſcopos id pertinere: quod conſtat ex Innocentio I. ex S. Leone, ex Sacram. Greg. ex Ordine Rom. ex Pontificali, & ex Euchologiis Græcorum. Idem ſtatuunt Concilia Carthag. II. & III. Toletanum, Hiſpalenſe, Vormatienſe. Teneri quoque Parochos a ſuo epiſcopo chriſma petere, nec ſine ipſo unctionem verticalem fieri conſtat ex cap. *Presbyteri* in ipſa Orientali Eccleſia: at ubi urgente cauſa ſimplex ſacerdos ex indulto ſpeciali Sedis Apoſtolicæ adminiſtravit Confirmationem, id fit ſolum *chriſmate per epiſcopum confecto*. Sed gravior eſt difficultas, an poſſit talis conſecratio a Sede Apoſtolica committi ſimplici presbytero. Affirmant Scotus, Cajetanus, Sirmondus, Tournely, Vitaſſe, a quorum ſententia non recedit clariſſimus Auctor, tametſi illorum momenta, ut parum firma refellat, quorum loco ſequentia ſuppeditat.

I. Sacri canones tam vetant presbyterum chriſma conficere, quam confirmare, ſed hoc poteſt ex Eccle-

Ecclesiæ dispensatione, ut infra ostendemus ; ergo & illud. Ideoque ii canones accipi debent , aut de facultate ordinaria episcoporum , aut dispensatione remota. II. Romani Pontifices dispensarunt cum Missionariis ex bulla Eugenii IV. edita pro Fabiano de Bachia Ord. Min. Sed quia oppositum sentiunt Sylvius , Suarez , Toletus , Faber, Salmeron, Poncius &c. dicimus , quod pauca extant hujus dispensationis exempla , eaque præcipiunt, ut presbyteri confirment chrismate ab episcopo benedicto. His notatis

℞. Theologi vetustiores nullam putant Confirmationem ex chrismate non consecrato : & probant I. quia PP. non oleum simpliciter aut chrisma dixere ejus *materiam*, sed chrisma *sanctum* , *benedictum* , *consecratum*. Ita Cyrillus Jerof. Cyprianus, Optatus , & S. P. A. Nec non Conciliorum canones nempe 48. Conc. Laodiceni, 4. Bracharen. II. 2. Sess. 12. Trident. & Decretum Florentini. Adde , quod hanc chrismatis consecrationem , ut institutam a Christo, & ad nos antiqua traditione derivatam probant ex Basilio, & ex Tertulliano Lupus, & Benedictus XIV. in Feria V. Majoris Hebd.

Hæc tamen , licet chrismatis consecrationem commendent , non tamen invicte probant, consecrationem hanc requiri *de necessitate Sacramenti*, sed tantum præcepti (1), ut censent Juenin, Tournely, Gotti, & Auctor de re Sacramentaria, qui duo postremi urgent comparationem baptismi , qui in simplici aqua rarus est , licet aquæ ejus consecra-

(1) Hanc præcepti necessitatem commendat etiam celebris Aug. locus tract. 118. in Jo. ubi sic habet : *Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi ? Quod signum nisi adhibeatur , sive frontibus credentium , sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo , quo chrismate unguntur &c. nihil eorum rite perficitur.*

crationem præſcribat antiqua traditio; proindeque citata PP. loca de neceſſitate præcepti, & de ritus *condecentia*, non de Sacramenti *neceſſitate* eſſe accipienda. Vide Auctorem. Ex quibus infertur I. Conſecrationem chriſmatis ex Apoſtolica traditione eſſe derivatam. II. eam jure pertinere ad epiſcopos. III. Non poſſe absque diſpenſatione uſurpari a privato presbytero. IV. Hanc diſpenſationem juxta nonnullos non poſſe concedi. V. Non concedi niſi in urgentiſſima neceſſitate. VI. Nefas eſſe in Confirmatione uti chriſmate non conſecrato. VII. Validum tamen eſſe Sacramentum, ſi ſecus fiat. VIII. Sed in eo caſu iterandum ſub conditione aliqui opinantur.

CAPUT IV.

De forma Sacramenti Confirmationis.

Not. I. Qui ſtatuunt Confirmationis materiam in ſola manuum impoſitione, putant verba, quæ comitantur unctionem, formam eſſe *accidentalem*, eſſentialem vero orationem epiſcopi. Oppoſitum tamen docent, qui pro ejus materia chriſma ipſum aſſignant Qui vero utramque materiam nobiscum propugnant, ajunt hanc *formam* ſitam eſſe in oratione epiſcopi, quæ impoſitioni reſpondet, & in verbis in actione prolatis: *Signo te &c:* apud Latinos, & apud Græcos: *Signaculum Spiritus S.* ita Alexander, Juenin, Tournely, Auctor de re Sacramentaria, Gotti &c.

Not. II. Latinorum formam ſupra laudatam *eſſentialem* eſſe, & ab Apoſtolis derivatam putant Bellarminus, Eſtius, Sylvius, aliique poſt D. Thomam. Fervaquez tamen, Vanroy, aliique cenſent formam illam fuiſſe aliquando deprecatoriam. Græcorum quoque formam improbarunt Lupus, Morinus, Cabaſilas, pro ea tamen pugnant Arcudius, Beſſarion, Habert, Goarius, Baſilius, Fervaquez & Vanroy. His prænotatis ſit

PRO-

Propositio I. Oratio præcedens unctionem non est forma Confirmationis distincta a verbis unctionem comitantibus, partialis, & manuum impositioni respondens.

Prob I. Ideo oratio illa a nonnullis *forma* Confirmationis partialis censetur, quia putant impositionem manus, quæ ejusdem est materia partialis, esse illam manuum elevationem versus confirmandos, cum qua episcopus recitat orationem : *Omnipotens &c.* sed ea elevatio non est impositio manuum, quæ est Confirmationis materia ; ergo &c. Prob. min. I. quia hæc impositio fit, cum episcopus tangit frontem confirmandorum, extensa manus parte super illorum caput, ut Cap. IV. dictum est. II. quia ea elevatione episcopus non tangit, sed commonstrat, se invocare super eos Spiritum Sanctum. III. quia ea oratione completa Pontificale Rom. præscribit, ut episcopus sedeat, nomen cujusque singillatim inquirat, & postea confirmet; ergo oratione præcedenti confirmati non erant.

Prob. II. Ex Tertulliano de Resurr. c. 8. *Caro ungitur, ut anima consecretur : caro manus impositione adumbratur, ut anima illuminetur* ; sed *ex illo textu*, observat Menardus not. 332. in Sacram. Greg. *aliquando manus impositionem fuisse unctioni postpositam*, quod probat ex Guilielmo Parisiensi de Sacram. ergo &c. Prob. III. ex quo oratio illa præcedens fuerit aliquando in Confirmatione prætermissa : nam in libro Sacram. Moysacen. a Martene edito, non alia extat oratio, nisi quæ recitatur Confirmatione peracta : *Deus qui Apostolis tuis &c.* IV. in ea prævia oratione verba illa : *Consigna eos signo crucis &c.* referenda sunt ad unctionem chrismatis mox faciendam, & modo deprecativo id enunciant, quod exprimitur indicativo illis verbis : *Signo te &c.* Nam episcopus post verba illa : *Consigna &c.* statim perungit confirmandos dicens : *Signo te &c.* ergo &c.

Prob. ant. Nam idem fit in consecratione Eucharistiæ & Pœnitentiæ, ubi prius orantes dicimus: *Ut nobis fiat corpus &c.* & : *D. N. J. Christus te absolvat*, deinde : *Hoc est &c.* & : *Ego te absolvo.* V. Oratio illa aliquando recitata est post baptismum a presbytero baptizante, & ideo non extat in lib. Sacram. Moysacen. & in aliis apud Martene reperitur in ordine baptismi, ubi post aliqua folia describitur ordo Confirmationis ; ergo &c.

Ob. I. Act. 8. Apostoli *oraverunt, ut*, fideles, *acciperent Spiritum S.* ergo &c. Cyprianus in ep. ad Jub. ait : *Qui baptizantur, præpositis Ecclesiæ offeruntur, ut per orationem & manus impositionem Spiritum S. consequantur.* Eadem habent Ambrosius, Hieronymus, S. P. A. ergo &c. III. Rituales libri, Pontificales, Sacramentarii apud Martene hanc orationem retinent. IV. Nulla forma est assignabilis manuum impositioni respondens, nisi præcedens oratio ; ergo &c.

℞. I. ad I. S. Thomas : *Tunc non erat necessaria materia, nec forma* ; ℞. II. neg. cons. legitur enim ibi Apostolos orasse, ut fideles *acciperent Spiritum Sanctum*, non legitur tamen orationem illam esse formam Confirmationis, nam ib. non orationi, sed impositioni manuum tribuitur Spiritus S. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, ubi nulla orationis fit mentio ; licet ergo daremus *forma deprecatoria* Apostolos fuisse usos, non tamen evincitur hanc fuisse orationem Confirmationi præviam.

Ad II. dist. ant. & PP. laudati tribuunt orationi Spiritum S. tamquam formæ, neg. tamquam ritui, conc. Docent enim PP. Justinus, Cyrillus, Irenæus Eucharistiam consecrari *oratione*, quibus respondet Tournelyus, & Auctor libror. de Re Sacram. PP. citatos *precibus* tribuere consecrationem Eucharistiæ, non ut *formæ*, sed ut *ritibus, præparatorie*, non *formaliter* : idem nos quoque citatis PP. testimoniis reponimus. Ad III. vide probatio-

bationem III. & V. Ad IV. neg. ant. Nam impositio manus fit in ipsa unctione chrismatis ex prob. I. ergo verba, quæ tunc proferuntur, utrique materiæ respondent.

Propositio II. Verba *signo te &c.* sunt vera, & adæquata Confirmationis forma.

Sequitur ex dictis & prob. I. ex Decret. Eugenii IV. *Forma est, signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis: in nomine Patris &c.* quibus verbis doctrinam Confirmationis breviter fuisse explicatam, ait Reginaldus Polus. II. S. Thomas, & Catechismus Rom. ostendit, hac formula significari *robur spirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ visibilis ad salutem.* III. Sacramentale Ambrosianum jubet, ut Parochus declaret, cur iis verbis: *Confirmo te &c.* designetur robur animi, quod fidelibus confertur, & cur tunc imprimatur fronti signum crucis, quia nempe fit miles Christi. IV. In omnibus Ritualibus apud Martene præscribitur unctio sub certa verborum formula, sed hoc non fit in oratione unctioni præmissa; ergo &c.

Quæres: an laudata latinorum forma aliquam mutationem subierit; & an valida sit Confirmatio, in qua unum aut alterum verbum usitatæ formulæ omittitur? ℞. affirmative. Nam in Pontificali vetustiss. Egeberti habetur: *Accipe signum sanctæ crucis chrismate salutis in Christo Jesu &c.* & postea: *Confirmet te Deus Pater &c.* Gelasianum habet: *Signum Christi in vitam æternam*, addita deprecatione: *Confirmet te Deus.* In MS. Pictaviensi 800. an. *Signat te Deus sigillo fidei sui in Confirmatione fidei.* In Pontificali Caturigensi: *Confirmo, & consigno te ... in nomine &c.* Ex quibus infertur, validam esse Confirmationem, dummodo substantialis non occurrat mutatio.

Opp. S. Gregorius in lib. Sacr. pag. 74. præter orationem illam præviam nullam commemorat formulam, sed sequitur: *Pontifex tincto pollice in*

 chris-

chrismate facit crucem &c. & Amalarius Fortun. l. 1. c. 7. *Oratione expleta facit crucem dicendo : in nomine Patris &c.* omissis verbis : *Signo*, aut : *Confirmo te ; ergo &c.* ℞. communiter, Gregorium formam Confirmationis reticuisse *ob disciplinam arcani*, verum hæc *disciplina*, quæ in epistolis & operibus PP. evulgandis ex Schelestratio, ac Benedicto XIV. locum habet, non habet tamen in libris Sacramentorum in scriniis Ecclesiarum occlusis, a solis ministris non a plebe voluntandis, præsertim, cum ipsi mysteriis pleni sint, & Sacramentale Gregorii verba consecrationis retineat. ℞ II. Gregorium, aut Sacramentalis formæ non meminisse, quia hæc non aliud exprimit indicativo modo, quam id quod continetur in deprecativo, per ea verba : *Consigna eos signo crucis in vitam æternam ;* vel forte tunc temporis unctio facta est in prolatione horum verborum, itaut præsens forma ex deprecativa facta sit. Amalarius autem laudat Ordinem Rom. ubi præter verba Amalarii additur : *Confirmo te in nomine &c.* ergo aut Amalarius erravit, aut orationem contraxit, aut id solum exscripsit, quod ornare cogitaverat commentario.

Propositio III. Valida est etiam Græcorum formula : *Signaculum doni Spiritus S.*

Prob. I. ex Euchologio Græcorum a Goario edito, ubi non alia extat forma, præter supra laudatam, quæ, si valida non est, nulla superest in Oriente Confirmatio, cum aliam non agnoscant Græci catholici ex Goario. II. Arcudius id probat ex PP. Nam Asterius apud Photium cod. 271. ait : *Datur signaculum Spiritus S.* Dionysius de Eccl. Hier. Episcopum vocat : *Deificante unguento obsignantem.* Cyrillus Catech. 13. de confirmato ait : *Signaculum datum est illi ex communicatione Spiritus S.* cum ergo formula illa exprimat Confirmationis naturam & efficientiam, valida censenda est. IV. Ea Græcorum formula traditur c. 3. Censuræ ad Germanos scriptæ a Hieremia Patriar-

cha

cha C. d. eamque, *non esse dissimilem ab ea, qua modo in Ecclesia utimur*, scribit Stanislaus Soclovius; ergo &c.

Ob. I. Sensus laudatæ formulæ suspensus est, nec reddit orationem perfectam; ergo &c. II. esse gratiæ & Spiritus S signaculum est omnibus Sacramentis commune; ergo &c. III. Severus Patriarcha Alex. aliam formam assignat; ergo &c. IV. Clemens VIII. in Instruct. de Rit. Græcorum præcipit, ut *Episcopi Latini infantes a presbyteris Græcis baptizatos, & de facto chrismate in fronte consignatos confirment*, & jubet, ut utantur hac forma: *Consigno te signo crucis, & confirmo &c.* ergo &c.

℞. ad I. Poncius, Vanroy, aliique nostrates neg. ant. Nam in his verbis: *Signaculum Spiritus Sancti* perfecta continetur oratio, non secus ac in illis Luc. 22. *Hic calix novum testamentum in meo sanguine*, quibus in Græco deest verbum. Addunt eam formulam practice sensum habere determinatum, ut si stipem inopi præbens dicas: *En nummum.* Ad II. ℞. σφραγῖδα, non quodvis signum, sed sigillum & militarem baltheum designare; licet ergo omnia Sacramenta sint gratiæ signacula, hæc tamen verba vim quandam habent designandi gratiam, quæ exornat Christi milites, eisque robur, viresque impartitur. Ad III. dist. ant. Aliam assignat accidentaliter diversam, ut contingit apud Latinos, conc. substantialiter, neg. Ad IV. ℞. Instructionem Urbani directam fuisse *ad Latinos Episcopos*, in quorum diœcesibus Græci, aut Albanenses Græco ritu viventes degunt: quoniam vero Latini Ecclesiæ Latinæ conformari debent, jubet Urbanus, ut episcopi latini consignatos chrismate a Græcis presbyteris, qui sine dispensatione nequeunt esse ministri Confirmationis, formula latina sub conditione confirment, maxime *cum verosimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis*

Græcis fuerint baptizati ; ergo Rom. Pontifex validam cenſuit Græcorum formulam.

DISSERTATIO II.

De miniſtro, ſubjecto, ac neceſſitate Confirmationis.

Plura quæremus hoc loco. Ac I. quidem, quinam ſit ordinarius hujus Sacramenti miniſter? quinam vero extraordinarius? Quinam ſit ejus ſuſcipiendi capax, quibusve diſpoſitionibus accipere debeat?

CAPUT I.

De ordinario hujus Sacramenti miniſtro.

Quemlibet ſacerdotem eſſe hujus Sacramenti *ordinarium* miniſtrum aſſeruit Phocius C. P. Eccleſiæ invaſor, Græcorumque ſchiſmaticorum caput, quorum ſententiam arripuere Valdenſes, Huſſitæ, Lutherus, Calvinus, Dallæus &c. contra quos Florentina & Tridentina Synodus ſtatuit, ſolum epiſcopum eſſe *ordinarium* hujus Sacramenti miniſtrum. Dixi *ordinarium.* Utrum enim hæc poteſtas ſimplici presbytero conferri poſſit, ſalva fide utrimque diſputatur. Negant, præter Hugonem, Guillelmum, & Hadrianum VI. Eſtius, Petrus Aurelius, l' Herminier &c. Affirmant Thomiſtæ, & ex Scotiſtis Richardus de Mediavilla, Aureolus, Maſtrius, Henno, Fraſſen, quibus noſtrates accedunt Poncius, Vanroy, Fervaquez, necnon Arcudius, Morinus, Holſtenius, aliique. Sit itaque

Propositio. Miniſter ordinarius Confirmationis eſt ſolus epiſcopus.

De fide eſt, & prob. I. ſcripturis. Nam act. 8. habetur Petrum & Joannem profectos eſſe Samariam,

riam, ut baptizatos a Philippo confirmarent: id vero egisse Petrum & Joannem, ut presbyteros, non ut Apostolos frustra asserunt Novatores.

II. PP. ex locis cit. solis Apostolis, eorumque successoribus episcopis tribuerunt ordinariam confirmandi potestatem: *Id namque*, ait Chrysostomus hom. 18. in Act. *erat donum tantummodo duodecim Apostolorum.* Eadem habet Oecumenius & Innocentius III. laudati cap. 1. Diss. I. prop. 2. Isidorus Pelus. lib. 1. in ep. 450. ad Antiochum de Philippo ait: *Baptizabat dumtaxat ut discipulus; Apostoli autem gratiam perficiebant, ut qui hujus muneris tribuendi potestatem divino beneficio accepissent.* III. Prob. ex perpetua praxi Ecclesiæ. Nam ab episcopis obsignari baptizatos tradunt Cornelius Papa, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus &c. IV. Constat ex ep. Innocentii I. ad Decentium, & Leonis M. ad episcopos Germ. vetitum simplici presbytero chrisma conficere & linire frontem. V. merito ergo Concilium Florent. in Decr. Arm. ait: *Ordinarius minister Confirmationis est episcopus.* Et Trident. Sess. 8. can. 3. statuit: *Si quis dixerit, S. Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, anathema sit.*

Ob. I. ex scripturis: incertum est an Joannes, & Petrus confirmarint ut Apostoli, an ut simplices sacerdotes. Ananias enim non erat Apostolus, & tamen dedit Saulo Spiritum S. II. ex PP. Ambrosius de Myst. cap. 6. ait: *Unctionem fieri a sacerdote.* Hieronymus adv. Lucif. ait: *Episcopos ex consuetudine, non ex necessitate ministros esse Confirmationis.* Et ep. 101. *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod non facit presbyter?* Beda in Ps. 26. ait: unctionem, *quæ fit ab episcopis, & confirmatio dicitur*, eandem esse cum verticali, illamque negatam singulis sacerdotibus *propter arrogantiam*; ergo &c. III. Ex Pontificali, quod Damaso tribuitur, Sylvester primus omnium *constituit*, ut

 solus

solus episcopus sacrum chrisma conficiat, & baptizatum consignet : ergo ab initio non fuit sic.

℞. ad I. neg. ant. Nam Petrus & Joannes ut Apostoli potestatem dandi Spiritum S. impositione manus habuere ; ergo ut Apostoli confirmarunt. De Anania vide cap. 1. Prop. 1. Ambrosius sacerdotis nomine designat episcopum, ut ibid. dictum est. Hieronymus autem de consuetudine, quæ ex Apostolica auctoritate descendit, accipi debet. Addit autem : *Non ex necessitate*, quia Sacramentum hoc non est talis necessitatis, ut baptismus, ut cuivis debuerit ejus ministerium committi : nam etiam non confirmati possunt salutem consequi : *Alioqui lugendi sunt, qui in lectulis baptizati ante dormierunt, quam ab episcopis inviserentur.* At in Epistola 101. refellit Falcidium quendam diaconos presbyteris præferentem, hosque episcopis valde proximos ostendit, eo quod utrique facultatem habeant conficiendi Corpus Christi, licet hanc facultatem presbyteris conferat episcopus per ordinationem.

℞. II. Hieronymum respexisse ad morem Ecclesiæ Alexandrinæ, ubi ex episcopi permissione presbyteri chrismabant, ut probat Holstenius. Beda utramque unctionem eandem dicit, quoad materiam, non quoad efficaciam : tribuit enim episcopali unctioni *salutem, in qua magis firmamur, & nomen Christi profitemur.* Et in c. 8. Act. negat licere presbyteris frontem oleo consignare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum S. Ad III. neg. ant. Sylvester enim concessit presbyteris, ut baptizatum chrismate linirent in vertice, non in fronte. Verbum autem *constituit* non priorem institutionem designat, sed perantiquæ Confirmationem, ut probant Lupus & Benedictus XIV. Nam ib. de Sylvestro dicitur : *Hic constituit, ut sacrificium celebraretur in linteo,* quod ab Eusebio prædecessore statutum Sylvester suo decreto firmavit.

Obj.

Ob. II. Illiberitana Syn. an. 315. celebrata can. 38. præcipit, ut baptizatus *per manus impositionem* perficiatur a diacono; ergo &c. II. Synod. Carthaginensis II. & III. statuit, *ne chrisma conficiatur a presbyteris*; hi ergo antea conficiebant, & confirmabant. III. Toletanum I. can. 20. *Statutum est*, inquit, *diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo*; ergo &c. IV. Arausicana I. can. 1. statuit: *Hæreticos in mortis articulo, si desit episcopus, a presbyteris consignandos*; isti ergo &c. V. Hispalensis can. 7. ait: *Chrismationem presbyteris vetitam novellis & Ecclesiasticis regulis*; ergo &c. Adde canones de chrismate gratis distribuendo presbyteris, ut nempe chrismate ab episcopo benedicto & ipsi consignent; ergo &c.

℞. ad I. neg. cons. Ibi enim præcipitur, ut baptizatos in necessitate a laico, vel diacono episcopus, perficiat: ergo solus episcopus habet jus confirmandi. Ad II. neg. cons. Nam ex iis canonibus supponitur chrismatis confectionem, quam temere quidam presbyteri sibi arrogabant, etiam antiquioribus sanctionibus vetitam fuisse. Hinc in utraque Carthag. Synodo statuitur, ut presbyter chrisma numquam conficiat. Ad III. neg. cons. Agitur enim eo in canone de unctione tantum *verticali*, non de chrismatione *Sacramentali*. Nam unctionem illam, non istam S. Sylvester concessit presbyteris absente episcopo: *In mortis transitu*, ut habetur in Pontificali. Innocentius ergo indulsit, ut presbyteri inungerent in vertice baptizatos, *seu extra episcopum, seu præsente episcopo*, sed Toletana Syn. juxta consuetudinem a Sylvestro inductam, statuit ut chrismarent in vertice absente episcopo, præsente vero, *si episcopus annuat*.

Ad IV. neg. cons. Non enim ibi agitur de Confirmatione Sacramentali, sed de reconciliatione hæreticorum, qui alicubi recipiebantur unctione chrismatis: non tamen *Sacramentali*, nisi eam non recepissent. Quippe nomina *chrismatis*, & *consigna-*

tionis sæpe verticalem unctionem, aut *consignationem* energumeni, non Confirmationem ex dictis significant. Ad V. dist. ant. *Novellis* regulis &c. idest recentibus & antiquis, conc. secus, neg. Dicitur enim ib. presbyteris illicita chrismatio, *quia pontificatus apicem non habent, quam solis deberi episcopis auctoritate canonum præcipitur.* Quod additur nihil est; agitur enim in iis canonibus de chrismate presbyteris distribuendo ad unctionem *verticalem*, non ad *Sacramentalem*.

Ob. III. In Comment. in ep. ad Ephes. Ambrosio tributis tom. 2. p 241. legitur: *Apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus.* Idem legitur in Qq. utr. Test. qu. 101. quæ, licet spuria habeantur; sunt tamen vetustissimæ & probatæ hac in re sententiæ. Adde, Græcos ante Photii ætatem a simplici presbytero confirmatos; ergo &c. ℞. Ex his inferri, presbyteros aliquando confirmasse, num vero *ordinaria*, an *extraordinaria* facultate, num valide ac licite, an e contra, non affirmat Auctor Quæstionum. Adde in edit. Parisiensi legi *Presbyter consecrat*, Græcos autem baptizatos a solis Pontificibus olim inunctos chrismate testatur Pachymeres in Paraphr. Dionys. apud Allatium, & Gabriel Philadelph. apud Arcudium ait: *Antecedenter hoc episcopis datum esse*, (ut inungant chrismate baptizatos) *quibus & solis hoc licet conficere. Ecclesiam vero Orientalem etiam presbyteris concessisse unctionem chrismatis post baptismatis ceremoniam &c.* Ex his constat, apud Græcos a presbyteris Confirmationem dari, non *ordinaria* facultate, sed *delegata*.

Ob. IV. Photius: nulla extat lex presbyteris vetans Confirmationem ministrandi, neque ab Apostolis, nec a PP. nec a Synodis lata. II. Si illud non licet presbytero, nec baptizare, nec consecrare licebit, eritque hoc modo dimidiatus sacerdos; ergo &c. ℞. Photium *Schismaticorum principem*, ut a Jo. Methonensi vocatur, ut calumniis, ita

ita ineptiis abundare. Extat enim lex iſta in Actibus Apoſt. ad quos olim Luciferianos amandavit Hieronymus. PP. tum Græcos, cum Latinos ſupra produximus: inſuper Synodalia decreta, & Orientalis Eccleſiæ morem primævum proferre poſſumus ex ipſis Græcis ſcriptoribus. Ad II. neg. ant. Si enim non eſt dimidiatus ſacerdos, qui conficit Euchariſtiam, nec ſacros Ordines confert, quia hæc diverſa ſunt munera, & diverſa connotant Sacramenta, cur dimidiatus ſacerdos dicendus eſt, qui conſecrare poteſt, confirmare non poteſt? Si quæras, cur id non poſſit, qui illud præſtantius poteſt; a Photio idem quæro, cur non poſſit chriſma conficere, quod non eſt adeo præſtans ut illud? ℞. II. Id fuiſſe *apici pontificatus* reſervandum, ut obſervat Auctor Eccl. Hierarch. c. 5. p. 360.

CAPUT II.

De extraordinario miniſtro Confirmationis.

Simplici presbytero miniſterium Confirmationis conferri non poſſe negarunt plures Theologi tum veteres, cum recentiores, quos cap. I. laudavimus, contra quos ſit

Propositio I. Poteſt ſimplex ſacerdos extraordinaria facultate fideles confirmare.

Prob. I. ex Decreto Eugenii IV. lato in Florent. Synod. ubi habetur: *Legitur aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ſimplicem ſacerdotem hoc adminiſtraſſe Sacramentum.* Quod quidem ſtatuit Eugenius, non ex quo id legatur *apud ſcholaſticos aliquos*, ut putant Eſtius, & l' Herminier, ſed *poſt non mediocrem teſtimoniorum inſpectionem, quæ ex PP. & DD. deducta ſunt.* Adde illud decretum eo fine propoſitum, *ne ulla in futurum de fidei veritate apud Armenos dubitatio eſſe valeat.* II. Tridentina Syn. ſtatuens, epiſcopum eſſe *ordinarium* Confirmationis miniſtrum haud obſcure innuit, *ex*

dele-

delegatione hoc ministerium simplici sacerdoti committi posse: quod, licet Synodus non expresserit, ut nullum afferret scholarum placitis præjudicium, ut constat ex Pallavicino l. 9. c. 7. ad illum tamen modum editus est articulus, quod *fere omnes in S. Thomæ sententiam veniebant, posse hujusmodi facultatem Pontificia delegatione ad simplices sacerdotes extendi.* III. Gregorius M. Ep. 26. ad Jan. cum ab eo accepisset Sardinienses presbyteros ægre tulisse, quod ipse iis interdixisset ungere baptizatos in fronte, ait, se id ex usu Rom. Ecclesiæ jussisse, *sed si hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos tangere debeant concedimus*; ergo indulsit Gregorius iis presbyteris, ut confirmarent.

℞. Estius, de Marca, & l' Herminier: Gregorium loqui de unctione *ceremoniali*, non de Confirmatione. Sed plane falluntur. Nam posteriori hac epistola Gregorius concessit, quod vetuerat præcedenti, nempe ut presbyteri signarent in fronte, quodve post baptismum agi debuit ab episcopo, sed hæc est propria Confirmatio non ceremonia; ergo &c. Nec obstat emendatos codices habere: *Baptizandos* non *baptizatos*, adeoque de ritu, non de Sacramento Gregorium loqui; quis enim audivit inter baptizandum liniri frontem? Deinde concessionis restrictio, *ubi episcopi desunt*, evincit Gregorium de ea chrismatione locutum, quæ episcopis reservatur. Quod addunt, Gregorium ibi formæ verborum non meminisse, nihil est: non enim ejus meminit, ubi ait: non enim ejus meminit, ubi ait *episcopi ungere debent in fronte*; porro idem est in scriptis ecclesiasticis *confirmare*, *ac frontem chrismate* consignare; ut constat ex Innocentii epistola ad Decentium.

IV. Joannes diaconus in ep. ad Senarium potestatem conficiendi chrismatis etiam presbyteris ex vi *necessitatis* aliquando *pontificali auctoritate* concessam agnoscit: *Quod*, inquit, *merito moveret*, *si*

si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset, unde constat a Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta necessitate ut a presbyteris effici possit superior Ordo constituit. Si ergo potest presbytero *licentia* concedi conficiendi chrisma, quanto magis concedi potest *licentia* signandi chrismate ab episcopo consecrato. V. Romani Pontifices sæpe hanc facultatem concessere: Hadrianus VI. id Franciscanis indulsit in Indiis: & ante Hadrianum concesserant Joannes XXII. Eugenius IV. Nicolaus IV. Urbanus V. & Leo X. qui hæc omnia amplissime confirmavit, ut refert Wadingus ad an. 1521. Idipsum Patribus S. J. indultum a Gregorio XIII. scribit etiam Basilius Poncius, & Fervaquez.

℞. l' Herminier: *Aut falsam esse data hæc privilegia, aut id factum contra canones, adeoque nullius esse ponderis.* Arcudius autem ait, diploma Hadriani datum *anno* 1521. *die* 25. *Aprilis*, cum ipse electus sit die 9. Jan. 1522. Adde diploma illud Leoni X. a Francisco de Pitigianis tribui. Verum quis credat tot eximios viros, qui ea diplomata legerunt, Wadingum, Arcudium, Poncium fuisse mentitos? Quis audeat violationis canonum insimulare Romanos Pontifices, ipsorum custodes vigilantissimos? Unum est in quo aberravit Arcudius, tribuit enim Hadriano, quod a Leone X. prodiit ann. 1521. Hispalense diploma, quod una cum aliis supra laudatis habetur etiam in collectione Privileg. Regularium Roderici ed. Tournoni pag. 294.

VI. Apud Orientales etiam hic usus invaluit. Photius enim in encyclica ad Patriarchas Orientales in Latinos invehitur, quod Bulgaros confirmatos a Græcis presbyteris iterum confirmassent: *Quis autem existimet*, ait Holstenius, *hominem, cætera vecordem, Patriarchis summis Ecclesiæ Orientalis hæc scripturum, si ipse tum primum novo exemplo, contra morem universalem presbyteris chrismationem permisisset?* Adde ex epist. Hieronymi ad

Evagr.

Evagr. ex Commentariis in Paul. Ambrosio inscriptis, & ex auctore Qq. utr. Test. probabiliter evinci, apud Alexandrinos *ex delegatione* presbyteros confirmasse. In Florentina etiam Synodo dissidium de ministro Confirmationis ita fuit compositum, ut nullum unioni afferret impedimentum, facta Græcis libertate, ut admissa processione Spiritus S. etiam a Filio, Purgatorio, & præsenti SS. gloria, servarent in aliis morem Ecclesiæ suæ, ut constat ex litteris unionis, & ex D. Antonino 3. part. Chron. tit. 22. & ex Gregor. Protosync. in Conf. epist. Marci Ephes. ergo &c.

Ob. I. Adversatur hæc sententia & evertit momenta Propositionis cap. præc. ergo &c. ℞. neg. ant. Illa enim accipienda sunt de ministro *ordinario* Confirmationis, ut constat ex decretis Florentinæ & Trid. Synodi supra laudatis: tum ex Roman. Pontificibus, qui confirmandi potestatem presbyteris concessere, qui cum Græcis communione conjuncti sunt; quique sententiam nostram in re tam gravi, ubi agitur de legitimo Sacramenti ministro, sinunt a Theologis & Jureconsultis celeberrimis propugnari. Scio etiam oppositam a scholasticis propugnari, sed ex ea etiam falsa nil sequitur absurdi, si nempe soli episcopi confirment, suoque munere fungantur; at si nostra sententia falsa sit, irritæ erunt confirmationes Græcorum, illegitimæ concessiones factæ missionariis, fietque divini chrismatis abusio sacrilega; id ne fiat dicendum, veram esse nostram sententiam.

Obj. II. Nicolaus I. mandavit legatis missis ad Bulgaros: *Ut omnem ritum christianæ fidei, sicut ab ipso instructi fuerant*, eos edocerent, ut scribit Anastasius p. 220. ed. Paris. sed legati *omnes Bulgariæ Principes & subjectos chrismate iterum inunxerunt* ex Metrophane Smyrn. in ep. ad Manuelem Tom 8. Conc. pag. 378. ergo &c. Alias legati sine sacrilegio iterum chrismassent: neque id probasset Nicolaus II. Innocentius III. cap. *Quanto* ex-

tra

tra de consuet. ad Lucium Vicarium C. P. mandat: *Ut omnibus presbyteris distincte prohibeat, ne præsumant fidelibus exhibere Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre*; ergo &c. III. Innocentius IV. in Const. *Sub catholicæ* an. 1254. statuit *ut soli episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet, nisi per episcopos exhiberi*; ergo &c. IV. Clemens VIII. ann. 1595. statuit, *ut episcopi Latini baptizatos a presbyteris Græcis de facto chrismate in fronte consignatos confirment*, quod etiam confirmavit anno 1742. in Constitut. *Etsi pastoralis* Benedictus XIV. ergo &c.

℞. dist. min. Iterum inunxerunt Bulgaros consignatos a presbyteris *legitime delegatis*, neg. *illegitime*, conc. Hi enim missi fuerant a Photio *mœcho*, & *invasore*, ideoque nec legitime delegati, & consignabant in provinciis sedi Apostolicæ subjectis renitente Pontifice. Bulgari enim sedi Apostolicæ se commiserant, & sacerdotes Romanos ultro elegerant sibi magistros, ut ostendit Lupus Tom. 2. pag. 1405. contendebant etiam Photiani illi presbyteri, non esse *ex dispensatione*, quod presbyteri alicubi confirment; ideoque perfracte consignare audebant adversus inhibitiones Romanæ sedis. Ad II. neg. conf. Nam locus ille ex cap. *Quanto* legi debet: *Omnibus Latinis presbyteris apud Constantinopolim constitutis*, ut legunt Jureconsulti recentiores Gonzalez &c. nec non in editione Antverp. anni 1570. & Rom. 1543. prohibetur ergo Latinis presbyteris apud Græcos degentibus, ne sibi concessum putent, quod toleratur in Græcis.

Ad III. dist. ant. Jussit ubique locorum, neg. alicubi, conc. Nam *in sola Cypri insula*, non in aliis Orientis Ecclesiis jussit Innocentius solos episcopos consignare: ortis enim ea de re dissidiis melius est, ut, ubi adsunt episcopi Confirmationis ordinarii ministri, non consignent presbyteri. Ad IV. dist. conf. Et id jussit Clemens Græcis degentibus *sub*

Lati-

Latinis episcopis, conc. universis, neg. Nam prudenter monuit, ut Latini episcopi confirmantes neophytos obsignatos in fronte a Græcis presbyteris, *cum cautela, & sub conditione id faciant.* Idipsum statuit Benedictus XIV. in sua Const. *Etsi Pastoralis*, quam dirigit ad Italo-Græcos dicens: *Episcopi Latini in suis diœcesibus baptizatos a presbyteris Græcis absolute chrismate in fronte consignatos confirment, cum neque per prædecessores nostros, neque per nos Græcis presbyteris in Italia & in insulis adjacentibus, ut baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit: imo ab anno 1595. a Clem. VIII. fuit presbyteris Italo-Græcis interdictum, ne baptizatos chrismate consignent;* ergo Romani Pontifices loquuntur de Græcis Latino episcopo, non Græco subjectis, qui in Italia, non in Græcia versantur, quibusve hæc facultas a Romanis Pontificibus fuerit interdicta, aliud ergo judicium de Græcis presbyteris ferendum est, quibus Romanus Pontifex hac in parte teneri sinit instituta majorum; inter quæ adnumeratur collata a presbyteris baptizantibus Confirmatio.

Ob. III. Concilium Senonen. ann. 1528. reprobat *consuetudinem, quæ potius corruptela dicenda est, qua abbates attentant munus Confirmationis conferre*, eamque *solis episcopis reservatam* asserit: ergo &c. ℞. dist. ant. reprobat *ex præsumpta consuetudine*, nunquam in Occidentali Ecclesia recepta, & *ex ordinaria potestate*, quam sibi Abbates arrogabant, conc. ex privilegio & *delegata facultate*, neg. Subdit enim: *Si qui sint, qui contendant sibi competere hanc facultatem ex privilegio, volumus, quod cum fuerint requisiti, de privilegio fidem facere teneantur*, quod potius probat, ajunt Jureconsulti apud Gonz. Tom. 1. pag. 172. aliis ab episcopis confirmandi facultatem *ex privilegio* competere. Idem de Chorepiscopis judicium esto, quos non potuisse *ordinaria* potestate confirmare constat ex epistola 5. Damasi tom. 2. Conc. p. 879. &c.

Ob.

Ob. IV. Poteſtas ordinaria confirmandi vel competit epiſcopo ratione conſecrationis ſacerdotalis, vel ratione conſecrationis epiſcopalis. Si primum; ergo quivis ſacerdos, etiam reluctante epiſcopo, ſaltem valide confirmat; ſi ſecundum; nulli ergo poteſt committi, niſi fiat epiſcopus. ℞. Epiſcopum ex ſua conſecratione (aut hæc peculiarem imprimat characterem, aut ſit major characteris presbyteralis ampliatio) nanciſci, ut ſit Confirmationis ordinarius miniſter, & presbyterum, ex conſecratione ſacerdotali, cui non ineſt illa amplitudo, habere, ut poſſit eſſe Confirmationis miniſter *extraordinarius*; ſicut epiſcopus habet ex ſua conſecratione, ut ordinet, presbyter ex ſua habet, ut poſſit, ſi id ei committat Rom. Pontifex. Et ratio eſt, quia Eccleſia Confirmationem ab epiſcopo collatam ſemper validam habuit, a presbytero vero non ita, niſi a S. Sede acceperit facultatem. Qua praxi docet, epiſcopum conſecratione ſua actu Confirmationis miniſtrum conſtitui, presbyterum ex ſua aptitudinem acquirere, ut poſſit conſtitui. Ex his ſolvitur quod urget Eſtius diſt. 7. §. 21. ex c. penult. de Conſecr. Eccl. ubi de epiſcopo legitur: *Quæ ordinis epiſcopalis ſunt non poteſt inferioris gradus clericis demandare*, ex quibus evincitur tantum, non poſſe presbyterum eſſe Confirmationis *ordinarium* miniſtrum, quia id eſt ordinis epiſcopalis: nec id poteſt epiſcopus demandare inferioribus clericis, quod poteſt Romanus Pontifex. Adde, ibi ſermonem fieri de reconciliatione Eccleſiæ, quam in provincia Bracaren. epiſcopi faciebant, eo quod ſpectet ad poteſtatem Ordinis epiſcopalis, & tamen Greg. IX. ratas habet reconciliationes factas per ſimplices ſacerdotes; poteſt ergo Romanus Pontifex quædam committere presbyteris, quæ ſunt Ordinis epiſcopalis.

Propositio II. Valide confirmat ſimplex ſacerdos in Occidentali Eccleſia ex delegatione Rom.

Pontificis, in Orientali vero ex antiqua consuetudine, quam probat Rom. Pontifex.

Prob. I. ex Eugenio IV. qui de quibusdam presbyteris ait, eos confirmasse *per Apostolicæ sedis dispensationem.* II. Clemens VI. in litteris ad Patriarcham Arm. apud Rayn. ad ann. 1351. eum rogat, an credat: *Quod solum per Rom. Pontificem plenitudinem potestatis habentem possit dispensatio Confirmationis presbyteris, qui non sunt episcopi committi?* An credat, *quod chrismati per quoscumque sacerdotes, qui non sunt episcopi, nec a Romano Pontifice concessionem aliquam receperunt, iterum per episcopos sint chrismandi?* Jure ergo Benedictus XIV. irritas declaravit confirmationes collatas a presbyteris Italo-Græcis, quibus a Romanis Pontificibus nulla confirmandi facultas concessa est, quoniam ex cap. *Aqua* Extra de Consecrat. episcopus, *quæ ordinis episcopalis sunt non potest clericis demandare.* Vide Gloss. in decr. Greg. IX. lib. 1. tit. 4. de Consuetud. cap. *Quanto.*

Oppon. I. Episcopus est pastor ordinarius in sua diœcesi, ut Papa in universo; ergo &c. II. Confirmarunt olim in Ecclesia occidentali chorepiscopi, & in Orientali presbyteri absque Pontificio consensu: quod munus absente episcopo presbyteris demandarunt Syn. Illiberitana, Tolet. II. & Araux. I. ergo &c.

℞. ad I. dist. ant. episcopus est pastor cum potestatis plenitudine, quam habet Rom. Pontifex, neg. cum potestate ordinaria, conc. Per hanc enim ordinare potest, non tamen demandare presbytero, ut conferat minores ordines, quod solus potest Romanus Pontifex de plenitudine potestatis. Ad II. neg. ant. Ubicumque enim viguit consuetudo, ut presbyteri confirmarent, summus Pontifex eam probavit, tacito saltem consensu: postquam vero in presbyteris Italo-Græcis hanc consuetudinem reprobavit, requiritur ejusdem expressa permissio.

CA-

CAPUT III.

De ſubjecto Confirmationis ejusque diſpoſitionibus.

De miniſtro, tum ordinario, cum extraordinario Confirmationis plura in Theologorum lucubrationibus diſperſa conſulto omiſimus, ut firmiora inſeremus ſuis in fontibus perſpecta, rerumque acceſſione, & pondere locupletata, qua de re vide annotationem cl. Auct. ad cap. 7. lib. 32. Nunc autem de ſubjecto, ejusque diſpoſitionibus agendum eſt. Sit itaque

Propositio I. Subjectum idoneum Confirmationis eſt quilibet homo baptizatus.

Prob. Omnes quippe adverſus ſpiritales nequitias, & naturæ imbecillitatem debent Chriſti ſignaculo, & Spiritus S. fortitudine roborari. Hinc Act. 2. legimus, Spiritum S. totam impleviſſe *domum*, ideſt in Eccleſia exiſtentes, ut explicat S. Thomas q. 72. art. 8. Solos autem baptizatos eſſe confirmandos, infertur I. ex praxi Eccleſiæ ab Apoſtolis derivata, ex qua ſolis baptizatis collatum eſt, & confertur hoc Sacramentum. II. A Conciliis ac PP. Confirmatio dicitur *conſummatio, & perfectio baptizatorum.* III. Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum, nec poteſt ſpiritus Chriſti particeps fieri, qui in myſticum ejus corpus nondum eſt cooptatus, ſicut nec poteſt recipere Ordinis characterem.

Dices: Centurioni collatus eſt Spiritus ſanctus ante baptiſmum; ergo &c. ℞. neg. conſ. Licet enim Cornelius, *ante viſibile Sacramentum acceperit Spiritum S. verumtamen nec viſibile Sacramentum contemni potuit*, ait S. P. A. Q. 23. Unde cum aliis baptizatus eſt ex Act. 10. 48. Vide Auctorem c. 23. l. 31. in ℞. ad 3.

Propositio II. Etiam parvuli ſunt Confirmationis capaces.

Prob. I. ex Ep. Innocentii I. ad episc. Eugub. c. 3. ubi legitur : *De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere.* Et in cap. *Si qui* de consecr. distinct. 4. ait : *Si parvuli sunt, respondeant pro illis, qui eos offerunt, & sic per manus impositionem chrismate communiti Eucharistiæ admittantur.* II. De parvulis etiam loquitur Gregorius M. in ep. ad Jan. S. P. A. tract. 6. in 1. Joan. Epist. III. in Ordine Roman. tit. de Sabbat. S. habetur : *Pontifex egreditur a fonte, & cum vestiri fecerit infantes, confirmet eos.* Eadem habet Sacram. Gregorii. IV. Græci etiamnum conferunt una cum baptismo Confirmationem. V. Accedit, quod Baptismi & Confirmationis capaces sunt omnes, qui spiritalem vitam, ejusque perfectionem suscipere possunt ; ergo &c.

Quæres : an modo infantes post baptisma sint confirmandi, & cur id modo non fiat? ℞. ad I. expectandum esse rationis usum, nisi ob urgentem aliquam causam aliter episcopo videatur. Nam septennes esse confirmandos statuunt Synodi Coloniensis, tres Mediolanenses, Aquensis, Narbonen. apud Alex. & Martene. Adde Sacram. Ambrosii, Manuale Salisburg. Camerac. Bonon. apud. Poncium, & Catech. Rom. Ad II. ℞. id modo non fieri, quia ante hoc tempus pueri apti non videntur ad pugnam, fiebat autem in primis Ecclesiæ sæculis causa persecutionum, & quia solemni baptismo aderant ut plurimum episcopi.

Propositio III. Confirmandi sunt etiam ægroti, amentes, & energumeni.

Prob. I. pars I. Concil. I. Paris. VI. lib. 1. c. 33. ait : *Infirmis & morte periclitantibus, sicuti baptismatis gratia succurendum ; ita incunctanter donum Spiritus sancti est tradendum.* II. Sacramentarium Ambrosii de parocho ait : *Ægrotos nondum confirmatos archiepiscopo denuntiabit, ne ingravescente morbo*

to fine hoc Sacramento decedant. III. Accedit ratio: nam in morte armari quisque debet adverſus dæmonum oppugnationes, ſive, *ut morituri in reſurrectione perfecti appareant*, ait D. Th. q. 72. art. 8. Prob. II. pars. Si enim amentes lucida habeant intervalla in his debent confirmari, ſi vero ſint perpetuo amentes, vel in amentiam inciderint, gravi culpa inquinati, cum nequeant effectum Confirmationis percipere, non ſunt chriſmandi. Prob. III. pars. Nam energumeni virtute Confirmationis frangunt vires dæmonum. Nam præceptor Malachiæ inungens puerum *lunaticum* chriſmate illum ſanitati reſtituit, eoque magicas vicit incantationes vir Chriſtianus.

Propositio IV. Si confirmandus ſibimet conſcius ſit lethalis culpæ, debet confeſſionem ſacramentalem emittere.

Prob. Laudat enim Martenius decreta ea de re Odonis Pariſien. Herardi Turonen. Guilelmi Maclovien. & Synodorum Colonien. Lingonen. Senonen. Carnoten. Pariſien. Adde ſtatuta Eccleſiæ Ædicenſis, Cadurcen. Rutenen. Conſtantien. Leodien. Burchardus l 4. c. 60. affert hunc canonem: *Ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur confeſſiones facere prius, ut mundi &c.* Sacramentale Ambroſ. pag. mandat, ut confirmandi *confeſſionis præſtitæ teſtimonium ſcriptum præbeant.* Catechiſmus Romanus c. 3. *non ſolum fidem & pietatem eos afferre jubet, ſed etiam ut peccata prius confiteantur.* Item ſtatuit Manuale Cameracen. Saliſburgen. Vide Notif. Benedict. XIV. ubi plures hujusmodi profert definitiones.

Oppon. I. In laud. definitionibus confirmandi *admonentur*, non jubentur confeſſionem præmittere; ergo &c. II. In iisdem definitionibus præſcribitur etiam jejunium, ſine quo obtineri poteſt Confirmationis effectus; ergo a pari. R. ad I. neg. conſ. *Nam admonitiones* illæ aut non excludunt præceptum, aut vim habent ſolum, ubi deſit copia

confessarii : præscribunt enim ii canones *compunctionem animi*, & confitendi propositum, quæ sincera non sunt, si contemnatur, ubi haberi potest, confessarius. Ad II. neg. conf. Nam Confirmationis effectum non ita impedit comesse, quomodo gravari peccato mortifero, nec valet consecutio : possunt Sacramenta vivorum rite suscipi a non jejuno ; ergo & a mortuo.

Propositio II. Debet confirmandus esse fidei rudimentis instructus, oratione, & jejunio munitus.

Prob. I. pars. Nam Rhemense Concilium n. 3. eos admonet : *Ut symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam memoriæ mandent.* Burdigalense mandat episcopis, ut hujus Sacramenti vim populo explicent. Bituricense can. 4. jubet a confirmandis symbolum recitandum ; ergo &c. Prob. II. pars. Ex Sacramentario S. Caroli p. 54. de confirmandis, ubi ait : *Imprimis ardentiori orationis studio devote se exerceant exemplo sanctorum Apostolorum, qui dum expectarent Spiritum S. perseverantes erant in oratione & jejunio*; ergo &c. Prob. III. pars. Testatur enim Benedictus XIV. in literis pastoralibus Bononiæ datis per 12. sæcula in Ecclesia servatum, ut jejuni tantum confirmarentur : cujus rei testem profert Magistrum sententiarum, qui obiit die 20. Julii ann. 1164. quique scribit in 4. dist. 7. n. 4. *Hoc Sacramentum a jejunis accipi, & jejunis tradi debet.* Pontificale R. §. 7. tit. 1. ait : *Confirmandi deberent esse jejuni.* Idem statuit in sua synodo Benevent. Card. Ursinus, postea Benedictus XIII. dicens : *Laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, ut nonnisi jejuni Confirmationis Sacramentum suscipiant, S. Synodus tenendam hortatur.* Idipsum statuit in Concilio R. ann. 1725. tit. 26. c. 4. nempe ut ministretur *de mane in Ecclesia, & jejuni jejunis conferant* ; ergo &c.

Opp. Fervaquez *contrarium usum*, præsertim quoniam modo sæpe post meridiem fit Confirmatio *seorsim a baptismo, & communione.* Verum liquet ex dictis usum administrandi Confirmationem post meridiem esse adversus veterem disciplinam, universalem non esse, neque præscriptum tantum ratione Communionis. Hinc Sacramentarium S. Caroli præcipit, ut chrismandi *bene mane in Ecclesiam conveniant, ut hora tertia confirmari possint.* Et Aquensis Synod. n. 6. ait: *Studebit episcopus hoc Sacramentum hora tertia ministrare, quæ hora ex antiquo usu stata est hujus Sacramenti, nisi necessitas aliud suadeat.* Licet ergo fateamur, posse Confirmationem quovis tempore ministrari, nec ignoremus ex D. Thom. q. 72. non esse coarctandum tempus episcopis in ampla præsertim diœcesi, ubi tamen congrue observari potest, *convenientius est,* ait S. D. *ut a jejunis detur & accipiatur.*

CAPUT IV.

De necessitate Sacramenti Confirmationis.

Neminem, secluso contemptu, peccare mortaliter, si non confirmetur, asserunt plurimi casuistæ. Patres autem, canones, & graviores Theologi summopere commendant hujus Sacramenti necessitatem. Nam I. Cyprianus ep. 70. ait: *Ungi necesse est eum, qui baptizatus est, ut habere in se gratiam Christi possit.* S. P. A. l. 17. de C. D. c. 14. ait: *Christianos non recte vocari chrismate non unctos,* Greg. M. l. 14. Ep. 17. jubet confirmari eos, de quibus dubitatur confirmatos non esse: *Ne talis dubitatio ruina fidelibus sit.* II. In cap. *Omnes* de Consecr. dist. 5. hæc habentur: *Omnes fideles per manus impositionem Spiritum S. post baptisma accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* In Can. *Ut jejuni* habetur: *Numquam erit Christianus, nisi Confirmatione episcopali fuerit chrismatus.* In

Sacram. Ambr. & in Conc. Mediol. IV. legitur: *Illis timendum valde, qui extiterint in Confirmationis Sacramento suscipiendo negligentes.* Eadem habent Hugo Vict. S. Thomas, S. Bonaventura, Gersonius, aliique graviores Theologi. Ex his tamen non sequitur, baptizatos infantes acerba morte præventos e regno cœlorum excludi. Qua de re sit

Propositio I. Sacramentum Confirmationis non est necessarium *necessitate medii*, sed tantum *necessitate præcepti*.

Prob. I. pars ex Hieronymo, qui ait, salutem consequi etiam eos, qui *in vinculis, ac remotioribus locis* pie fatis cedunt, priusquam ab episcopis invisantur. Idem statuit can. 77. Syn. Illiber. Putant nonnulli Confirmationem esse necessariam necessitate medii, non ad consequendam salutem, sed ut quis sit perfecte Christianus, quod probant ex D. Th. 3. p. q. 62. ubi ait: *Sicut nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius.* Potest tamen D. Thomas cum Suaresio intelligi de voto Confirmationis urgente persecutione, aut instante martyrio.

Prob. II. pars I. ex auctoritate Cypriani supra laud. ubi ea verba: *Necesse est, oportet, debent* sonant vim præcepti, saltem relate ad eos, qui ineunt pro fide certamina, periculisque jactantur. Et in cap. *Spiritus S.* de Consecr. dist. 5. habetur: *Quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Huc spectant testimonia supra producta. II. Ex auctoritate celebriorum Theologorum Estii, Nat. Alexandri, Juenin, l' Herminier, Tournely, Bas. Poncii, Fervaquesii, Vanroy, Gavardi, præter eos, quos supra laudavimus. Imo Sylvius censet, non excusari a peccato, qui urgente persecutione Confirmationem negligeret: & Benedict. XIV. in Const. de Rit. Græc. §. 3. decla-

clarat, confirmandos ab episcopo monendos esse, gravis peccati reatu teneri, si Confirmationem negligant. III. Accedit ratio: videtur enim summa præsumptio in re tanti momenti, qualis est Christum confiteri, & in tanto discrimine remedia efficacia ad hoc instituta contemnere.

Opp. I. Nullum est in sacris literis, vel apud PP. hujus præcepti vestigium. II. Confirmatio suppleri potest unctione verticali; ergo &c. R. ad I. neg. ant. Non desunt enim docti viri, qui hoc præceptum deprehendunt in Act. 1. & 8. ubi jussi sunt Apostoli: *Ne discederent ab Jerosolymis, sed expectarent promissionem Patris*, nempe Spiritum S. Nec desunt, qui hoc præceptum inferunt ex praxi Ecclesiæ, cujus nullam ab Apostolorum ævo invenimus institutionem, & proinde est a Christo. Sed etsi nullibi extaret hujusmodi præceptum *explicitum*; esset tamen *implicitum*, ubi urget persecutio, aut tentatio, cum constet, ad ea superanda Confirmationem fuisse institutam. Ad II. dist. ant. Suppleri potest, ubi hæc nequit haberi, conc. secus, neg. Non enim sequitur, confessionem non esse præceptam, ex quo per interiorem cordis contritionem, ubi illa nequit haberi, suppleri possit. Vide auctorem.

Propositio II. Peccant mortaliter, qui hoc Sacramentum contemnunt.

Prob. I. ex dictis, quibus accedit Synodus Rhothomagensis, Turonensis, Aquensis, Narbonen., Burdigalen. in quibus monentur episcopi, parochi, fideles ipsi: *Ut omni cura & diligentia* aut suscipiant hoc Sacramentum, aut fideles ad illud suscipiendum adducant: sed hæc hortamenta non possunt rem parvi momenti respicere; ergo &c. Prob. II. ex ipsis benignioribus Theologis, qui, licet opinentur nullum extare Confirmationis præceptum, eam tamen adhibent exceptionem, modo absit contemptus; ergo &c.

Quæres I. Quisnam Confirmationis contemptor dicendus sit?

℞. Non eos tantum, qui illud spernunt tanquam inutilem ceremoniam, quod redolet crimen hæresis & sacrilegii, sed illos etiam, qui nullo legitimo impedimento detenti, episcopo præsente, & hortante negligunt consignari. Prob. I. Scotus enim in 4. dist. 7: explicans, quid sit contemnere Confirmationem, ait: *Judicaretur contemptus, si omnimoda opportunitate oblata non susciperetur.* Hinc S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 3. ait: *Si quis, cum habet locum, & tempus, & opportunitatem negligendo contemnit, periculo se exponit.* Idem Franciscus Henno, licet benignus auctor q. 9. concl. 3. hunc contemptum exponit: *Non tantum de contemptu formali, qui semper est mortalis, sed etiam virtuali, qui censetur adesse, quando res potest sine ullo incommodo obtineri, & tamen negligitur.* Et Concilium Senonen. ait: *Confirmationem contemni, quando episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere.* Merito ergo Academia Parisiensis ann. 1625. hanc propositionem, ut *scandalosam* proscripsit: *Omnes Theologi dicunt, Confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest, vel, ut alii dicunt, sine ullo prorsus incommodo.* Tandem exponit se se periculo peccandi, qui infirmitate circumdatus, lacessitus ab hostibus, undique irretitus illecebris &c. media necessaria ad vincendum, dum exhibentur, rejicit & aspernatur; ergo peccat.

Quæres II. Quinam debeant ad Confirmationem accedere?

℞. I. Qui ad negandam Christi fidem ab infidelibus provocantur. Nam de Novato narrat Eusebius l. 6. c. 36. ob Confirmationem neglectam, *persecutionis tempore negasse se esse presbyterum.* II. Commorantes inter hæreticos, aut in periculis constituti pessundandi fidem, & mores. Hinc Synodus Rhemensis Tom. 15. Conc. pag. 891. statuit,

Con-

Confirmationem non esse prætermittendam, *hoc tam calamitoso, & hæreseon pleno tempore.* III. Tonsura initiandi, ex Trid. sess. 23. c. 4. de Ref. ubi statuit: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint:* quod sane vim præcepti habere censemus cum Basilio Poncio, Fervaquesio, Vanroy, aliisque nostratibus, non consilii, ut putant Navarrus, Soto, Suarez, Salmant. &c. ex quorum laxa interpretatione sacrorum Conciliorum præcepta omnia eludi poterunt, & contemni. Adde, recipientes *coronam in capite* in Dei sortem mancipari: ergo debent præ aliis christianæ militiæ insignibus, armisque instrui.

IV. Probabiliter etiam, & ex quadam decentia ad Confirmationem tenentur, qui professionem religiosam emittunt. Nam isti ex Basilio Serm. 1. Commonit. ad vitam Mon. *Nervos omnes ad rerum adversarum tolerantiam* intendere debent, *& forti animo* ad pietatem sese conferri. Idem de S. virginibus judicium esto. V. tandem ii omnes, qui parato episcopo possunt ab eo confirmari. Peccant ergo lethaliter, qui ad ætatem longævam differunt hoc Sacramentum, nam ex sacris litteris constat, *cum recepisset Samaria verbum Dei,* statim eo profectos Apostolos, ut impositione manuum baptizatos confirmarent: Ecclesiam vero de confirmandis adeo fuisse sollicitam, ut aliquando non confirmatis Eucharistiam denegaret ex Martenio tom. 1. antiq. Rit. p. 237.

DISSERTATIO III.

De effectibus ritibusque Sacramenti Confirmationis.

Agemus hoc loco de præcipuis Confirmationis effectibus, de gratia nempe & charactere, tum de variis ritibus, quibus confertur.

CA-

CAPUT I.

De gratia Sacramenti Confirmationis.

Gratiam hoc Sacramento conferri negarunt Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus &c. censent enim per Apostolicam manus impositionem collatum esse solum donum linguarum, non sanctificantis gratiæ decorem. Quidam ex adverso putarunt, hoc Sacramento conferri primam gratiam, & peccatum originale deleri, ut Raymundus Lullus. Alii justificari per ipsum hæreticum ad catholicam redeuntem, ut Morinus. Quid vero hac de re sentiamus sequentibus declarabimus.

Propositio I Sacramento Confirmationis confertur gratia sanctificans.

Prob. ex dictis Prop. I. Cap. I. hujus libri, ubi ostendimus I. Apostolos impositione manuum dedisse Spiritum S. quem ex Aug. conferunt etiamnum episcopi, licet non conferant donum linguarum. II. Ostendimus, ea impositione datam fuisse virtutem *Spiritus supervenientis ex alto.* III. ostendimus, Spiritum S. omnibus renatis per illam fuisse collatum, non vero dona linguarum. IV. ad Samaritanos missum Joannem, & Petrum, licet Philippus inter illos plura miracula patraret. V. Ex Conciliis & PP. omnium sæculorum ostendimus, neophytos episcopali consignatione accipere Spiritum S. perfici, confirmari, fieri unctos Dei, & cœlesti suavitate perfundi. Ex quibus sic arguitur: Gratia in Ecclesia perseverans, & a temporario dono linguarum distincta, communis omnibus sancte confirmatis, eos perficiens, & muniens est gratia *sanctificans, & gratum faciens*, sed talis est gratia Confirmationis; ergo &c.

Propositio II. Hæc gratia confert perfectionem, robur, & firmitudinem.

Prob. I. Ex can. 38. & 77. Illib. in quo statuitur, baptizatos per Confirmationem *perfici.* Florent.

rent. Conc. To. 13. Lab. p. 536. *Effectus*, inquit, *hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus S. ad robur, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen.* Idem statuitur in Synodo Narbonen. ann. 1609. in cap. *Spiritus S.* & in cap. *Cum venisset.* Prob. II. ex PP. Tertullianus de Resurr. carn. c. 8. ait, signari carnem, *ut anima muniatur.* Auctor Serm. de Unct. chrism. ait: *Hoc oleo uncti cum spiritalibus nequitiis colluctamur.* Cyrill. Jeros. cat. 3. ait: *Adversus contrarias virtutes dat potestatem, ut induti thoracem justitiæ fortiter adversus insidias diaboli consistamus.* Prob. III. ex iis, qui de Ecclesiæ ritibus pertractarunt. Nam Isidorus l. 2. c. 25. ait: *Ideo post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.* Rabanus Maur. l. 1. c. 30. ait: *Spiritus S. traditur, ut*, baptizatus, *per Spiritum S. roboretur.* Sacramentarium Ambrosii per hoc Sacramentum ait infundi *Spiritum sapientiæ & virtutis*, & alia Spiritus S. dona.

Prob. IV. ratione: congruum est enim, ut sicut per baptisma spiritaliter vivificamur, ita per Confirmationem perficiamur, ut prælium Christi, veluti ejus milites, fortiter dimicemus. Ita ratiocinatur S. Thomas 3. p. q. 72. & Catech. Rom. p. 2. c. 3. n. 20.

Propositio III. Differt autem, & perfectior est gratia baptismi, non *absolute*, sed *comparative.*

Prob. I. pars. Ex D. Thom. 3. p. q 72. art. 7. ubi ait, gratiam Sacramentalem *addere supra gratiam gratum facientem aliquod effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum*, & D. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 2. q. 2. ait: *In Sacramentali gratia est gratia gratum faciens, & effectus Sacramenti, & in quantum gratum faciens una est, sed ratione effectuum distinguitur.* Nam gratia baptismi delet originale peccatum, & gratia Confirmationis vires adauget, & habet effectum alium a virtute baptismi, nempe *ablationem pusillanimitatis*, ait ib. D. Bonav. Hinc patet, gratiam Confirma-

tionis

tionis non esse *absolute* perfectiorem gratia baptismi, cum majus sit regenerari, quam confirmari, sed quatenus regeneratione supposita, melius est hominem reddi robustum ac fortem, quam imbecillem. Hinc S. Bonav. loc. cit. ait: *Comparatio harum gratiarum potest fieri dupliciter, uno modo cum præsuppositione, & sic major est gratia Confirmationis, quam baptismalis. si autem intelligitur præcise, ut hæc gratia, quæ additur, sit major vel minor, dicendum quod non est tantæ efficaciæ, quia vivificare mortuum major gratia est, quam vivificatum sanare, vel fortificare: sed cum præsuppositione majus est esse vivum & sanum, quam vivum tantum.*

Propositio IV. Confirmatio non confert primam hæreticis resipiscentibus sine pœnitentia.

Est contra Morinum: qui I. falso supponit, *impositionem manuum*, qua admittebantur hæretici, esse Confirmationis Sacramentum, quod, etsi verum esset, inde tamen non sequitur, ei præmittendam non esse exomolegesin, quam necessariam esse ad Confirmationem constat ex Prop. 1. c. 4. Diss. præc. II. Nec recte profert S. Thomæ, Cajetani, Soti &c. testimonia, qui ajunt, hoc, & alia Sacramenta *vivorum* justificare, dummodo suscipiens *bona fide reputet se esse contritum*; si ergo hæreticus, aut quivis alius sit patrati criminis conscius, justificari non poterit. Prob. I. Nam gratia Confirmationis est baptismalis gratiæ augmentum & perfectio; ergo, nisi antea renascatur, & spiritalem vitam percipiat, nequit homo recipere gratiam istius Sacramenti.

Prob. II. Ex D. Thom. a Morino laudato q. 72. art. 7. ad 2. *Hoc Sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit, & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam, nisi per pœnitentiam reparatis.* Deinde in Morini sententia falsum erit, *Sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium esse*, ut definit Trid. Syn.

Sess.

Seff. 14. c. 2. In ea enim per Sacramentum Confirmationis absque pœnitentia poſſet quisque a peccatis ſolvi poſt baptiſmum commiſſis ; ergo Confirmatio ſine pœnitentia, ſaltem in voto, non confert gratiam primam.

CAPUT II.

De charactere Confirmationis.

Confirmationem imprimere characterem negarunt Armenopolus, Jobus monachus, Cabaſilas, & Gabriel Philadelph. apud Arcudium. Sit itaque

Propositio I. Confirmationis Sacramentum imprimit characterem, & iterari nequit.

Prob. I. ex 2. Cor. 1. *Unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus S. in cordibus noſtris*, ubi græcum σφραγίζειν idem eſt ac *impreſſo ſigillo inſignire.* Prob. II. traditione. Auctor Conſt. Ap. l. 3. c. 16. ait : *Cum decenti gravitate collatio ſigilli infrangilis peragatur :* quæ de Confirmatione accipienda eſſe cum Eſtio & Poncio conſtat ex verbis proximis : *Et poſtea epiſcopus ungat eum chriſmate.* Cyprianus ep. 73. ad Jub. ait, baptizatos *confirmari, ut Spiritum S. conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* Hinc Auctor Serm. de Abl. pedum oſtendit, hoc Sacramentum iterari non poſſe. S. Ambroſius l. 3. de Sacr. illud appellat *Spiritale ſignaculum.* S. P. A. l. 2. contra Petil. c. 104. ait, permanere *in hominibus peſſimis*, quod de charactere tantum accipi poteſt. Theodoretus *ſigillum, notamque regiam* illud appellat : ergo &c.

Prob. III. Ex definitionibus Eccleſiæ. Gregorius M. in ep. 17. ad epiſcopum Meſſanen. vetat, ne Baptiſmus, aut Confirmatio repetatur. Idem ſtatuerunt Greg. II. Innocentius III. Concilium Toletanum VIII. ann. 657. Cabillonen. II. ann. 813.

813. Florentinum vero in Decr. unionis: *Inter Sacramenta*, ait, *tria sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem imprimunt in anima, idest signum indelebile.* Idem statuit Trid Seff. 7. can. 9. Prob IV. ratione. Nam Confirmatio confertur per modum consecrationis, atqui *semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere*, ait Auctor Serm. de Abl. ped. ob quam rationem probat S. P. contra ep. Parm. Baptismum & Ordinem iterari non posse; ergo &c.

Dices: Confirmationem iterantes non fiunt irregulares, ut fiunt iterantes baptismum; ergo &c. ℞. neg. conf. Nam irregularitas contrahitur tantum in casibus jure expressis, pœnæ autem sunt restringendæ non ampliandæ, vide Sylvium q. 2. 3. p. art. 5.

Propositio II. Ritus, quo olim hæretici recipiebantur in Ecclesia, non erat repetitio hujus Sacramenti.

Not. Non hic agimus de hæreticis invalide baptizatis, quales erant Montanistæ, Eunomiani, & Gothi Ariani, quos resipiscentes iterum baptizari, & confirmari oportuit; nec de iis, qui numquam fuerant confirmati, ut de Novatianis scribunt Pacianus, & Theodoretus; sed agimus de hæreticis baptizatis, & confirmatis in hæresi. Hæreticos omnes promiscue receptos impositione manus *confirmatoria* censuit Sirmondus, idem de baptizatis & confirmatis in hæresi asserit Maldonatus, & Morinus; sed oppositum nobiscum sentiunt Bellarminus, Arcudius, Petrus Aurelius, Lupus, Fervaquez, Juenin, Tournely, l'Herminier, Gotti &c. quibus subscribimus.

Et prob. I. Decreto Stephani Papæ contra Rebaptizantes: *A quacumque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*, sed hæc impositio manus in pœnitentiam est *reconciliatoria, non confirmatoria*,

ut

ut infra ex Cypriano & Augustino ostendemus; ergo &c.

℞. Morinus: Stephanum voluisse, ut hæretici reciperentur per manus impositionem *in Spiritum S.* non, *in pœnitentiam*. Sed fallitur, nam S. Cyprianus sæpe hoc decretum repetens in ep. 74. semper legit: *in pœnitentiam*. II. Idem Morinus, ex Cypriano, ex Crescente Cirtensi, & ex ipso Aug. fatetur, in Ecclesia baptizatos recipi per impositionem manus reconciliatoriam *in pœnitentiam*, atqui idem dici debet de baptizatis in hæresi, quos *suscipi in Ecclesia per manus impositionem sub imagine pœnitentiæ*, ait Innoc. I. Ep. 18. ergo &c. III. Donatistæ Schismatici non recipiebantur impositione manuum *confirmatoria* ex Optato Milev. & Aug. qui Baptismum & Confirmationem ab iis latam non iterarunt; ergo extra Ecclesiam baptizati, non impositione manus *confirmatoria*, sed *reconciliatoria* recepti sunt. Unde: *Reconciliatio* dicitur in Pontificali, in Breviario fidei a Sirmondo edito, in literis Rufini ad Macarium, & in aliis monumentis a Lupo collectis.

IV. Sententia opposita nititur canone 8. Arelaten. ep. 1. Siricii ad Himer. Innocentii ep. 22. Leonis 135 & Vigilii 2. ad Eutherum, ubi redeuntibus ab hæresi præscribitur impositio manus, *ut accipiant Spiritum S.* sed hæc de sola impositione manus *ad pœnitentiam* accipi debent: ergo &c.

Prob. min. Nam ea manus impositio non dabat resipiscentibus hæreticis Spiritum S. vi sua, & per se, ut faciunt Sacramenta, sed *quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, ut jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat*, ut docet S. P. l. 1. de Bapt. c 12. & D. Thom. 3. p. q. 69 ergo &c. Hinc Siricius Ep. cit. ait, hæreticos resipiscentes *manus impositione catholicorum conventui sociari*. Innoc. I. illis tribuit *laicam tantum communionem*, per quam nullo frui poterant clericatus honore; cum apostatæ, *si longa*

pœnitentia abolevissent crimen apostasiæ, suscipere possent ordinationem Ecclesiasticam. Idem est sensus S. Leonis ad episcopum Ravenn. ubi negat, *ab hæreticis baptizatum esse rebaptizandum, sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferendum, ut per episcopalem manus impositionem virtutem Spiritus S. consequatur*: ubi virtus Spiritus S. est gratia baptismi, quam reconciliatus consequitur per impositionem manus; quia per hanc unitus Ecclesiæ jam ei prodesse incipit, quod antea non proderat. Quid enim *defuit* in baptismo ab hæreticis collato, nisi unitas, extra quam prodesse non potuit, nam si defuit etiam Confirmatio, hæc datur, non iteratur.

V. Tandem Vigilius in ep. ad Eleut. c. 3. asserit tantum, rebaptizatos ab Arianis reconciliari, non per *illam impositionem, quæ per invocationem S. Spiritus operatur, sed per eam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur*, & S. communionis restitutio perficitur; ergo impositio manus in hæreticis resipiscentibus contulit Spiritum S. ratione unionis Ecclesiæ, non vi repetitæ Confirmationis, hinc S. P. defectum illius impositionis ait culpa vacare, & solum imponi *propter caritatis* copulationem.

Ob. I. Can. 8. Nicæno statuitur, ut Novatiani, si venerint ad Ecclesiam, *impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant*; ergo &c. II. Can. 7. Constant. I. *Arianos & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos &c. unctos primum S. chrismate, & frontem &c. & eos signantes dicimus, signaculum doni Spiritus S.* ubi materia & forma Confirmationis exprimitur; ergo &c. III. Basilius in epist. ad Amphil. statuit, ut qui ex hæreticorum *baptismo ad nos accedunt, chrismentur a fidelibus*; ergo &c. IV. In Euchol. Græc. habetur *Reconciliatio scripta a S. Methodio*, ubi statuitur, recipiendos hæreticos unctione chrismatis his verbis: *Signaculum doni &c.* quæ est forma Confirmationis, eaque formula extat in codice Barberi-

no,

no, Cryptoferratensi, & Parisiensi regio; ergo &c.

℞. ad I. neg. conf. Nam de impositione *confirmatoria* ibi ne verbum quidem. Lupus enim tom. 1. p. 49. ita exponit canonem illum: *Novatiani jam ordinati, si ad Ecclesiam redeant, in clero permaneant.* Ad II. ℞. I. viros doctos merito suspicari, canonem hunc esse suppositititium. Nam *Sabbatianorum* nomen, teste Socrate l. 5. c. 21. est Synodo Constantinop. posterius. Deest in Arabica paraphrasi, & canones 4. ibi tantummodo numerantur.

℞. II. neg. conf. Novatiani enim ex Theodoreto l. 3. H. Fab. c. 5. iis, quos baptizabant, *SS. chrisma non præbebant, quapropter eos laud. PP. inungi præceperunt.* Porro Sabbatianorum hæresis Novatianæ surculus erat, & Balsamon utramque confundit; cum ergo ab his confirmatio negligeretur, idem dicendum de aliis hæreticis. Quis enim sibi persuadeat, a Macedonianis hoc Spiritus S. signaculum non fuisse neglectum, aut ab iis præscriptam formulam non esse vitiatam? Ad III. neg. conf. I. enim nequit his verbis ostendi loqui S. D. de chrismatione Sacramentali. II. credibile est loqui Basilium de nondum confirmatis, ut censet Arcudius, diversimode enim de unctione loquitur ac de baptismo.

Ad IV. neg. conf. I. enim Methodius ille non est S. Methodius a Photio vexatus, sed alius schismaticus, qui vixit sæculo 13. II. Suspicari jure possumus, hanc formulam esse superadditam, cum in pluribus mss. desideretur. Nam Baronius ad ann. 842. hunc recitat Methodii canonem: *Si puer comprehensus fuerit, seu metu, seu inscitia, is propitiationis preces accipiat septem diebus, & octava die lavetur, & chrismate inungatur, ut solent inungi, qui baptizantur*: ubi nulla apparet forma Confirmationis. Constat ergo Methodium loqui de unctione pœnitentiali, seu de ceremonia, per quam lapsi

iterum unirentur Ecclesiæ, & per quam Sacramentum jam susceptum, sublata fœditate discordiæ, vim suam exereret. Cæterum, sive pronuntiarentur, sive non verba illa: *Signaculum doni &c.* non iterabatur Confirmatio, nam si non proferebantur, deerat forma, si proferebantur, cum etiam unio, & catholicæ Ecclesiæ communicatio sit *maximum donum Spiritus S.* ex Aug. l. 3. de Bapt. c. 13. & donum istud conferant sacerdotes reconciliatis hæreticis, idcirco in tali Sacramento minime perficiebatur.

PROPOSITIO III. Nec Augustinus, nec Cyprianus asserunt, reconciliandos venientes ab hæresi per iteratam Confirmationem.

Prob. I. pars ex loco supra cit. de Bapt. II. Supponit Morinus & Maldonatus, baptizatos in Ecclesia, priusquam declinarent in hæresim, esse receptos *per manus impositionem in pœnitentiam. Quod ipse etiam Cyprianus cum cæteris statuit,* nempe cum Crescente a Cirta, Cassio, aliisque PP. Synodi Carthaginen. a Cypriano congregatæ, ex Aug. l. 6. c. 15. atqui S. P. ibidem ostendit, eandem rationem habendam esse de baptizatis in Ecclesia, & in hæresi, probatque integra in utrisque manere Sacramenta; ergo credidit utrosque reconciliandos *per solam impositionem manus in pœnitentiam.* III. Quod ait S. D. de valore baptismi extra Ecclesiam collati, idem asseruit de Confirmatione revincens Petilianum repudiantem Sacramentum chrismatis ab hæreticis collatum, ex l. 2. contra Petil. c. 104. ergo &c.

Dices: S. P. A. l 3. de Bapt. c. 16. ait: *Manus autem impositio, non sicut Baptismus repeti non potest*; ergo repetitur Confirmatio. ℞. neg. cons. Nam impositio manus, quæ potest iterari, non est Confirmatio; hinc de illa statim subdit: *Quid est aliud, nisi oratio super hominem?* ait ergo S. D. manuum impositionem repeti posse, quia non est sacrum signaculum imprimens characterem, ut est

Sacra-

Sacramentum chrismatis, sed oratio, quam episcopus fundebat imponendo manus *substratis*. Adde, S. D. l. 5. c. 20. aperte Confirmationem a reconciliatoria manus impositione distinguere, & in hac esse cooperationem spiritus, & donum caritatis & pacis, cum in impositione manus Apostolorum esset Sacramentum imprimens characterem, *quod habere etiam Simon magus potuit*; ergo &c.

Prob. II. pars. Ideo enim putant nonnulli sensisse Cyprianum hæreticos recipi per manus impositionem *confirmatoriam*, quia in ep. ad Jubaj. ostendit iterandum baptismum, ex quo catholici iterent Confirmationem dicens: *Si baptizari aliquis foris, & remissam peccatorum consequi potuit; secundum eandem fidem consequi Spiritum S. potuit, & non est necesse venienti manum imponi, ut Spiritum S. consequatur & signetur.* Et in ep. ad Steph. pag. 275. ait, tunc redeuntes ad Ecclesiam sanctificari, *si utroque Sacramento nascantur*, idem ait Nemesianus in Conc. Carth. Adde, si verba illa non accipiantur de Confirmatione, posse Novatores ansam arripere dicendi, impositionem manus esse puram ceremoniam, nec a Cypr. admitti chrismatis Sacramentum; sed hæc momenta infirmissima sunt; ergo &c.

Prob. min. Licet enim forte Cyprianus Baptismum & Confirmationem nullam crediderit apud hæreticos; falsum est tamen eum loqui de Confirmatione, ubi de hæreticis recipiendis sermo est. In eo enim deceptus est Cyprianus, quod crederet Stephanum sensisse, adultos ab hæreticis baptizatos remissam consequi peccatorum, unde sic arguebat: si tincti ab hæreticis hanc remissam consequuntur, cur redeuntes ad catholicam expiantur impositione manus, ut sanctificentur; non ergo supponit Cyprianus, hæreticos recipi impositione manus *confirmatoria*, sed falso supponit a Stephano tradi, baptizatos ab hæreticis consequi remissam peccatorum; adeoque ibi non distinguit Cyprianus

inter *characterem & gratiam.* Nec obſtat locus laud. ex epiſt. ad Steph. ſi enim verba illa ſtricte ſumantur, τὸ *ex utroque Sacramento* potius ad baptiſmum & Pœnitentiam, quam ad Baptiſmum & Confirmationem referri debet.

Deinde τὸ *utrumque Sacramentum de aqua, & Spiritu S.* juxta illud Evangelii: *Niſi quis renatus &c.* accipi debet, non de aqua & Confirmatione. Sic enim arguit Cyprianus & Nemeſianus in Carthaginen. Conc. Qui baptizantur ab hæreticis non renaſcuntur ex Spiritu S.; ergo nec valide baptizantur, nec renaſcuntur: id enim fit non *ex aqua* ſolum, ſed *ex utroque Sacramento*, nempe *ex aqua & Spiritu S.*; ergo non loquitur Cyprianus, aut Nemeſianus de Confirmatione, quæ nullibi dicitur regenerationis lavacrum. Nec inde ſequitur poſſe, ex Cypriani verbis Novatores anſam arripere rejiciendi Confirmationem, non deſunt enim ex Cypriano loca clariſſima, quæ illam adſtruant; ergo &c.

Dices: unde conſtat Cyprianum in falſa hypotheſi argumenta ſua contra Stephanum protuliſſe? ℞ ex ipſo Cypriano. Præſcribebat enim Stephanus quoscumque hæreticos *in adunata Trinitate* baptizatos non repetito baptiſmate recipiendos eſſe *ſola impoſitione manus in pœnitentiam*; ſed hoc ipſum ait Cyprianus in ep. ad Quint. de illis, *qui in Eccleſia baptizati prius fuerant*, docens iis, *ſi peccato ſuo cognito ad veritatem redeant*, ſat eſſe *in pœnitentiam manum imponere*; fatebatur ergo Cyprianus, redeuntes hæreticos recipi ex veterum conſuetudine *per manus impoſitionem in pœnitentiam*, non ad Sacramentum confirmationis. Non ergo erat impoſitio manuum, qua recipiebantur hæretici in Eccleſia baptizati, ab ea diverſa, qua recipiebantur baptizati in hæreſi, nam utraque erat ceremonialis & pœnitentialis; ſed iſti facilius veniam & pacem conſequebantur, illi, ut deſertores & apo-

apoſtatæ ad publicam pœnitentiam ſubeundam cogebantur.

Quæres : an inter characterem Baptiſmi & Confirmationis ſit aliqua diſtinctio ? ℞. affirmative : per illum enim datur renato poteſtas, quæ ad ejus vitam & ſalutem ſpectat, per hunc traditur poteſtas ad ſpiritale certamen : per illum traditur ſignaculum civium ſpiritalis Jeruſalem, per hunc Chriſtiani militis nota. Licet enim cuique renato Chriſtiano certandum ſit, chriſmatus tamen difficiliora prælia, etiam cum vitæ diſcrimine & ſanguinis effuſione, pugnare debet. Vide S. Thomam, Eſtium, Poncium &c.

CAPUT III.

De ritibus & ceremoniis Sacramenti Confirmationis.

De his agunt fuſiori ſtylo Durantus, Caſalius, Vicecomes, Martenius, aliique. Plura nos quoque ſupra delibavimus, quæ non opus eſt hoc loco repetere. Sit ergo

Propositio I. In chriſmatis conſecratione recte ſervantur ritus Eccleſiæ Romanæ.

Prob. I. Claudius enim de Vert, qui oppoſitum tradit, cenſet ejus originem non fuiſſe myſticam, eoque Eccleſiam ritum inſtauraſſe Judaicum ; atqui chriſma in conſecrationibus olim adhibitum ex cap. Exod. 30. typus erat Chriſti, quem *unctum* vocat Pſ. 44. eaqui conſecratio legalis erat ſymbolum ſpiritalis ex ep. 1. Joan. c. 2. ergo &c. II. Licet ex Scacchio noſtro Myroth. 1. c. 34. non negemus, athletas unguentis fuiſſe perlinitos, id tamen I. nil derogat S. Sacramentis, ſi aliquem habeant uſum apud profanos, cui inſit aliqua ad Sacramenti rationem analogia.

II. Non ſolum in profanis, ſed etiam in negotiis idololatriæ, ut ait Tertullianus, conſtat dæmonem *æmulanter* affectaſſe res divinorum Sacramen-

torum, quod in unctionibus præsertim factum tradit Tertullianus, commemorans consignationem militum factam a *Mithra* præcipuo sacrorum ministro. III. In chrismatis consecratione culpant hæretici, quod episcopus & presbyteri illud salutant dicentes: *Ave sanctum chrisma*; nam superstitiosum esse, ineptumque putant rei inanimi salutem dicere. Verum ritum hunc V. aut VI. sæculo obtinuisse, ut communem, constat ex Greg. M. ex Ordine Rom. & Pontificali Rhem. Pictavien. &c. Cultus autem ille chrismatis est relativus, non absolutus, & ad Christum, cujus est symbolum, est referendus. De Paula enim refert Hieronymus, cum Bethlehem pervenisset, clamasse: *Salve Bethlehem*: & Andreas alloquens crucem ait: *Salve crux pretiosa*, & in Ordine Rom. de die Paschæ habetur: *Salva festa dies.* Et apud Alcuinum de Urbe legitur: *Salve Roma potens &c.* IV. De chrismate statuitur ut singulis annis sit renovandum, & ut *vetus igni comburatur.* II. ut presbyteri a proprio episcopo chrisma recipiant. Græco-Itali tenentur & ipsi a suo Latino episcopo Chrisma recipere, non vero a schismatico. III. Cautum est, ut chrisma sub sera caute custodiatur. IV. neve pro eo *denarios vel munuscula* Ecclesiarum ministri recipiant.

V. Varios usus chrismatis refert continuator Witassii q. 2. sect. 6. nempe in consecratione episcopi, templi, altaris, calicis, patenæ, campanæ, aquæ baptismalis, in verticali unctione baptizatorum, & in Confirmatione. His adde usum chrismatis in benedictione cerearum imaginum, quas dicimus, *Agnus Dei*: olim quippe chrisma ceræ miscebatur, licet modo infundatur aquæ tantum. VI. Benedictiones, in quibus chrisma adhibetur, a solis episcopis fieri debent, nec possunt ab iis committi presbyteris, sine speciali sedis Apostolicæ privilegio, ex rescripto Sac. Congreg. Rit. die 17. Jan. ann. 1733.

PRO-

Propositio II. Recte etiam adhibentur patrini. Prob. I. ex praxi Ecclesiæ cap. *In Catechiſmo*, & ex cap. *Non plures*, atque ex cap *In baptiſmate* apud Gratianum de Conſecr. diſt. 4. Cujus ritus S. Thomas q. 72. art. 10. hanc profert rationem, quod illi, qui ſeliguntur ad pugnam, debent inſtrui a veteranis in re militari exercitatis. II. In Confirmatione nemo teneri poteſt a patre, matre, vitrico, vel noverca ex Conc. Lond. ann. 1200. celebrato, ex Cabilon. an. 813. & ex Nicolao I. ep. 19. ad Rodulphum Bituricen. epiſc. &c. Quod factum eſt propter cognationem ſpiritalem, quæ contrahitur. *confirmantem inter, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem*, quos limites jam non egreditur ex Trid. Seſſ. 24. de Ref. Matrim. Eadem de cauſa vetat Pontificale Rom. ut nullus teneat, *niſi unum, aut duos, niſi aliter ſuadeat neceſſitas.*

III. Requiritur autem in Patrinis: 1. Ut ſint baptizati & confirmati ex Pontificali Rom. &c. 2. Nec mares feminis, nec hæ viris, nec ſenioribus juniores patrini eſſe debent ex Pontific. Rom. & Synodo Aquenſi. 3. Ut confirmandi & patrini teneant memoriter orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & ſymbolum Apoſtolicum, eaque recitent coram epiſcopo. Norint autem patrini, ſe in tutelam aſſumere confirmatum, eique tradere teneri, quæ probum decent Chriſtianum, eis nomen immutare, ſi turpe ſit, aut ridiculum. Neve iis vel minimum largiantur. 4. Non confirmatus alium ſuſcipiens graviter peccat; contrahit tamen ſpiritalem cognationem ex Sylveſtro, Soto, Sylvio, & tenetur ut ſupra. 5. Patrini infantes in brachiis tenere debent: adulti vero *ponunt pedem ſuum ſuper pedem patrini ſui*, ex Pontificali R. ex Ordine R. Greg. M. &c. Recte ergo S. Carolus in V. Mediol. Synodo ritum hunc appellavit *antiquum*.

Propositio III. Recte etiam adhibetur frontis inunctio.

Prob. I. ex Græcorum usu, qui, ut liquet ex Euchologe. p. 360. ungunt baptizatum *in fronte, oculis, naribus, ore, & auribus*, quarum unctionum congruam significationem exponit S. Cyrillus. Quædam Euchologia addunt unctionem manuum & pedum, sed unctionem hanc veteres omittebant ex Arcudio & Goario. II. Ex usu Latinorum, qui tamen solam adhibent frontis unctionem, quia frons verecundiæ sedes est, & Confirmatio præstat, ne Christi nomen erubescamus, ut docent Florentina Synodus, Catechismus Rom. S. P. A. Innocentius III. D. Thomas, aliique. Quare nec pectus roboris sedes inungi debet, ex D. Thoma, nec os, quo fit fidei confessio. Quoniam fidei confessio, nedum corde, vel ore, sed palam, intrepide, & absque erubescentia fieri debet. III. Cum frons in homine sit pars supereminens, ideo chrismate consignatur, ut Domino cruci affixo se se consignatum, & addictum esse cognoscat, mundique pompas huic unctioni contrarias detestetur. Unde beata Agnes ait: *Posuit signum in faciem meam, ut nullum, præter eum, amatorem admittam.* Et Prudentius in Psychomachia inde nimis cultas carpit mulieres.

Propositio IV. Frons ex veteri consuetudine linea vitta liganda est.

Prob. I. Ex Synodis Mediolan. & Rothomag. & Pontificali Rom. quod non solum præcipit, ut frons nitida sit, ut abluatur caput, & tondeantur capilli, sed etiam ut vittis lineis frons illigetur, donec chrisma exsiccetur. II. Manebat olim frons ligata *septem diebus*, ex Ord. R. ex Hugone Vict. postea *tribus diebus* ex Synod. Beneventana, & Trecensi: ad spatium 24. horarum coarctavit Synodus Carnoten. ann. 1526. sed abstinendum septem diebus a capitis ablutione statuit Lugdunen. ann. 1542. Ita paulatim Ecclesiæ disciplina est immutata. Saltem ca-

cavendum eſt, ut chriſmatis exterſio fiat a ſacerdote adhibito goſſipio ex Synodo Mediolan. V. Bituricen. &c. III. Eadem Synodus ſtatuit, ut hæ faſciolæ crementur & cineres ſerventur in primam diem quadrageſimæ, neque in profanum uſum transferri poſſunt. Si vero in uſum Eccleſiæ deputentur, abluendæ prius ſunt ſale, & aqua in ſacrarium fundenda, lavandæ etiam frontes confirmandorum, cum vittæ auferuntur ex Trecenſi Synodo, Senonenſi, Carnoten. & Pontificali Romano.

Propositio V. Recte etiam confirmatus alapa ab epiſcopo leviter cæditur.

Prob. I. Ex MS. Vaticano n. 4744. & ex alio Angel. Bibliothecæ, quorum ille 400. iſte 500. ann. ætatem ſuperat: utraque vero ritum illum jamdiu inſtitutum ſupponunt. II. Synodi Senonenſis & Carnoten. confirmatis infligi levem alapam tradidere, ut ſuſcepti Sacramenti, & indelebilis characteris memoriam ſervent. Verum Concilium Colonien. Catechiſmus Rom. & S. Carolus, confirmatum leviter cædi ajunt, ut meminerit, ſe ut Chriſti athletam ad omnia pro Chriſto ferenda paratum eſſe oportere, ut Chriſtus, qui ante Caipham alapa percuſſus invicto animo injuriam pertulit. Errant ergo novatores, qui hunc ritum adhiberi putant loco impoſitionis manuum, per quam Apoſtoli conferebant Spiritum S. III. De pace vero ac benedictione hæc habet Catechiſmus Rom. n. 26. *Pax ei datur, ut intelligat ſe gratiæ cœleſtis plenitudinem & pacem conſecutum eſſe.* At de Sacramento Confirmationis hæc dicta ſufficiant.

APPENDIX I.

Superioris lib. XXXII. in quo nonnulla adnotantur circa Confirmationis materiam.

Sacram unctionem, præter manus impositionem, esse Confirmationis materiam necessariam Prob. II. Cap. III. Diss. I. hujus libri ex PP. traditione monstratum est: atque illam in fronte, ubi pudoris est sedes, non autem in ore, vel pectore fieri debere ex D. Thoma Prop. III. cap. præced. satis est declaratum. Constat autem ex Græcorum Euchologiis, nec non ex Latinorum Ritualibus libris, in ea frontis unctione signum crucis esse adhibendum. Quippe meminere hujus ritus Constitutiones Apostolicæ, Cyprianus, ac PP. alii, qui de chrismatis unctione scripsere. Hinc in Euchologio Græcorum legitur: *Baptizatum S. unguento ungit, crucis signum faciens in fronte.* Et in Sacramentario Gregorii: *Pontifex tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte.*

Proinde hanc ceremoniam esse ab Apostolis derivatam, explorata res est, quidquid hæretici obganniant, qui hanc, aliasque sanctissimas ceremonias novitatis ac superstitionis accusant. Imo D. Thomas, aliique scholastici, quos sequitur Bellarminus, ad essentiam sacramenti illam spectare arbitrati sunt. Non desunt tamen viri doctissimi, quibus nos quoque subscribimus, qui licet fateantur nobiscum, hanc ceremoniam ab Apostolis derivatam, atque fidelibus ab iisdem præscriptam esse, aut inculcatam; negant tamen eam esse confirmationis Sacramento essentialem: hæc enim ad modum spectat, non ad Sacramenti substantiam. Graviter tamen peccaret, qui signum crucis in illa unctio-

unctione prætermitteret; ageret enim in re gravi, (in re nempe Sacramentaria) contra receptam consuetudinem, atque præceptum Ecclesiæ, quæ in Florentina Synodo hujus Sacramenti formam in hæc verba præscripsit: *Signo te signo crucis &c.*

Quamvis autem in Græcorum forma signum crucis non exprimatur. Neque hoc signum satis perspicue significet græca vox σφραγὶς, *signaculum*, quæ extat in Græcorum forma, quidquid afferat doctissimus nuperus scriptor, σφραγὶς enim *sigillum* sive *signaculum* dicitur, ut observat cl. Auctor, potius *a charactere*, quem in anima imprimit (teste Eusebio l. 3. H. E. c. 17. & l. 6. c. 35. ubi Clementem Alex. laudat, & Cornelium Rom.) quam ab inungendi ritu, in quo nempe signum crucis adhibetur. Ungendum tamen in fronte baptizatum hoc signo omnes Rituales libri præscribunt, ut supra dictum est. Hujus autem ritus sanctissimi si rationem expostules, præter generalem illam, quæ omnibus Sacramentis ex æquo convenire potest, ut nimirum significetur, a cruce Christi quidquid virtutis habent derivari, est etiam specialis & propria. Cum enim Confirmatio detur ad robur, & gratiam obtinendam, per quam Christi nomen intrepide Christianus profiteatur, æquum est etiam, ut signum illud in fronte gerat, de quo maxime carnales homines erubescunt, quodque Judæis scandalum, gentibus stultitia est, ut observat S. P. Aug. Sermon. 161. de Verbis Apostoli, ubi hæc habet: *Non est magnum in Christi sapientia gloriari, magnum est in cruce Christi gloriari. Unde insultat impius, inde glorietur pius: unde insultat superbus, inde glorietur Christianus. Noli erubescere de cruce Christi: ideo in fronte, tamquam in sede pudoris, signum ipsum accepisti. Recole frontem tuam, ne linguam expavescas alienam.* Et S. Carolus Borro-

mæus

mæus in Actis Mediol. Eccl. p. 4. de Sacr. Confirm. ait, per ſignum crucis oſtendi: *Chriſtianum non verecundia, quæ in fronte maxime elucet, neque metu perterreri unquam debere, quin palam & libere Jeſum Chriſtum cruci affixum confiteatur.* * Porro in unctione illa non oleum quodcumque, vel ex ſolis olivis expreſſum, ſed balſamo permiſceri oportere, a nobis ſuo loco in ſuperioribus monſtratum eſt. Errant proinde Syro-Neſtoriani, atque inter eos quidam Joannes Zugbi, Ebedjeſus Sobenſis, aliique, qui *non in myro optimo* (unguento nempe, vel balſamo) *ut in Eccleſia Occidentali*, ab Apoſtolis traditum eſſe ſacrum chriſma opinantur. Qua in re non ſolum Sacramentum hujusmodi ſuſpectum reddunt, ſed graviter peccant, Occidentales ſumma injuria damnando.

APPENDIX II.

Circa Confirmationis formam.

Validam eſſe Græcorum formam in hæc verba: Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου: *Signaculum doni Spiritus Sancti* Prob. III. Cap. IV. Diſſ. I. hujus libri ex Aſterio, Cyrillo &c. nec non ex Jeremia Patriarcha C. P. fuit demonſtratum. Profert etiam Benedictus XIV. teſtimonium Cardinalis Beſſarionis, qui in ſuo Opuſculo de Euchar. idipſum confirmat canone Concilii C. P. I. *Quamvis autem hæc Cardinalis aſſertio*, ſubdit doctiſſ. Pontifex, *oppugnata fuerit a Lupo, vix tamen erit*, *ut Lupi ſententia plures inveniat ſuffragatores, præ ſententia Beſſarionis, quo certe, ut animadvertit Arcudius l. 2. cap. 7. quæ fiunt in Eccleſia Occidentali circa Sacramentorum adminiſtrationem, præſtantius callere poterat nemo. Arcudio conſentiunt Goarius & Habert, omiſſis aliis,* qui

qui facile cumulari poſſent. Satis hic erit aſſerere, quæ habentur in Synodo Zamoſciæ, ubi agitur de Sacramento Confirmationis: forma quam probata laudant Euchologia hæc eſt: ſignaculum doni &c. eaque ſemel dumtaxat ſimul cum ipſa unctione proferri debet. Hactenus laudatus Pontifex Benedictus XIV. Major difficultas de Armenis occurrit, eo quod in decreto pro iis edito ab Eugenio exprimatur communis forma: *Signo te &c.* Credibile eſt tamen, Eugenium hanc formulam propoſuiſſe quidem, ſed noluiſſe illos ad proprii ritus mutationem obſtringere, cum non appareat, Romanos Pontifices Armenos coegiſſe deinceps ad mutandum hac in re ritum ac formam in Confirmatione adhibendam. In diverſis Ritualibus variæ adhibentur formulæ, ut in Rituali Severi Alex. ubi hæc forma reperitur: *Chriſmate ſancto, ſuavitate odoris Chriſti Dei, ſigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus Sancti obſignatur N. in nomine Patris, Amen, & Filii, amen, & Spiritus S. amen, ad vitam ſæculorum, amen.* Quibus verbis vera hujus Sacramenti formula exprimitur, ac vere perficitur Sacramentum. Formula, quam adhibent Syro-Neſtoriani, quamve adornavit in Ordine abſolutionis apoſtatarum, & receptionis hæreticorum Jeſujabus catholicus apud Aſſemanum Tom. 3. Bibl. Orient. pag. 176. ita ſe habet: *Si autem ſua voluntate fidem deſeruit, indiget trina conſignatione baptiſmi, prima, quæ in prædicta lavatione fit, altera, quæ in fine orationis manus impoſitione peragitur, tertia demum cum illo ſancto oleo in fronte pollice conſignat dicens: Conſignatur talis in nomine Patris &c. Qua in re,* ait laudatus Aſſem. *Neſtoriani præſcriptam a Concilio II. Oecumenico Chriſmatis Confirmationis formam obſervant.* Reapſe ita confirmando dubium non eſt, quin debitam formam adhibeant, cum verba illa per ſe materiam determina-

mina-

minare, ac ſpiritalem hujusce Sacramenti effectum deſignare valeant.

Verum cum conſtet aliunde, Neſtorianos ex prava Canonis 7. Synodi II. intelligentia ſentire, apoſtatas, ac hæreticos promiſcue omnes ad Eccleſiam redeuntes iterum baptizandos: cumque laud. Synodus id pronunciaverit de ſolis Eunomianis, Sabellianis ac Montaniſtis, qui præſcriptam a Domino formam violabant, ſi Confirmationem in recipiendis hæreticis adhibent Syro-Neſt., ut conferant Sacramentum, magno in errore verſantur, ut obſervat Goarius p. 699. cum fides doceat, Confirmationem, non ſecus ac Baptiſma, & Ordinem iterari non poſſe. Cæterum non eſt improbandus ritus ille recipiendi hæreticos ad Eccleſiam redeuntes, juxta præſcriptum illius canonis, quem ex ep. Methodii Patriarchæ de ſuſcipiendis hæret. depromptum exiſtimat laudatus ſcriptor, ſi eo animo adhibeatur, ut non ad Sacramentum perficiendum, ſed ad puram Eccleſiæ ceremoniam referatur: *Nimirum ut hac ſignorum exteriori repetitione, aut amiſſæ gratiæ, quam receperant in Confirmatione, aut nunquam acceptæ propter hæreſim, memores fierent*, ait cit. loco Goarius. Hinc Benedictus XIV. de Syn. diœceſana cenſet in laud. canone non agi de Confirmatione, ſed ceremoniam deſignatam indicari. Fallitur ergo cl. Renaudotius, qui Tom. 2. Liturg. Orient. p. 644. de forma chriſmatis apud Neſtorianos hæc habet: *Ut apud Græcos confertur chriſma dicendo: Signaculum doni Spiritus S. ita Neſtoriano ritu per hæc verba: Pignus Spiritus S. ut diſcimus ex Ordine baptiſmatis Syriaco Mar-Jeſuiab catholici, quem habemus deſcriptum ex Cod. Eliæ ſacerdotis.* Quamvis enim in illis verbis conſtitui poſſit Confirmationis formula, cum ſimilibus verbis paſſim ſignificaverint Patres Confirmationis effectum; falſum eſt tamen verba illa adhiberi a Neſtorianis

nis pro forma Confirmationis, sed potius videtur *ad eam proclamationem accedere*, ait Assem. loc. cit. *quæ apud Syros fieri solet supra ordinatos in diaconos, vel presbyteros: Ordinatus est in Ecclesia sancta talis diaconus vel presbyter. Veluti Nestoriani Pontifices dicunt supra, ordinatos in diaconos &c. Sanctificatus est, consecratus est talis. Quod edictum, seu publicatio peractæ ordinationis potius est, quam forma.*

APPENDIX III.

De Confirmationis Ministro.

Ordinarium hujusce Sacramenti ministrum solum episcopum esse Prop. I. Cap. I. Diss. II. declaratum est. Quo in loco Photii argumenta paucis verbis congesta brevissime refutavimus. Præstat autem hoc loco Græcum Græco opponere; & Photii objecta ipsis Arcudii verbis refellere: qui *Schismatis opificem*, (sic Photium Jo. Metonensis appellat) his verbis perstringit: *Legem quærit Photius: in Dial. adv. Lucif. de hoc Sacramento agens, inquit Hieronymus: Ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Hoc idem responsum sibi habeat Photius. Etsi enim de ea re nullum esset Græcorum canon, facile tamen ex Act. 8. & 19. id colligere potuisset. Non enim temere Petrus & Joannes missi sunt, qui baptizatis a Philippo manus imponerent, ut Spiritum S. acciperent. Et cum alibi scriptura de ministro baptismi nullam mentionem faciat, quippe minister urgente necessitate quilibet esse potest; Paulum tamen imposuisse manus, ut baptizati acciperent Spiritum S., velut ministrum proprium, merito commemorat.* Quam responsionem confirmat non solum auctoritate Chrysostomi hom. 18. in Act. Apost. ubi de collatione Spiritus S. per manus impositionem ait: Τοῦτο γὰρ τὸ δῶρον μόνων τῶν

τῶν δώδεκα ἦν : *Hoc enim erat donum dumtaxat duodecim Apoſtolorum*, quem locum nos quoque in prob. produdimus, ſed etiam Clem. Romani, & Dionyſii Areopagitæ ſummæ apud Græcos auctoritatis. Pergit ſubinde Arcudius Photium ſuis verbis refellere : *Igitur (inquit Photius) neque baptizare omnino licet ſacerdoti. Igitur dicamus nos, neque baptizare in neceſſitatis articulo diacono, aut laico licet. Quia neuter in neceſſitate confirmare poteſt. Pergit Photius : neque ſacrum conficere. Quorſum id ? Quaſi vero neceſſario illud ſit conſequens, ut qui ſacrificat, neceſſario quoque confirmet, vel dimidiatus ſit ſacerdos, ſi confirmare non valeat. Quod ſi Photius colligit, dimidiatum fore ſacerdotem, ſi non confirmet, dimidiatum quoque ſacerdotem fateatur neceſſe eſt, quia ſacros ordines conferre, chriſma conſecrare, & cætera Pontificum munera exercere non poteſt : longe enim perfectior eſſet, ſi hæc præſtaret. O acumen Photianum quam pueriliter ratiocinaris !* Hactenus Arcudius.

Nec obſtat Hieronymi locus, quo in Dial. adv. Lucif. præſertim Dallæus abutitur in ſuo libro de Confirmatione, ubi S. D. ait : *Ad honorem potius ſacerdotii, quam legis neceſſitate obſervari, ut in Eccleſia baptizatus, niſi per manus epiſcopi non accipiat Spiritum S.* Siquidem S. D. his verbis nil aliud ſignificat, ut demonſtrat Arcudius, quam Sacramenti hujus adminiſtrationem, cum abſolutæ neceſſitatis non ſit, ut baptiſma, non debuiſſe cuilibet demandari, ſed epiſcopali honori reſervatam fuiſſe : cum epiſcopi dignitas hinc plurimum commendetur, quod veluti Chriſtianæ militiæ dux baptizatos hoc Sacramento perficiat. Cum enim Sacramento Confirmationis deputetur homo ad Chriſti fidem fortiter profitendam, ſatis conſtat, ait S. Thom. qu. 65. art. 3. *Solius epiſcopi eſſe, qui eſt quaſi princeps in Eccleſia, hoc Sacramentum conferre, cum nonniſi prin-*

cipis

cipis sit milites conscribere. Quibus verbis & os Photio ac Dallæo prorsus obstruitur, & catholicum dogma validissima ratione firmatur.

Merito ergo in Synodo Nationali Maronitarum, quæ in monte Libano coacta an. 1736. a Benedict. XIV. sua auctoritate firmata est ann. 1741. hæc ad rem nostram statuta sunt: *Majores nostri statim post baptismum tam infantes, quam adultos consueverunt sacro chrismate perungere; idque per simplices sacerdotes etiam, quibus Patriarchæ & episcopi hanc facultatem concesserant, quemadmodum ex Ritualibus apparet. Quia vero Patriarchæ nostri Latino ritui consentientes decreverunt, ut deinceps nemo, nisi episcopali dignitate præditus, Sacramentum Confirmationis administraret, ideo mandamus omnibus parochis, archipresbyteris, chorepiscopis &c. ne audeant in posterum baptizati frontem sacro chrismate perungere, & verba illa, quæ ad Confirmationis Sacramentum, adeoque ad episcopum, tamquam ordinarium illius ministrum spectant, recitare; sed illis omissis intingant pollicem in sacro chrismate, & ungant baptizatum in summitate capitis, dicentes orationem ex Rituali Rom. desumptam, quæ sequitur: Deus omnipotens pater D. N. J. C. &c.* Et cap. 4. de Sacram. Confirm. can. 2. ait: *Quia vero tam in nostra, quam in reliquis Orientalibus Ecclesiis antiquus mos obtinuerat, ut statim post baptismum etiam Sacramentum Confirmationis conferretur, quemadmodum a Concilio Laodiceno præscribitur, hac tamen in re servandum præcipimus, quod dudum a Reverendiss. Patriarchis injunctum est, ne simplices sacerdotes de cætero præsumant hoc Sacramentum administrare, sed illum episcopi dumtaxat conferant; illum Trident. Synodi canonem præ oculis habentes: Si quis dixerit Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.* Merito ergo Benedictus

XIV. in sua Constit. *Etsi Pastoralis* presbyteris Italo - Græcis expresse vetuit, ne baptizatos chrismate consignent. Ex quibus omnibus assertio nostra stat sua soliditate firmissima, & schismaticorum atque hæreticorum calumnia nullo negotio dispellitur.

LIBER XXXIII.

De sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

POSTQUAM Sacramento Confirmationis, quod olei pinguedine significatur, impressit Dominus signaculum gratiæ, & sanctificationis sigillum, instruit eis *mensam*, in qua aluntur Filii hominis carne, & sanguine inebriantur. Cum ergo in superiori libro de Sacramento chrismatis egerimus, nunc de Eucharistiæ mysterio disputabimus. Ac I. quidem de ejus institutione & essentia. II. De reali Christi Domini in Eucharistia præsentia. III. De ministro, subjecto, ac ritu hujusce Sacramenti. IV. Tandem de incruento Missæ sacrificio breviter verba fient.

DISSERTATIO I.

De Eucharistiæ institutione, materia, ac forma.

Eucharistiam esse novæ legis Sacramentum, nedum catholici, sed etiam hæretici asserunt, qui duo tantum Sacramenta recipiunt baptismum nempe, & Eucharistiam. Hanc autem ita definimus cum cl. Auctore: *Eucharistia Sacramentum est, in quo sub panis vinique speciebus Christi corpus & sanguis continetur ad spiritalem animarum nostrarum refectionem.* Constat autem Eucharistiæ Sacramentum & *visibili specie elementorum*, & *invisibili*

Domini

Domini noſtri carne & ſanguine, non autem in ſola Symbolorum conſecratione, aut ſumptione conſiſtit. Ac primum eruitur ex cap. *Hoc eſt* de conſecrat. diſt. 2. ubi etiam corpus Chriſti, quod eſt *res Sacramenti*, corpus Chriſti dicitur: *Caro carnis, & ſanguis Sacramentum eſt ſanguinis*, & ex Greg. qui cap. *Multi* 1. q. 1. n. 84. ait: *Sunt autem Sacramenta baptiſma, chriſma, corpus & ſanguis Chriſti, quia ſub tegumento corporalium rerum virtus divina ſalutem eorundem Sacramentorum operatur.*

Alterum vero, ubi dicitur Euchariſtiam, ſitam eſſe in ſola conſecratione falſum eſt, non enim conſecratio, ſed res conſecrata eſt Sacramentum, in eo autem, quod aſſeritur in ſumptione ſitam eſſe Euchariſtiam aperte eſt hæreticum: fit enim Sacramentum, quando *accedit verbum ad elementum* ſenſibile, quod fieri ante Euchariſtiæ ſumptionem notum eſt. Vide Maldon. q. 2. de Euchar. Ad inſtitutionem vero hujus Sacramenti quod attinet, agemus hoc loco de tempore, tum de ordine ac modo qua Chriſtus Dominus illud inſtituit.

CAPUT I.

De tempore, quo Chriſtus Dominus Euchariſtiam inſtituit.

NOT. I. Euchariſtiam a Chriſto in ultima cœna, poſtquam Judaicum Paſcha manducavit, fuiſſe inſtitutam, vulgaris ſententia eſt, qua autem die menſis *Niſan Phaſe* immolaretur, controvertitur. Noſter Aloyſius Legionen. ejusque diſcipulus Baſilius Poncius, cenſet mactatum agnum luna 14. ineunte, ex qua ſententia ſequitur, Chriſtum celebraſſe cœnam *ante diem feſtum Paſchæ* ex Joanne Evang. crucique ſuffixum in paraſceve Paſchæ (*non in die feſto*) in quo nefas erat accuſare, & exercere judicia: quæ ſententia ſummo plauſu erudito-

rum ſuſcepta eſt, eamque Gallice vertit ann. 1695. P. Daniel. Eam tamen oppugnarunt Tournelyus, l'Herminier, Vitaſſe, &c.

Not. II. Harduinus, Bucherius & Pearſonius cenſent, celebrandum fuiſſe Paſcha lunæ 14. exeunte, adeoque duplicem diſtinguunt *neomeniam*, nempe a luminarium congreſſu, & a prima lunæ phaſi. Judæi ergo Paſcha celebrarunt a prima lunæ phaſi; Chriſtus autem, more Galilæorum a luminarium congreſſu, & *pridie, quam pateretur*. Unde inferunt, Chriſtum ſtatuta die manducaſſe ſupremum Paſcha: atque idem ſervaſſe, licet diverſo tempore, Jeroſolymitas; adeoque crucifixum Chriſtum eo die, quo Jeroſolymis erat profeſtus dies, non Paſcha.

Not. III. Quidam putant, Chriſtum extremo vitæ ſuæ anno Paſcha non manducaſſe, ut figura immolationis agni in Chriſti crucifixione impleretur. Itaut, cum Chriſtus Dominus diſcipulis rogantibus: *Ubi vis paremus Paſcha?* reſpondit: *Ite in civitatem &c.* intellexerit de celebratione Paſchatis nobilioris, ideſt de inſtitutione Euchariſtiæ. Ex qua ſententia non ſequi putant inſtitutam Euchariſtiam *in fermentato*: ajunt enim in veſpera, quæ præcedit agni mactationem, omne fermentatum e domibus Judæorum fuiſſe ſublatum. Ita Lamyus, Calmet, Tourneminus, Grotius, aliique; quibus Græcorum nonnulli acceſſere.

Not. IV. Alii tenent, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam, & Paſcha ſimul celebraſſe luna 14. Judæos tamen diſtuliſſe mactationem agni in lunam 15. poſt Chriſti mortem, idque vel ex quadam judaica traditione, qua Paſcha incidens in feriam 6. transferebatur in ſabbatum proximum, ne duo ſimul feſta concurrerent, ut vult Burgenſis; vel, ut Petavio placet, quia eo anno, quo mortuus eſt Chriſtus, duplex fuit Paſcha: legitimum unum a Chriſto luna 14. celebratum, præpoſterum alterum a Scribis & Phariſæis ex corruptela, ut Jeſum perderent,

derent, celebratum luna 15. Quod etiam ſentiunt Voſſius, Sigonius, Lupus, aliique. Abierunt autem Doctores in tam varias oppoſitasque ſententias, ex quo Joannes dixerit, Chriſtum cœnam ſuam celebraſſe, *ante diem feſtum Paſchæ*; pluraque narret, quæ videntur oſtendere, diem emortualem Chriſti non fuiſſe diem feſtum, quæ etiam ad evertendum azymum Græci opponunt. His notatis, ſit

Propositio I. Paſcha Judaicum immolabatur luna 14. exeunte, horis pomeridianis 14. diei menſis *Niſan*, quas conſequebatur veſpera initiumque diei 15. & Paſchæ ſolemnitas.

Prob. I. Exod. 12. v. 6. juſſit Dominus, ut Paſchalis agnus ſervaretur usque ad diem 14. Niſan, dicens: *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*, ubi Hebræus legit בין הערבים, *ben haharbaim inter duas veſperas.* Ita Samaritana, Syriaca, & Arabica verſio: ſed τὸ *inter veſperas* eſt inter tempus veſpertinum diei 14. & veſperam, unde exordium ducit dies 15. ergo mactandus erat agnus luna 14. exeunte, & manducandus ſub noctem diei 15. Prob. min. ex Rab. Kimki in lib. Rad. *Inter duas veſperas, ideſt a tempore inclinationis ſolis ad occidentem, quod eſt a 6. hora, & ulterius usque ad noctem. Dicit autem* ערבים *harbim quod notat duas veſperas. Nam a tempore, quo ſol incipit declinare, ea eſt veſpera una; poſt occaſum ſolis eſt veſpera altera; inter hoc tempus eſt illud, quod dicitur* בין ערבים Et R. Maimonides *in Koeban Peſach* ait: *Paſcha mactandum erat die 14. poſt meridiem.* Joſepus l. 6. de Bell. c. 19. ſcribit: *Paſchales victimas mactari ſolitas a 9. hora usque ad 11.* Talmud *poſt* 8. & dimidiam. Conſentiunt Lorinus, a Lapide, Menochius, Lippomanus, & Lyranus, qui ait: *Veſpera, prout hic accipitur, incipit a ſeptima diei 14. quia ex tunc ſol incipit tendere ad*

occasum. Et ab illa hora potest immolari Phase. Immolabatur autem ad vesperas, quia illa hora jam pertinebat ad diem sequentem solemnem.

II. Vesperam, ad quam mactabatur Paschalis agnus, excipiebat festus dies 15. ergo non erat prima vespera diei 14. sed secunda. Prob. ant. I. ex Matt. 27. qui feriam 6. post institutam Eucharistiam vocat: *Diem solemnem.* II. Josephus l. 3. Ant. c. 10. ait, mactari Pascha mense *Xantico*, id est *Nisan* 14. *Die autem* 15 *paschalem excipit festivitas azymorum*, sed hoc falsum esset, nisi immolatus fuisset Agnus exeunte luna 14. unde PP. docent, Christum cruci suffixum in solemnitate Paschali; ergo &c.

III. S. P. A. ep. 36. ad Casul. ait, Matthæum quintam Sabbati appellasse primam azymorum: *Quia ejus vespera sequente futura erat cœna Paschalis, qua cœna incipiebat azymum, & ovis immolatio manducari.* Prob. III. Exod. 12. de Paschæ ceremoniis habetur: *Nox ista observabilis, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Et Deuter. 16.: *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Unde Josephus l. 17. Ant. 9. ait: *Pascha in memoriam exitus ex Ægypto* dicitur *instituta*; atqui Israelitæ *profecti sunt de Ramesse mense primo*, 15. *die mensis* 1. *altera die Phase*, ex Num. 33. v. 3. ergo tempus agni mactandi est vespera lunæ 14. Confirmatur: nam ibi de nocte, qua manducaverunt agnum habetur: *Eadem die egressus est exercitus de terra Ægypti*, Hebræus legit: *In corpore diei illius*, sed hoc verum non esset, nisi Phase immolatum esset luna 14. exeunte, & cœna Paschalis ineunte luna 15. ergo &c. Nec verba illa: *Altera die*, significant, inter *Phase*, & egressionem integram diem intercessisse, sed immolatum agnum exeunte 14. & inchoata jam die 15. Israelitas aufugisse: unde Hebræus habet: *A crastino Pesach*, nempe die crastina post mactationem paschalis victimæ, & LXX. *Postridie ipsius Pascha.*

Prob.

Prob. IV. Marci 14. Judæi *primo die azymorum Pascha immolabant*, sed hæc solemnitas incidit in diem 15. ex Levit. 23. ubi habetur XIV. *die mensis ad vesperam Phase Domini est, & 15. die solemnitas azymorum*; ergo vespera ad immolationem phase designata ea est, quæ antevertit 15. diei. Adde, azymos *septem diebus* esse comedendos ex c. 12. Exod. & usque ad 21. mensis ad vesperam; ergo festus azymorum a die 15. non a 14. & a luna 14. exeunte, non ineunte, ducebat initium. Hinc est, quod nostra etiam ætate Judæi Paschales ceremonias observant luna 14. secundis vesperis, & *nocte præcedente 15. lucem Nisan*, ait Maimonides cap. 6. Pesach. Moses Ægyptius, Leo Mutinen. &c.

Prob. V. Ex Hieronymo in 26. Matt. & Beda in Arg. lunæ §. de Myst. XIV. diei: XIV. *dies mensis primi est, quando luna plenissima est*, sed hoc non fit, nisi 15. die ingrediente; ergo &c. Hinc Bedas de Rat. temp. ait: *Quod Dominus 15. luna crucem ascenderit nulli licet dubitare catholico: ne legi, quæ agnum Paschalem 14. die primi mensis ad vesperam immolari præcepit, & Evangelio videatur incredulus*: ergo &c.

Dices: videtur inverisimile inter immolationem Phase, & exitum de Ægypto unicam noctem intercessisse, & in ea Judæos ab Ægyptiis longe dissitis vasa accepisse, singillatim per familias Pascha mactasse, primogenitos percussos esse, Pharaonem Memphim accersisse Moysen; hunc vero tot turbas statim adunasse &c.; ergo &c.

℞. I. hoc argumentum etiam ab adversariis esse solvendum. Non enim hæc omnia spatio intermediæ diei fieri possunt. ℞. II. cum Josepho l. 2. Antiq. c. 14. *Deus ostendens adhuc una plaga percutiendos esse Ægyptios, ut cogerentur Hebræos dimittere, jussit Moysen edicere populo, ut in promptu haberent sacrificium. Et ille quidem, cum Hebræos ad egressum expeditos haberet, & per tribus dispositos in uno loco eos continebat, 14. autem illucescente om-*

nes ſacrificabant, atque domos ſuas ſanguine purificabant, cumque cœnaſſent tamquam exituri, reliquias carnium excuſſerunt. Narrat ſubinde, eadem nocte Iſraelitas a Pharaone dimiſſos : quæ omnia ſcripturis cohærent. Vaſa autem jam antea Iſraelitæ petierant ab Ægyptiis ; ergo &c.

Propositio II. Judæi Chriſti ævo nec duplici Neomenia, nec duplici aſtronomico calculo uſi ſunt.

Prob. I. Nam de duplici Neomenia in Script. ne verbum quidem. Imo Exod. 12. de Phaſe dicitur : *Immolabit eum univerſa multitudo filiorum Iſrael.* Ubi Hebraicus habet : *Omnis cœtus Synagogæ,* Targum : *Omnis Eccleſia* : Samaritanus : *Omnis congregatio Synagogæ*, apud Walt. t. 1. Polygl. p. 274. ergo &c. Adde, die ſtatuta pro mactatione agni e domibus Judæorum abjiciendum fuiſſe *fermentum* Exod. 12. 15. & a veſpera illius diei incipiebat dies 1. Azymorum. Cum ergo Judæi omnes Jeroſolymam convenirent ad Paſchæ celebrationem, & in ea urbe fermentum non eſſet ablatum luna 14. ſubducta a conjunctione planetarum Jeroſolymitani transgreſſi eſſent legale præceptum, retinendo in domibus ſuis (quæ advenis patebant, & in quibus Paſcha faciendum erat) fermentum die 1. azymorum ineunte ; ergo &c.

II. Diem Neomeniæ non ad nutum Judæi ſtatuebant, ſed *a Synedrio traditum eſt obſervare lunæ phaſim : & cum Synedrium indixerit diem illum pro Neomenia, idem habendus eſt pro Neomenia, juxta illud Exod.* 12. *Menſis iſte vobis &c. ideſt hujus determinatio vobis tradetur a Synedrio* : ita R. Moſes tract. *Kiduſch hachod* ; fictitia eſt ergo duplex Neomenia Harduini. Reapſe Neomenia Hebræorum eſt, cum *incipit ſol ſplendore ſenſibili lunam illuſtrare*, ait Philo de Septenario, eaque indicebatur cornea tuba ſupra templi tectum, ut probat Lorinus ex Pſal. 80. *Buccinate &c.* Unde Judæi in omnibus Neomeniis ſemper phaſim ſervarunt, ut

ut ex veteris ſcriptoris fragmento conſtat apud Clementem Alexandrinum l. 6. Strom. : *Niſi apparuerit luna, non celebrant Neomeniam.* Vide Petavium, Bucherium, Panvinium, Petitum, Bochartum, Seldenum, Spencerum &c. III. Ex hiſtoricis conſtat, Judæos omnes ſimul Phaſe immolaſſe. Nam Philo loco cit. ait, eos ſacrificare *per cœtus populares a meridie ad veſperam usque, victimam communem* 14. *menſis.* Joſephus lib. 6. de Bell. c. 9. ait, ſub Ceſtio ex victimis *a* 9. *hora usque ad* 11. numerata *virorum purorum* 27. *centena millia ex diverſis Judæorum locis.* IV. Harduini ſententia nititur regulæ לא בדו פסח, *lo Badu peſach,* ne ſecunda dies azymorum eſſet feſtivus &c. Sed hoc ævo Chriſti non erat in uſu ; ergo &c.

Propositio III. Chriſtus pridie, quam pateretur, *Paſcha legale* cum diſcipulis comedit.

Prob. I. ex ſcripturis. Ubi poſtquam narratum eſt, Matt. 26 quod diſcipuli : *Sicut conſtituit illis Jeſus, paraverunt Paſcha,* habetur : *Veſpere autem facto diſcumbebat cum* 12. *diſcipulis ſuis,* quibus inter cœnandum ait Jeſus : *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiscum, antequam patiar,* ſed ex variis hujus facti circumſtantiis ſatis conſtat, ibi deſcribi cœnam, qua manducabatur agnus typicus poſt meridiem lunæ 14. immolandus ; ergo &c. Prob. min. I. Acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum *prima die azymorum &c.* Marc. 14. atqui *ſeptem diebus* erat *azyma* comedendum Exod. 12. quarum prima celeberrima & ſancta erat dies 15. ex Num. 28. ergo acceſſerunt ad Jeſum diſcipuli non ante diem 14. ſed ineunte azymorum ſolemnitate. Nec dicas cum Grotio & Lamyo, enumerari a Joſepho non ſeptem, ſed octo dies azymorum ; nam is l. 3. Ant. c. 10. expreſſe ait : *Die* 15. *paſchalem excipit azymorum feſtivitas ſeptem dierum,* eamque diem 15. Judæis celeberrimam ait propter liberationem a ſervitute Ægypti, ut ſcribit l. de Bell. Jud. Paſcha

ergo,

ergo, & dies primus azymorum ſunt una eademque dies. Ubi autem dies octo azymorum numerantur, comprehenditur in his dies 14 in qua fiebat inveſtigatio fermenti, ne poſt immolationem inveniretur in domibus Hebræorum.

II. Miſſi ſunt duo diſcipuli in Jeruſalem, qui *paraverunt Paſcha & diſcubuit* Chriſtus cum Apoſtolis. Nam Jeroſolymis tantum fas erat immolare phaſe, quo paſchali tempore Judæi omnes confluebant. Poſt mactationem agni facto veſpere inſtituebatur cœna paſchalis, in quam neque *pauciores denis, neque plures* 20. *epulatoribus* conveniebant, ex Joſ. l 6. de Bell. c. 9. ergo cœna Chriſti peracta eſt omnibus ritibus ſervandis in manducatione agni typici. Idem oſtendunt verba Chriſti: *Deſiderio deſideravi &c.* cur enim τὼ *paraverunt Paſcha, neceſſe erat occidi Paſcha* de agno typico accipi debent, non illa? Hinc Epiphanius Hom. 30. c. 22. ait: *Paſcha illud carnes erant igni toſtæ.* Nec Epiphanio adverſantur, qui pro hoc Paſchate accipiunt Euchariſtiam, utramque enim, cœnam typicam, & Euchariſticam inſtituit Dominus eadem nocte: hinc vehemens Chriſti deſiderium, quia *magna myſteria* poſt cœnam erat diſcipulus traditurus, ut ait Theophylactus; ergo &c.

Prob. II. ex auctoritate & traditione Trid. Syn. ſeſſ. 22. c. 1. *Celebrato veteri Paſcha novum inſtituit.* Et Catech. R. *Celebrata cum diſcipulis agni Paſchalis cœna.* Item in hymn. ad veſp. Corp. Chriſti habetur: *In ſupremæ noctie cœnæ &c.* & ad Matut. *Poſt agnum typicum &c.* Deinde, cum Quartodecimani ſuæ opinioni pertinaciter adhærerent, ex quo Chriſtus Paſcha celebraverit *luna* 14. nec Victor, nec Nicæni PP. reſponderunt, Chriſtum non fuiſſe ſequutum Judæorum conſuetudinem, quod ad eos refellendos fuiſſet expeditiſſimum, ſed reſponderunt, aliam ineundam eſſe viam, poſtquam legalia ſunt abrogata.

III. Epiphanius usum carnium damnantes Ebionæos refellit, ex quo Christus etiam *Judæorum Pascha comederit, quæ constabat agno &c.* IV. PP. impugnarunt Manichæos, & Marcionitas veterem legem, ut a Deo malo latam, damnantes, ex quo etiam Dominus servaverit Pascha a Moyse promulgatum: unde Tertullianus contra Marc. c. 40. ironice de Christo ait: *O legis destructorem, qui concupierat etiam Pascha servare!* Hinc Epiphanius Hær. 42. ait: Marcionitas hæc Evangelii loca, quibus se premi norant, depravasse; qui ergo loca ista alio detorquent, Patribus arma surripiunt, quibus hæreses debellarunt. IV. Chrysostomus etiam hom. 81. in Matth. ait, Christum Pascha servasse, *ut omnibus ostenderet, se non esse legis adversarium.* V. Ambrosius ep. 23. ad episc. Æmiliæ ait, servatum a Domino Pascha Mosaicum Exod. 12. indictum *luna* 14. Idem tradit Hieronymus, aliique; ergo &c.

Prob. III. ex adversæ sententiæ infortuniis. Nam, cum primum illam excogitarunt Ebionæi, & Marcionitæ, execrabilis visa est PP. ut autem IX. sæculo quidam Græcorum eam secuti sunt, Photius ipse, licet eam ad azyma eliminandum nosset aptissimam, censuit tamen Cod. 116. temere prolatam, ex quo *Chrysostomus & Ecclesia doceant, Christum legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam cœnam institueret.* Harduinus etiam hoc placitum a Grotio, & Lamyo ex orco revocatum *furorem* appellat, atque intolerandam audaciam. Suarez singulari modestia præditus to. 2. in 3. part. disp. 40.: *Hæc sententia*, inquit, *est plane hæretica*, eamque a quæsitoribus fidei confixam, ut prolatam *contra sacrarum literarum fidem, contra Ecclesiæ auctoritatem, & SS. PP. doctrinam*, conjecto in carcerem Hieronymo Vecchietto, narrat Nicius Erythæus Pinacoth. Virorum illustr. p. 169. Nos vero hanc sententiam, sin minus hæreticam, certe falsissimam demonstravimus.

PRO-

Propositio IV. Christus eadem die cum Judæis Pascha typicum celebravit.

Prob. I. Christus enim Pascha celebravit *primo die azymorum, quando Judæi Pascha immolabant*, Marc. 14. ubi Syriaca versio habet: *Quando sacrificant Judæi Pascha*. Persica: *Quo Judæi Pascha mactant*; ergo eadem die, qua Christus, etiam Judæi agnum paschalem immolarunt. II. Constat ex Prop. II. Neomeniam, diemque Paschalem præstitutam fuisse a Synedrio, *secundum lunæ Phasim*, idque servatum etiam Christi ævo; ergo &c.

Nec dicas: his legibus Christum non fuisse subjectum: nam singulari humilitate ascendit Jesus Jerosolymam ad celebrandum Pascha, quando illud Judæi agebant, & festorum consuetudinem, sive secundum legem, sive secundum Synedrii statuta, ad extremum usque servavit. III. Agnus, ex legis præscripto, ab universo cœtu Israel, sive, ut ait Philo in vita Moysis: *Universo populo concurrente*, immolandus erat. Non mactabatur agnus, nisi in atrio templi, neque comedebatur, nisi fermento e domibus sublato, atqui, nisi Christus eadem die ac Judæi typicum agnum comedisset, has leges omnes violasset; ergo aut Pascha non celebravit, quod falsum est, aut eadem die cum Judæis celebravit. IV. Nisi Christus Pascha cum aliis celebrasset, ac stato per leges tempore, id fuisset illi a Judæis objectum, nec forte Jerosolymitarum aliquis domum suam ei commodasset: cum tamen urgente solemnitate, ob confluentium multitudinem, Judæorum ædes cuique paterent; atqui id nemo vitio vertit Christo Domino; ergo &c.

Propositio V. Nemo Judæorum Christi ævo distulit Pascha.

Prob. I. Nulla est ratio, cui sententia opposita subnixa sit; ergo &c. Prob. ant. Nam 1. ratio adversariorum est regula, *Lobadu*, qua statuitur nunquam Pascha celebrandum feria 2. expressa li-

tera ב, nec 4 ד, nec 6 ו ex quibus literis, quæ sunt etiam notæ numerales, dicitur hæc regula בדו *badù*, sed hoc *nondum Christi tempore constitutum fuisse docent ipsimet Hebræi*, ait Petavius in not. in Epiph. p. 185.; scribit enim Aben-Ezra, & Talmud, etiam in feriis *Badu* celebratum fuisse Pascha. Nititur quidem Harduinus regulam *Badù* confirmare ex altera, quæ dicitur *Lo adù*, scilicet nunquam Neomeniam septimi mensis, & festum *Hosannà Rabbà* figi in feria 1 א, in 4 ד, & 6 ו, verum Petavius ibid. pag. 182. ex R. Maimonidis testimonio probat, diu post Christi passionem *superstitionem illam introductam* fuisse; corruit ergo prima ratio petita ex Regula *Lo badu*. Nec solidior est secunda, quæ petitur ex Lev. 23. 10, quo statuitur, ut *altero die sabbati*, ideſt postridie diei festi Paschæ deferretur manipulus spicarum ad sacerdotem. I. enim Harduinus, qui huic argumento nititur, refutatur ex regula *Adù*, quam ipse probat. Nam auctor *Lavusch Hathechelet* ideo ait, non posse die sabbati excuti Hosanna: *Quia præceptum excutiendi fasciculum non est ex lege, sed ex consuetudine*, sed præceptum metendi, & offerendi manipulum est ex lege; ergo &c.

Prob. min. I. Messio enim & elevatio manipuli *coram Domino* erat potius religionis actus, quam opus servile. II. Constat ex R. Mose Ægyptio, aliisque, *Homer* seu manipulum non solum demessum sabbato, sed hoc quodam ritu factum esse, quo messores clamabant: *Sciabat hajom? est ne sabbatum hodie*, & respondentibus *est*, rursus rogabant, *metam ne?* tunc vero universiter *demete* clamabant. III. Ibi dicitur neminem de manipulo metendo die sabbati hæsitasse, præter aliquos Sadducæos.

IV. Bellarminus, Baronius, aliique probabiliter censent, quo anno Pascha incidisset in feriam 6. demessum manipulum Dominica, ergo &c. V. ratio petitur ex auctoritate Chrysostomi, qui Hom. 86.

86. ait, Judæos ira percitos, cum *ſæpe conati eſſent Jeſum capere, nec potuiſſent, ex inſperato nactos quod cupiebant, tempus Paſchæ transpoſuiſſe*; atqui poſſumus, ſalva Chryſoſtomo reverentia, ab ejus ſententia recedere, qua reliquis PP. adverſatur, præſertim cum nec Chryſoſtomus fuerit in ea conſtantiſſimus: nam hom. 84. ait: *Tenuerunt illum ipſa nocte, in qua comederunt Paſcha*, cumque in his locis, & Hom. 82. in Matth. S. D. certiſſime teneat, J. C. Paſcha celebraſſe ſtatuto tempore, conſequens eſt, & idem feciſſe Judæos omnes.

Deinde conſtat ex Evangelio, Chriſtum cruci ſuffixum Judæis agentibus Paſchæ ſolemnia. Pilato enim dicenti Jo. 18. 31. *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum*, reſponderunt: *Nobis non licet occidere quemquam*, ſed hæc non dixerunt Judæi propter ablatum illis jus ſanguinis, ut quidam falſo opinantur; tum quia non deſunt, qui ex Act. 6. ubi legimus, Stephanum de blaſphemia accuſatum lapidibus obrutum, cenſent blaſphemos absque auctoritate Romani magiſtratus occidi potuiſſe, & Petavius l. 12. de Doctr. temp. hanc quæſtionem difficilem cenſet, tum quia Pilatus permiſit Judæis ut Dominum interficerent, dicens: *Accipite eum vos &c.* ratus agi de re ad eorum legem ſpectante, ut ait ex communi ſententia Calmetus; dixerunt ergo Judæi: *nobis non licet &c. propter diei feſti ſanctitatem, quam celebrare jam cœperant.* V. Ratio petitur ex recepto a Judæis Calendario Rom. vel a conſtituto cyclo phaſibus lunæ, legique Moyſis oppoſito, atqui admitti nequit duplex calculus, quorum unum Chriſtus, alium ſervarit cætus Judaicus, nec celebrari poterat Paſcha, niſi a cœtu Iſrael, & poſt mactatam communem victimam; ergo &c.

CA-

CAPUT II.

In quo momenta adverſariorum diluuntur, ubi de die Pentecoſtes, quando paſſus eſt Chriſtus.

Qui negant Chriſtum Paſcha legale celebraſſe, pridie quam pateretur, ut ſuam ſententiam tueantur

Ob. I. Principes ſacerdotum concilium inierunt, ut Jeſum occiderent: *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret &c.* Item, ne multi, qui in eum crediderant, viſa Lazari reſurrectione, Jeroſolymam ob ſolemnitatem phaſe convenientes, eum de manibus illorum vi eriperent; ergo &c. II. Jo. c. 12. v. 2. ait, Chriſtum poſtremam cœnam feciſſe, *ante diem feſtum Paſchæ*; ergo ante veſperam lunæ 14 primumque diem azymorum, & paſchalem ſolemnitatem, quæ *a veſpera ad veſperam* ſervabatur.

Nec valet diſtinctio diei naturalis & legalis, nam in eadem cœna, ubi Judæ ait Chriſtus: *Quod facis, fac citius*, alii Apoſtoli *putabant, quod dixiſſet ei Jeſus; eme, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*; ergo nondum cœperat feſta dies, in qua nihil emi poterat. III. Jo. c. 18. ait: *Et ipſi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*; ergo Judæi in meridie feriæ 6. nondum paſchalem victimam manducaverant. Quo loco ſententiam noſtram penitus deſtrui ſcribunt non ſolum Grotius, Caſaubonus, Capellus, Scaliger, aliique novatores, ſed etiam Petavius, Maldonatus, Zegerus &c.

Nec dicas, etiam alias victimas in feſto azymorum mactatas *paſcha* appellari ex Deut. 16. v. 2. *Immolabisque phaſe de ovibus & de bobus*: I. quia *paſcha manducare* ſolum Paſchalem agnum ſignificat ex Deut. 16. v. 6. *Immolabisque phaſe*

vespere, quando egressus es de Ægypto, & comedes &c. II. quia v. 2. Deut. 16. sensus est, immolabis phase, & præter phase *de ovibus & de bobus*: unde Hebræus & Samarit. legit: *Sacrificabis phase, oves & boves*: & targum Onkelos: *Immolabis phase de ovibus, & victimam sacrificatam de bobus*: ubi victima paschalis ab aliis hostiis secernitur, ut fit v. 15. cap. 30. Deut. ubi phase ab holocaustis secernitur, ut probant R. Salome, Maimonides, Rasi, Bechai, Abarbanel, aliique p. 2. to. 1. Crit. sacr. p. 108.

IV. Feria 6. cum Christus crucifixus est, dicitur Jo. 19. *parasceve Paschæ*, non sabbati; ergo dies proximus sabbati erat azymorum primus, quo ineunte pascha mactandum erat. V. Judæi rogarunt Pilatum, *ne remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus ille dies sabbati*, sed magnus non erat dies ille, nisi quia in eo celebrabantur duo festa, sabbati nimirum & Paschatis; ergo &c. VI. In die emortuali Christi armati sunt milites, consilium adunatum est, accusatus est Christus, necatus, sepultus est, habetur emptio aromatum, sindonis &c. sed hæc vetita erant die festo; ergo &c.

℞. ad I. neg. conf. Licet enim Judæi *valide timerent, non Deum, sed homines, & tumultum*, ait Chrysost. hom. 80. in Matth. *ira tamen inflammati in ipsa solemnitate ipsum occiderunt*. Adde ex Maimon. c. 4. *Hillok* consuevisse Judæos insigniores reos *usque ad festum custodire, & ipso festo strangulare, quia dictum est, & omnis Israel audiet & timebit*. Tandem, si Judæi in priori sententia stetissent, neque præcedenti die Paschæ Christi mortem procurassent: nam etiam eo die plurimi convenissent ad agni immolationem, a quibus Christus eripi ex eorum manibus potuisset. Ad II. ℞. I. aliqui cœnam, de qua Jo. c. 13. v. 1. non fuisse postremam, sed convivium Pethaniæ institutum, quod pluribus momentis firmare conatus est Ligthfootus.

Eaque

Eaque ſententia foret ad argumentum diluendum aptiſſima, ſed eam falſam eſſe, & unanimi PP. ſenſui, imo ipſi Joanni adverſari demonſtrat cl. Auctor. ℞. II. alii: Joannem accipiendum eſſe de die naturali & uſuali, qui de media nocte ad mediam noctem producitur, non de legali, a veſpera in veſperam.

℞. III. & melius: τὸ πρὸ τῆς ἑορτῆς *ante diem feſtum* poſitum eſſe pro προεορτίῳ, ideſt pro parte diei, quaſi feſtum præcedit, & eſt pars feſti ſicut πρόδομος, & πρόλογος domus, & orationis eſt pars. Licet enim paſchalis cœna fieret *facto veſpere*, & die 14. exeunte, & tunc inchoata foret legalis feſtivitas; Judæi tamen feſtum Paſchæ incipiebant a media nocte diei 15. quia Dominus percuſſit primogenitos *in noctis medio* Exod. 12. Paſcha autem erat *victima tranſitus Domini, quando tranſivit percutiens Ægyptios.* Ergo τὸ *ante diem feſtum Paſchæ* idem eſt ac *ante mediam noctem*, unde in Græco habetur: *Ante feſtum Paſcha*, πρὸ τῆς ἑορτῆς τȣ πάσχα.

Ad III. diſt. ant. *Ut manducarent Paſcha* proprie dictum eſt, ideſt agnum typicum, neg. improprie dictum, nempe victimas ovium & bovum, quæ mactabantur die proxime ſequente immolationem agni, quamve Hebræi חגיגה *Haghigà* appellant, conc. Porro hoſtias illas ovium & bovum Paſcha appellari conſtát tum ex cit. Deuteron. 16. *Immolabis phaſe de ovibus & bobus*, tum ex 2. Paral. *Dederunt ad celebrandum phaſe 5. millia pecorum, & boves 500.* Nec obſtat Hebraicus textus, & aliæ verſiones, in quibus *oves & boves* non ſunt aliquid a phaſe diſtinctum, ſed ſunt id, quod voce phaſe ſignificatum eſt, ſicut cum Num. 29. dicitur: *Offeretis holocauſtum Domino vitulum unum, arietem unum, agnos ſeptem,* non ſequitur, agnos, arietem, vitulum eſſe quid diverſum ab holocauſto, ſed id, quod holocauſti nomine ſignificatur; ergo a pari.

Deinde c. 16. Deuter. ubi vulgata legit : *Septem diebus comedes absque fermento*, habet Hebræus : *7 diebus comedes ſuper eo infermentata :* dictio autem על *hal*, *ſuper*, eadem eſt ac עם *him*, *cum*, ut Ex. 35. & Iſ. 7. ergo victimæ 7 dierum azymorum Paſcha appellantur, & φάγειν τὸ πάσχα, *manducare Paſcha*, tam de agno, quam de aliis hoſtiis proprie dicitur, ut Act. 12. dies omnes azymorum *Paſcha* dicuntur; ergo hoſtiæ ſanctificatæ juvencorum & bovum nomine Paſchatis comprehenduntur, licet eo nomine peculiariter deſignaretur paſchalis agnus, ac aliæ victimæ dicerentur etiam *Haghigà* : ex quibus etiam vulgatæ lectio vindicatur.

Ad IV. neg. conſ. Ut enim obſervant rituum hebraicorum periti, ad Paſcha nulla erat paraſceve, ideſt ciborum præparatio, nam die prima azymorum licebat, ex c. 12. Exod. v. 16. facere ea, *quæ ad veſcendum pertinent ;* ergo feria 6. qua crucifixus eſt Dominus, dicta eſt *paraſceve Paſchæ*, quia ſimul erat πρόσαββατον Paraſceve ſabbati, & Paſcha, ſicut a nobis dicitur, *dominica Paſchæ*, *aut Pentecoſtes* dies illa, in qua ſimul incidunt feſta illa, & primus hebdomadæ dies. II. Paraſceve apud Hebræos pro 6. feria communiter fuit uſurpatum, ex *Bereſcit Rabba* part. 2. ubi legitur, hebdomadæ dies ſuis carere nominibus *præter paraſceven & ſabbatum ;* ait ergo Jo. *paraſceve paſchæ*, innuens 6. feriam inter 7. dies azymorum, qui omnes Paſcha dicebantur, ſed dato etiam, Paſcha ſuam habuiſſe *paraſceven*, cum Joannes *paſcha* dixerit etiam victimas *Haghigas* mactandas paſchali nocte transacta, dixiſſet cohærenter, diem veneris *paraſceven paſchæ* ob præparationem *Haghigà*, non agni jam eſt. Ex his refellitur de Dominis, Voſſius, nec non Ribera, & Baronius.

Ad V.

Ad V. neg. min. Magnus enim dicebatur dies ſabbati incidens in 2. azymorum, quia in ea adibat populus templum cum victimis pacificis, quia in eo offerebatur ſpicarum manipulus ex Levit. 23. & quia dies feſti, in quibus populus cum holocauſtis & victimis Domino ſiſtendus erat, *magni* dicebantur ex Jo. 7. 37. ergo &c. Ad VI. neg. conſ. Nam Judæi Chriſto non ſemel necem diebus feſtis intentarunt: nimirum in feſto Encæn. Jo. 10. in feſto Tabernaculorum Jo. 8. Altera die, *quæ eſt poſt paraſceven*, ideſt die ſabbati, accepta a Pilato facultate, appoſuerunt cuſtodes, munierant ſepulcrum, ſignarunt lapidem ex Matth. 17. Inſignes reos damnatos in ſolemnioribus feſtis dictum eſt ſupra ad I. Mors autem Chriſti petentibus quidem Judæis, a militibus peracta eſt, quibus reos ducere ad ſupplicium, necare &c. indicit officii ratio, non vetat religio. Judæi ipſi non negant, tam in ſabbato, quam in aliis feſtivitatibus ſepelienda cadavera. Idque in die prima azymorum licitum eſſe, & in eo emi & parari ſindones, & omnia pietatis officia exerceri poſſe fatetur Maimonides, & R. Jacob Ben-Judæ. Tobiam *in die feſto* ſuſtuliſſe de platea jugulatum ex filiis Iſrael habetur Tob. 2. 4. & appenſum in patibulo ſepeliendum eadem die decernitur Deut. 21. ergo &c.

Opp. VII. Scaliger l. 5. de Emend. temp. Feſtum Pentecoſtes celebrari debuit ex Lev. 23. poſt 50. dies enumeratos a 2. die azymorum, ſive a 16. menſis *Niſan*, ut tradit Joſephus l. 3. Ant. 10. *Secunda azymorum die: eſt autem illa* 16. at ſi 1. azymorum dies fuit emortualis Chriſti, Pentecoſtes, ſive dies 50. eo anno incidit in ſabbatum, non in Dominicam, contra veterum traditionem; juxta quam Pentecoſtes eo anno incidit in dominicam, & in dominica circa horam 3. Spiritus S. deſcendit; ergo &c. ℞. I. Serryus, Pentecoſten eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, revera in ſabbatum inci-

disse, & fictitiam esse oppositam traditionem, licet pro ea laudentur Clem. Const. sermo 154. S. Aug. de Temp. & S. Leo serm. de Pent. Nam Const. Clem. & sermo cit. ab eruditis exploduntur, & S. Leo V. sæculi scriptor traditionem non facit, addit Witasse, Leonem scriptorem esse *haud ita accuratum.*

℞. II. Bellarminus, Baronius, aliique communiter, 50. dies supputandos a 2. die azymorum, nisi hæc incidisset in sabbatum, ut contigit anno Passionis Christi, tunc enim supputandi erant a feria prima, idest a dominica, quod innuunt aliquæ versiones supra productæ, quæ Levit 23. 15. habent: *Post diem festivitatis a crastino cessationis.* Prior responsio falsissima est, ut enim observat Benedictus XIV. inverisimile est, Leonem M. licet floruerit V. sæculo, id scripsisse, nisi id pervulgatum fuisset in traditionibus Ecclesiæ Rom. quas etiam hac in parte novatores sequuntur, ut ex Usserio, & Pearsonio ostendit laud. Pontifex. Queis adde Scaligerum, Ligthfootum, Basnagium &c. Altera responsio probabilis visa est Benedicto XIV. eaque non adversatur Hebræo, qui habet: *A crastino cessationis*, nec Chaldæo, qui legit: *Post diem festivitatis.* Huic etiam adhærent Hebræorum nonnulli, ex Maimonide, Seldeno, Ligthfooto, aliisque; defendi ergo potest, Pentecostem Judaicam anno passionis Christi incidisse in dominicam, eodemque die illapsum esse Spiritum S. in Apostolos.

℞. III. cl. Auctor: in utraque responsione esse aliquid veri & aliquid falsi. Verum est in I. resp. Judaicam Pentecostem eo anno incidisse in sabbatum; falsum est tamen sabbato descendisse Spiritum S. Verum est in II. Spiritum S. descendisse die Dominico, falsum descendisse in festo Pentecostes Judaicæ. Et I. de Judaica Pentecoste patet ex Prop. 5. cap. præc. ubi ostendimus, sabbato non fuisse vetitam manipuli messionem, & confirmatur ex Josepho, qui ait demessum manipulum die 16. Nisan, nullo

nullo temporum producto discrimine. Idem patet ex Græcis versionibus : *A postridie primi festi, idest paschatis*, non a postridie festi secundi, idest sabbati. Hinc Maimon. in lib. *Porta Mosis* pag. 264. ait, oblationes cœtus nunquam esse differendas, & diem agitationis manipuli fixum, & invariabilem esse *diem azymorum secundum* Ligthfootus in Act. Ap. citato libro *Menacot* ait : *Anno, in quo Spiritus S. descendit, oblatio manipuli erat sabbato*, quod etiam probat ex R. Ismaele. Idem ostendit Seldenus loc. cit. ex receptissima apud Judæos Glossa ad Levit. c. 23. *A crastino Sabbati, idest a crastino diei festi primi paschatis*. Nec obstant versiones supra productæ, nam sabbatum, qua voce designatur *cessatio*, aut requies, quodvis festum significat, unde τὸ *a crastino sabbati* significat, septem hebdomadas incipere a die, quo elevabatur manipulus; idest a 2. *die azymorum*, & 16 *Nisan*, ut ait Maimonides ib.

II. Spiritum S. in Apostolos illapsum die Dominica, sive postriduano Pentecostes Judaicæ, infertur I. ex traditione, quam supra vindicavimus; non enim ajunt laud. scriptores, advenisse Spiritum S. 50. die ab elevatione manipuli, sed *a resurrectione Domini*. II. Ex verbis Act. 2. v. 1. *cum complerentur dies Pent. &c.* quibus ostenditur, diem primum Pentecostes tunc fuisse completum : nam in græco habetur, ἐν τῷ συμπληρȣ̃σθαι &c. *in esse completum*. Syrus etiam & Arabs reddunt : *Cum impletus esset dies pentecostes*. Christus etiam in adimplendis figuris veteris testamenti, ut ostenderet transitum de umbra ad veritatem, quod typo præfigurabatur, complevit in die sequenti. Sic agnus mactabatur die 14. Christus immolatus est die 15. manipulus primitiarum offerebatur die 16. Christus, ex 1. Cor. *Primitiæ dormientium*, surrexit die 17. & sabbatum Christianorum, non sabbato Judaico, sed die dominico, est institutum. Tandem, cum de-

descendit Spiritus S. non erant Apostoli in templo, sicut forte erant cum Judæorum cœtu transacta die, horis præsertim matutinis sacrificio destinatis, sed omnes domi sedebant celebrantes diem, prius resurrectione Domini, & tunc adventu Spiritus S. consecratum.

CAPUT III.

De suprema cœna, in quo Christus Eucharistiam instituit.

Quam inepte ratiocinentur, qui ex conditione typi inferunt, eadem die mactatum mysticum agnum, & Dominum crucifixum, ex eo patet, quod Christus postridie passurus immolationi cœnam præmiserit, cum in agno typico cœna subsequeretur immolationem corporis sui in crucis supplicio. Sit itaque

Propositio. Christus ea nocte, qua Eucharistiam instituit, legalis Paschatis ceremonias servavit. Prob. I. Exod 12. ad comedendum Pascha conveniebat cum familia rector domus assumens vicinos, si domestici non sufficerent, ad esum agni. II. *Paschales societates* ex Josepho, saltem denis convivis constabant. III. Instruebatur convivium nocte Exod. 8. 4 sternebantur lecti, parabatur cœnaculum, coquebantur cibi, ut postulabat imminens solemnitas azymorum. Sed hæc omnia servavit Christus ex Matth 26. Marc. 14. & Luc. 22. nam discipuli paraverunt Pascha, invenerunt cœnaculum stratum, Jesus cum 12. discubuit, cœnavitque facto jam vespere; ergo &c. Prob. II. Judæi enim ex domo servitutis profecturi vetus Pascha celebrarunt stantes, calceati, accincti renibus, cum reliqua Paschata ederentur a Judæis decumbentibus, *in signum dominii & libertatis.* Sed Dominus etiam discubuit Matth. 26. Hinc patet, quomodo mulier peccatrix Luc. 7. staret retro secus pedes

pedes Domini, & commode poſſet eos oſculari, lacrymis, & capillis tergere, nec non ex Matth. 26. unguentum effundere ſuper caput ipſius recumbentis.

Prob. III. Inter cœnandum paterfamilias benedicebat azyma, & aliis diſtribuebat ex R. Maimonide: cumque in paſchali cœna plures eſſent calices, unus quidem diſtribuebatur cum gratiarum actione, alter ſervabatur poſt cœnam, eique admiſcebatur aqua ex Lightfooto. Recte ergo calices diſtinxit Lucas c. 22. dicens, Euchariſtiam ſub ſpecie vini inſtitutam eſſe; *Poſt quam cœnavit &c.* ut pateat, inter conſecrationem panis & calicis aliquid temporis interfuiſſe. Nec tamen hinc ſequitur, Judam communioni ſub ſpecie vini non adfuiſſe, ut quidam putant ex iis verbis: *Cum accepiſſet buccellam continuo exivit;* nam Marc. 14. ait de calice conſecrato: *Biberunt ex eo omnes.* Quare *buccella intincta* Jo. 13. non erat corpus Chriſti, ſed fruſtulum azymi conſecrati *embammate* intinctum, ut enim ait S. P. Tract. 62. in Jo. *Jam omnibus diſtribuerat Dominus Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, ubi & ipſe Judas erat; ac deinde ad hoc ventum eſt, ubi per buccellam tinctam ſuum exprimit traditorem.*

Ubi nota: ante excidium templi Judæos, præter patinas cum cibis elixis, & paropſidem, aliud vas eſcarium cum *charoſet*, quod erat *embamma* muſteum ex pomis, dactylis, ſaccaro, & condimentis aliis compoſitum. Comeſo agno, & legali cœna peracta, veniebant patinæ elixarum carnium cum *embammate*, & paterfamilias gratias agens frangebat placentam, & cuncti epulabantur ſplendide. Poſt uſualem cœnam ſurgebant convivæ, abluebant manus, & poſt puſillum iterum recumbentes intingebant reliqua placentæ fruſtula in *embammate*, quod ſervabatur ad cœnulam, quam vocant Hebræi *aphikomen*. Hæc R. Maimonides, Eliezer, Salomon, & Talmudiſtæ omnes.

Ita Chriſtus *legali* peracto Paſchate, & incepta uſuali cœna, fregit ac benedixit placentam azymi, adductis patinis & paropſide, in quam Judas manum intingebat, & ita cœnantibus diſcipulis inſtituit Sacramentum corporis ſui. Completa deinde cœna porrectoque calice cum vino aqua permixto Euchariſtiam conſecravit ſub ſpecie vini Luc. 22. Poſt cœnam lavit pedes diſcipulorum Jo. 13. Poſt ablutionem recubuit iterum ad *aphikomen*, ſeu cœnulam, & tunc Judæ porrexit intinctum panem, non Sacramentum, quod jam omnibus diſtribuerat, ſed fruſtum placentæ *embammate* tinctum, quod ſoli Judæ dedit, qui accepta buccella e cœnaculo ſtatim exivit ex Jo. loco citato.

Hinc ſequitur I. cœnam, de qua Jo. 13. fuiſſe paſchalem contra Ligthfootum, & pedilavium ſubſecutum ad cœnam Euchariſticam, & huic adfuiſſe etiam Judam, ut cenſet S. P. A. tract. 55. & 62. in Jo. cujus ſententia Hilario id neganti præferri debet. II. *Buccellam intinctam* ſoli Judæ traditam non fuiſſe corpus Chriſti patet ex dictis. III. Falli Klebitium, qui hinc putat, Judam ſacramentali communione privatum.

IV. Nec Evangelio inniti conſuetudinem porrigendi populis, aut ſervandi pro infirmis Euchariſtiam *intinctam. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto diſcipulo, quem intincta buccella magiſtri proditorem oſtenderet.* Fallitur ergo Capellus, qui ait, verba conſecrationis: *Hoc eſt corpus meum*, a Chriſto prolata loco eorum: *Hic eſt panis afflictionis*, hæc enim verba erant cœnæ præludium, eaque non in medio ſunt prolata, vel fine, ſed ante convivium: cum Chriſtus conſecrationis verba protulerit diſcipulis diſcumbentibus & manducantibus ex Marc. 14. Prob. IV. Finita cœna recitabant Judæi הלל הגדול, *Hallel agadol, hymnum magnum*, qui conſtabat Pſ. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus*, cui aliqui addebant 112. 113. 114. 115. 116. qui inſcribuntur *Alleluja*, *lau-*

laudate Deum, unde Ecclesia in Paschate sæpe intonat *Alleluja*. Quod ergo ait Matthæus c. 16. *Et hymno dicto &c.* de laudato Psalmo accipi debet.

CAPUT IV.

De materia a Christo adhibita in institutione hujus Sacramenti, ac I. de azymo ac fermentato.

De hac controversia magno animorum æstu Latinos inter Græcosque disceptatur, quamvis ex dictis possit facile dirimi, ut ex sequentibus planum fiet. Sit itaque

Propositio I. Christus Eucharistiam consecravit in azymo.

Prob. I. Christus enim celebravit Pascha suum exeunte luna 14. Nisan, ac die prima azymorum, quando e domibus Judæorum fermentum sublatum erat, sed Christus in ea cœna, & in pane ibi apposito instituit Eucharistiam, alias non venisset legem *adimplere*, sed *solvere*, *nec ipse Dominus diceret sui insidiatoribus, quis ex vobis arguet me &c. nec opus esset falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur juste*, ait Leo IX. in ep. ad Mich. C. P. ann. 1054. Prob. II. Quamvis ultro daremus Christum, ut Græci putant, causa mortis &c. prævenisse legitimum Paschæ tempus, usus tamen esset azymis panibus, sicut agnum immolavit, & comedit cum lactucis, aliisque ab Apostolis paratis: ut notat Estius dist. 8. l. 4. §. 8. ergo &c.

Opp. I. Matt. Blastarius: Christus abstulit quodvis Judaicum festum, & PP. contraria eorum ritibus statuerunt; ergo &c.

Confirmatur: nam Leo Bulg. Archiep. & Macarius Ancyranus, sicuti, ajunt, non circumcidimur, nec festa, aut ea, quæ legis sunt, cum Judæis non servamus; ergo nec azymis uti debemus. II. Arguit Michael Cerularius: ubi dicitur Jesum in ultima cœna accepisse *panem*, extat in græco

ἄρτον, sed ἄρτος interpretatur *ſurſum elevatus*, quod fit vi fermenti & ſalis, nec azymus vere eſt panis, cum vix diſtet a lapide; ergo &c.

III. Idem Cerularius ait: Chriſtus eſt ſacerdos *ſecundum ordinem Melchiſedech*, ſed is ante Moſen & Abraham panem & vinum obtulit, antequam lex Moſaica conſtitueret azymum, quod jamdiu maledictum & derelictum eſt per S. Dei Evangelium; ergo &c. IV. Nec Agatho Papa, nec B. Gregorius Agrigenti ep. obſtitit, dum Trullano can. 11. ſtatutum eſt: *Nemo Judæorum azyma comedat*, quo canone cenſet Balſamon vetitum eſſe, ne ſacrificium fiat in azymis, nam & Græci diverſimode azyma comedunt; ergo &c.

℞. ad I. diſt. ant. Abſtulit, ut jugum tolleret veteris legis, conc. ut novæ inſtitutionem & Chriſti exempla interdiceret, neg. Ita S. Anſelmus in reſcripto ad Naumburg. ep. *Quod Græci ajunt, nos judaizare, non eſt verum; quia non ſacrificamus de azymo, ut legem veterem ſervemus, ſed ut Dominum, qui hoc non judaizando fecit, imitemur. Si enim in diebus Paſchæ azymum panem aliquis comedet, quia non habet alium, aut ſi propter infirmitatem præputium circumcidere cogitur, nullus, niſi inſipiens, hæc agentem judaizare judicabit. Cum ergo nos panem azymum ſacrificamus, ut ipſum panem in corpus ejus divina virtute, ſicut ipſe fecit, ſanctificemus, nequaquam in hoc legis vetuſtatem ſervamus, ſed Evangelii veritatem celebramus.* Nonne Græci aqua utuntur in baptiſmate, licet eam Judæi in ſuis purificationibus adhibuerint? Nonne velum oppanſum ante ſanctuarium tenent, & fermentatum panem conſecrant, quo Judæi in ſuis ſacrificiis uſi ſunt? nec tamen credunt judaizare: hæc Arcudius. Allatius vero ſic Græcos perſtringit: *Qui ſuffocata non manducat Judæum agit, ſed Græci ſuffocata non edunt; ergo judaizant.*

Ad II. neg. min. Nam etiam manna Pf. 77. ἄςτον ȣ̓ρανȣ̃, *panem cœli* dixit Pfalmifta, & panes propofitionis, quos *absque fermento* fuiffe conftat Exod. 25. ἄρτȣς προθέσεως dixit Matt. c. 12. Deinde ipfum *azymum* Moyfes vocavit ἄρτον ταπεινώσεως, hebraice לחם עני *lechem honì*, *panem afflictionis*. Tandem *paximata* veterum monachorum, quæ femel tantum in anno pinfebantur, & erant azymi panes, ἄρτȣς vocat Athanafius in vita D. Antonii. Ad III. vide Auctorem l. 27. c. 7. Adde, nec Græcos oftendere poffe cujus generis panes Melchifedech obtulerit. Ad IV. ℞. neque Agathonem, neque epifcopum Agrigent. interfuiffe Trullanæ Synodo, neque in ea improbatum ufum azymi in facrificio nilque actum de azymo, in quo Armeni facrificabant, cum plures eorum ritus profcripti fuiffent. In ea ergo vetitus eft familiaris cum Judæis convictus, ab iis azyma accipere, cum iis vefci &c. ergo &c.

Propositio II. Viguit in Ecclefia Romana ab Apoftolis ad nos usque azymi ufus.

Ita Mabillonius, Cabbafutius, Lupus, Ciampinus, Macedo, aliique: quamvis oppofitum doceant omnes fere Schol. DD. in 4. Sent. Sirmondus, Bona &c. Prob. I. Nulla fatis certa momenta demonftrant confuetudinem confecrandi azymum natam effe poft fchifma Photianum, ut contendit Sirmondus: & contra certum eft, D. J. Chr. azymum confecraffe; ergo ab hac Chrifti inftitutione univerfalis illa Latinorum confuetudo repetenda eft. Hinc Græcis novitatem opponentibus refpondet S. Leo IX. ep. 1. c. 5. *Ecce jam, poft mille, & ferme 20. a paffione annos, incipit per vos difcere Rom. Ecclefia qualiter memoria paffionis fit recolenda.* Et Card. Humbertus ait: *Prima Ecclefia ad hæc tempora, ficut ab Apoftolis accepit, fideliter retinuit.* Innocen-

tius III. de Myst. Miss. l. 4. c. 2. ait : *Ab ipsis Apostolis Petro & Paulo hunc sacrificii ritum accepit Rom. Ecclesia.*

II. Prob. ex PP. Nam Tertull. l. 2. ad Uxor. ait : *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credet esse, qui dicitur :* ubi subobscure azymum significat, nam, si maritus vidisset uxorem panem usualem comedentem, nil sinistri esset suspicatus. Epiphanius Hæres. 30. de Ebion. ait : *Mysteria perficiunt ex imitatione SS. qui sunt in Ecclesia quotannis in azymis.* Hinc Mabillonius sic arguit : *Ephiphanius probare videtur Ebionæos in eo, quod sacrificium offerebant quotannis in azymis ex imitatione Ecclesiæ, saltem Latinæ ; ergo eo tempore Ecclesia e pane azymo sacrificium conficiebat.* Idem sentit Vasquez & Macedo. III. Cum veteres PP. ea, quibus constant sacra mysteria, singillatim exponerent, nullibi *fermenti,* sed farinæ tantum, & aquæ meminere, ut Cyprianus, S. Gaudentius, & S. P. Aug. Licet enim hoc argumentum sit negativum, cum tamen PP. farinam, aquam, conspersionem, massam, & ignem exponant, inverisimile est fermentum omissuros fuisse, si in Eucharistia fuisset adhibitum. IV. Idem evincitur ex forma, & qualitate sacrarum hostiarum, quas olim factas ex azymo ostenditur ex illarum exilitate, figura, & forma impressa ferro *charactérato,* quasve nobis exhibent Mabillonius, Martenius, & Harduinus.

V. Falsum est, azymum post X. tantum sæculum obtinuisse Non enim ausus esset Leo IX. & Humbertus ab Apostolis repetere hanc consuetudinem : imo Græci opponere potuissent, Latinos a veterum more discessisse ; se autem sequi exempla majorum. Profert etiam D. Th 3. p. q. 74. hæc Gregorii M. verba : *Romana Ecclesia offert azymos panes, quia Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem :* quæ etiam verba urget Scholarius, licet nunc in Gregorio non extent. Item in vetustissima Missa, quam

Am-

Ambrosio tribuit Strabo, legitur : *Oblationes panis azymi.* VI. Ante Photii schisma in usu fuisse azymum probat Lupus ex Alcuino, qui obiit sec. IX. ineunte : is enim ep. 69. ad Lugd. Eccl. ait : *Panis, qui in corpus Christi consecratur absque fermento, debet esse mundissimus . . . . ex aqua & farina &c.* Et Rabanus, qui obiit biennio ante Photii intrusionem ann. 856. *Panem infermentatum in Sacramento corporis Christi sanctificari* ait l. 1. de Inst. Clericorum.

Ob. I. Consecrabatur olim Eucharistia oblationibus populi, quarum reliquiæ distribuebantur viduis & pauperibus ; ergo &c. II. Idem innuit Tertullianus : Epiphanius vero consecrationem azymi tribuit Ebionæis. In Dialogis etiam Gregorii M. evinci consecrationem *fermenti* scribit Georgius Corcyr. ergo &c. III. Ambrosius l. 4. de Sacr. Eucharistiam vocat, *panem usitatum* ; ideoque fermentatum. IV. Photius non objecit Latinis usum azymi ; ergo &c. V. oblationes consecratæ ad Titulos delatæ *fermentum* dicuntur ; ergo &c.

℞. ad I. neg. ant. Duæ namque oblationes olim in Missa fiebant, I. ante Evangelium, in qua offerebatur panis & vinum &c. ad sustentandum sacerdotes & egenos. II. lecto Evangelio, in qua offerebatur panis & vinum ad consecrationem, cujus reliquiæ privatis sacrificiis deservirent : I. oblatio erat ex fermentato, II. vero non item, ut constat ex antiq. Missa Ambrosiana, ubi etiamnum viri & matronæ offerunt sacerdoti sacrificii materiam, nempe azymos panes.

Ad II. neg. ant. de quo supra Prob. I. Gregorius vero nil habet in Dial. quod juvet adversarios : imo observat Lupus, Armenos a Romana Ecclesia, & a Gregorio M. accepisse *azymum, mitram episcopalem &c.* ut ad Haytonem scribit Greg. Sisensis. Ad III. dist. ant. Vocat *panem usitatum* ante consecrationem, prout opponitur consecrato, conc.

prout

prout opponitur azymo, neg. Nam ipſe Rupertus Abbas l. 3. de Spir. S. oper. panem azymum a Chriſto in ultima cœna conſecratum, *panem uſitatum* appellat. Ad IV. neg. conſ. Ideo enim id non objecit Photius, quia in Bibl. Cod. 116. ſcripſerat, ex Chryſoſtomo & Eccleſia Chriſtum legale Paſcha ex legis præſcripto ſervaſſe; adeoque in azymo conſecraſſe: ita Mabillonius. Addunt alii, Photium non objeciſſe nec tonſuram capitis, nec unicam ablutionem baptiſmi, nec dilationem Confirmationis &c. Tandem, quia ep. 64. ſcripſerat, non eſſe reprehendendam *diſſimilitudinem in myſticis ſacrificiis.*

PROPOSITIO III. *Fermentum* delatum olim ad Titulos erat panis azymus conſecratus.

Fermentum illud fuiſſe Eulogias, non Euchariſtiam, cenſuit Baronius, Binius, Macedo, & Caballutius, quibuscum facile ſolvi poterat objectio num. 5. Sed oppoſitum tenent Lupus, Card. Thomaſius, Mabillonius, Scheleſtratius, & Bened. XIV. Prob. I. De Melchiade enim legitur in Pontificali: *Hic fecit, ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu epiſcopi dirigentur, quod declaratur fermentum*; ergo non quævis oblatio ad Eccleſias directa eſt, ſed ejus pars, quam epiſcopus conſecraverat, ut eadem participatione Sacramenti plebs Chriſtiana cum paſtoribus, & Rom. Pontifice ſervarent unitatem. Idem ſtatuit Siricius anno 385. cum Manichæi latitarent in Urbe: *Hic conſtituit, ut nullus presbyter celebret miſſas per hebdomadam, niſi conſecratum epiſcopi ſuſciperet, quod nominatur fermentum.* Ubi conſecratum epiſcopi, nonniſi coacte, accipitur pro Eulogiis.

Idem evincitur ex paſſione S. Tarſicii, qui hoc fermentum ad titulos ferens, cum nollet paganis ſancta prodere, necatus eſt, ex Act. S. Steph. ubi legitur: *Invenerunt milites Tarſicium Acolythum Chriſti corporis Sacramenta portantem: ille nequaquam voluit detegere ſacra myſteria, qui eum fuſtibus*

& lapidibus mactaverunt. Ubi, licet non habeatur, quod deferretur ad Titulos *fermentum*, habetur tamen quod deferebatur Euchariſtia; ergo hæc erat *conſecratum epiſcopi, quod nominabatur fermentum*, & ferebatur ad Titulos

IV. Innocentius I. in ep. ad Decent. c. 9. ait: *De fermento, quod die Dominico per Titulos mittimus, nos conſulere voluiſti .... Idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt*, presbyteri, *ut ſe a noſtra communione illa die non judicent ſeparatos, quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda ſunt Sacramenta*: ſed *Sacramentum* ab epiſcopo *confectum* in teſſeram communionis presbyterorum cum Rom. Pontifice, *& non longe portandum*, non eſt ſimplex eulogia, ſed verum Chriſti corpus, ut probat Lupus, Schelestratius, & Mabillon; ergo &c.

V. Fermentum, quod ſabbato ante Dom. Palm. diſtribuebatur *in Conſiſtorio Lateranenſi*, eſt Euchariſtia miſſa ad epiſcopos ſuburbicarios, ut ſaltem in Paſchate participarent cum Rom. Pontifice de uno eodemque myſterio, ut notat Card. Thomaſius, & Benedict. XIV. ergo &c. VI. Canone 14. Laodiceno: *Ne ſancta inſtar Eulogiarum in feſto paſchæ ad alias parochias transmittantur*, noſtra firmatur aſſertio, non evertitur: ibi enim *ſancta* ab *Eulogiis* diſtinguuntur & decernitur, ne *fermentum* ſeu Euchariſtia, quæ ſanctum Domini dicitur a PP. ad forenſes Eccleſias deferatur, ſed ad longinquas mittantur ſolum *Eulogiæ*, ut ſtatuit Innocentius I. loco citato.

Ex his autem non ſequitur, Eccleſiam Latinam conſecraſſe olim fermentatum, multum quippe intereſt inter *fermentum* & *fermentatum*. *Fermentum* enim etiam de azymo enunciatur in Ordine Rom. eo etiam tempore, quo Latina Eccleſia utebatur azymo, & tamen in eo præſcribitur, ut *fermenti particula* mittatur in calicem ab epiſcopo &c. Neque inveriſimile eſt, hoc nomine appellatam eſſe

Euchariſtiam, ut obſcuro vocabulo hoc myſterium profanis occultaretur, ut cenſent Scheleſtratius & Mabillonius: *Manet igitur*, ait Sirmondus c. 5. diſq. de Azymo, *oblationes conſecratas in decreto Melchiadis ſacram Euchariſtiam intelligi.*

Propositio IV. Azymi panes in Euchariſtia conſecrandi debent eſſe exiles & rotundi ex Eccl. diſciplina.

Prob. I. Epiph. in Anchorato ait, poſſe panem eſſe corporis Chriſti ſymbolum, licet figuræ ſit circularis, *hoc enim eſt rotundæ formæ.* Nec mirum videri debet, a nobis ea de re produci Patrem Græcum, licet Græci urgeant neceſſitatem fermentati. I. enim probabile eſt ejus ætate aliquas ſaltem Græcorum Eccleſias azymum uſurpaſſe, ex Epiph. Hær. 30. de Ebion. II. Græcos adhibuiſſe panes circularis figuræ ſcribit Gabriel Philadelph. in Apol. pro Eccl. Orient. *Is panis*, ait de pane Euchariſtico, *præſefert ſigillum figuræ circularis.* II. Cæſarius in dial. 3. de Fid. cathol. ait, corpus Chriſti, dum inter nos degeret, fuiſſe *artubus compoſitum, hoc rotundum.* III. In ſepulchro S. Otmari inventas fuiſſe *panis rotulas, quæ vulgo oblatæ dicuntur*, narrat in ejus vita Iſo monachus ap. Mabill. IV. Hoſtias rotundas exhibent etiam imagines ex vetuſtis cod. Græcis, Syris &c. deſcriptæ.

Prob. II. pars. Hoſtias enim exiles, tenuesque eſſe formandas conſtat I. ex picturis ſupra laudatis, & ex revelatione Ildefonſi archiepiſcopi Toletani ann. 845. apud Mabill. in diſſ. de Azymo, ubi apparet ſacerdotum majores hoſtias, communicantium eſſe minores, & una ferri impreſſione formatas hoſtias 5. majorem unam, 4. minores, & ex una farinæ libra 100. majores hoſtias effici potuiſſe. II. Uldaricus in 3. l. Conſuet. Clun. c. 13. ait, in ferramento, quod *characteratum* appellat, ſimul hoſtias 6. confici. Eadem ratione oblatas impreſſas, & ferro decoctas narrat anonymus monachus, qui

qui vixit ſæculo IX. III. Toletana Synodus ſtatuit : *Ut non aliter panis ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata, ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat,* ſive, ut ait Raymundus in ſumma :

Candida, triticea, ac tenuis, non magna, rotunda
Expers fermenti, non falſa ſit hoſtia Chriſti.

Propositio V. Incertum eſt tempus, quo uſus fermentati obtinuit apud Græcos, ſed antiquior eſt Photii ſchiſmate.

Prob. I. pars. Innocentius III. ait, Græcos ſacrificii ritum mutaſſe, *poſtquam tunicam Domini inconſutilem diviſerunt.* Idem ſentit Card. de Vitriaco. Alenſis autem, S. Thomas, Scotus, Eſtius &c. putant, fermentatum inductum occaſione Ebionæorum hæreſis, qua ceſſante Latinos ad priſtinum morem rediiſſe ait, non Græcos. Gregorius Siſenſis apud Lupum ait, Apoſtolos modo azymum, modo fermentatum conſecraſſe, atque hinc derivatum utriusque Eccleſiæ diſcrimen. Plures recentiores putant, omnes Eccleſias Orientales per ſex priora ſæcula conſecraſſe fermentatum, ex quo PP. panem Euchariſticum *communem* vocent & *uſitatum* : quod nimis futile eſt, nec deſunt in Oriente Eccleſiæ, quæ azymum conſecrant. Prob. II. pars. Nam S. Leo, & Card. Humbertus nunquam objecerunt Græcis uſum fermentati occaſione Photiani ſchiſmatis, quod feciſſent, opponentibus Græcis Judaiſmum & Apoſtolicarum Conſtitutionum violationem. Deinde Philoponus Alexandrinus, qui vixit in urbe C. P. ann. 535. ait : *Neque azymum panem diſcipulis ſuis dedit Chriſtus, fieret enim id etiam nunc* ; ergo ſaltem in C. P. & Alex. Eccleſia viguit VI. ſæculo fermentatum.

Propositio VI. Valide conficitur Euchariſtia tam in azymo, quam in fermentato.

Prob. I. pars. Nam I. Christus revera consecravit in azymo. II. Ecclesia Latina semper hunc usum retinuit. III. quia azymus vere est *panis* ἄρτος, & farinæ & aquæ conspersio. IV. quia nunquam Græci ea de re Latinos accusarunt. Prob. II. pars ex Florent. Synodo, quæ in Decreto Un. definit: *In azymo, sive in fermentato pane Christi corpus veraciter confici.* Prob. II. ex prob. II. partis Prob. præc. III. S. Gregorius VII. ep. 1. l. 8. ait: *Nos azymum defendentes, ipsorum fermentum non reprobamus.* IV. S. Th. 3. p. q. 74. huic Sacramento *necessarium* censet, ut panis sit triticeus azymus, aut fermentatus; *conveniens* autem, ut quisque servet *ritum Ecclesiæ suæ.* V. Pius V. an. 1566. vetuit: *Ne presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu Missas celebrare præsumant.* VI. In professione fidei Græcorum jussu Greg. XIII. edita habetur: *In azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici*; ergo &c.

CAPUT V.

De variis circa materiam hujusce Sacramenti quæstionibus.

Inferuntur ex supradictis quædam veluti consectaria, & aliique non parvi momenti propositiones, quas infra subjicimus. Sit itaque

Propsitio I. Solus panis triticeus est Sacramenti Eucharistiæ materia.

Prob. I. ex Florent. Synodo, & PP. qui docent, Eucharistiam esse panem consecratum, atqui panis, quo communiter utimur, est *triticeus*, nam alii sunt in hujus panis defectu ex D. Th. ergo &c. II. Figuræ hujus Sacramenti, ut panes propositionis, fiebant ex simila, idest flore farinæ triticeæ, unde dicitur figurata in *frumenti adipe* Ps. 80. *& in frumento electorum* Zac. 9. III. Ecclesia non alio pane utitur in consecratione, nisi triticeo, constat enim

ex

ex Act. 3. Synodi Chalcedon. in Lybia non fuiſſe celebratum ſacrificium Euchariſt. cum fraude Dioſcori illuc deferri non potuit frumentum, quod in Lybia non naſcitur.

Opp. I. Frumentum eſt id omne, quod emittit ariſtas, unde S. P. *panem frumentaceum* paſſim commemorat; ergo &c. II. Hinc Judæi *azymum paſchalem* ex zea, ideſt ſpelta, & hordeo defectu tritici parabant ex Ramba *Halechot*; ergo &c. III. *De ſiligine non videtur dubitandum*, ait Eſtius diſt. 8. §. 6. cum hæc e tritico naſcatur, & cum eo, ex Columnella & Plinio, commutetur.

℞. ad I. diſt. ant. Frumentum eſt &c. in ſenſu grammaticali, conc. communi ſignificatione, neg. alias etiam *minuta grana in ficis*, quæ *frumenta* vocat Plinius l. 15. eſſent apta Euchariſtiæ materia. Auguſtinus vero *frumentum* accepit pro ejus ſpecie nobiliori, ut in Pſ. 147. ubi *frumenti adipem* laudat. Ad II. neg. conſ. in Ramba enim plures ſunt fabulæ, quamvis ibi etiam habeatur, azymum, ſi poſſit, fieri *ex tritico præſtantiſſimo*. Ad III. ℞. ob auctoritatem D. Thomæ poſſe ſubſcribi Eſtio, non ita tamen ſentit S. D. de hordeo, ſpelta, ac farre. Imo cum ex definitione Innocent. XI. nefas ſit in Sacramentis uti materia tantum *probabili*, nec certum ſit an ſiligo habeat tritici naturam, dicimus panem ſiligineum conſecrandum non eſſe. Nec obſtat eam naſci ex tritico, cum inde naſcatur etiam avena. Errant ergo Beza, Voſſius, aliique Novatores, qui putant in cœna Domini uſurpari poſſe, quidquid adhibetur *loco panis*, quod lib. 31. refutavimus.

Propositio II. Quod non ſpectat ad panis triticei ſubſtantiam, non eſt apta Euchariſtiæ materia.

Sequitur I. ex Prop. præced. & ex quo nullus homo poſſit determinare Sacramentorum materiam, valde execranda fuiſſe ſacrilegia Gnoſticorum, qui ex Epiph. H. 26. peracto ſtupro

utriusque maris profluvium cavis manibus excipientes offerebant his verbis: *Offerimus tibi donum istud Christi corpus*, easque sordes deguſtantes dicebant: *Hoc eſt corpus Christi, & hoc eſt Paſcha*, poſtea abſorbentes ſanguinem menſtrui fluxus ajebant: *Et hoc eſt ſanguis Chriſti.* Manichæi etiam a Gnoſticis orti Euchariſtiam ſumebant *conſperſam cum ſemine humano* ex Aug. H. 46.

De Montaniſtis ait S. P. A. Hær. 26. Sacramento habuiſſe funeſta: *Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis vulneribus* extorquebant, *quaſi Euchariſtiam ſuam* conficiebant, *miſcentes eum farinæ, panemque inde facientes.* Patet II. ineptiſſime *Artotyritas* hæreticos, ita appellatos, ἀπὸ ἄρτȣ *a pane*, & τύρȣ *caſeo*, caſeum cum pane in celebrandis myſteriis adhibuiſſe, dicentes ex Aug. *A primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuiſſe celebratas.* Timotheus presbyter ait, Artotyritas in ſacra cœna adhibere *farinam lacte, non aquæ ſubactam.*

III. Sequitur, nihil ratione Sacramenti offerendum eſſe præter panem vinumque conſecranda, licet non improbentur oblationes, ad ſacrificii decentiam, ad altarium ornatum, & pauperum ſubſidia: qua de re vide can. 3. Apoſt. 57. Trullanum &c. IV. Sequitur non eſſe Euchariſtiæ miſcendum oleum, ut quidam Jacobitæ, qui, ex anonymo, *ſuam oblationem oleo miſcent.* Nec *ſalem eſſe in ſacrificium corporis Chriſti mittendum, quam conſuetudinem, nec univerſalis obſervat Eccleſia, nec Romana cuſtodit auctoritas*, conſtat ex Alcuini ep. ad Lugdunen. 69.

V. Sequitur intolerabilem eſſe abuſum *miſcendi ſacro oleo, & iterum coquendi, vel exſiccandi ſpecies Sacramenti Euchariſtiæ feria 5. in cœna Domini, ut illud aſſervent*, quod improbat etiam Benedictus XIV. VI. Infertur, non eſſe Euchariſtiæ materiam

riam farinae paſtam, quam *intritum* vocant, non *panem*: permixtionem vero alterius frumenti cum farina triticea, niſi hanc ſuperet quantitate, ex D. Th. ob mutationem tantum accidentalem, non officere conſecrationi.

PROPOSITIO III. Quævis quantitas panis triticei, ſi præſens eſt, & ſenſibilis, eſt valida Euchariſtiæ materia.

Prob. ex Prob. IV. cap. præc. ubi monſtratum eſt, VII. ſæculo a Tolet. Synodo, & ſæc. 9. a S. Ildefonſo commendatas hoſtias circularis figuræ, & quantitatis exiguæ: licet Juenin, Gotti, & Tournelius ad tenuiſſimam hanc formam redactas eſſe labente ſæc. XI. non recte opinentur. II. Cum autem major aut minor quantitas non mutet panis ſubſtantiam, certum eſt I. non obeſſe conſecrationi magnam quantitatem, II. impie eum agere, qui recedit a ſuæ Eccleſiæ conſuetudine, & eam conſecrat quantitatem, quæ nequeat abſumi, antequam putreſcat. III. Cenſet Macedo, non poſſe a ſacerdote conſecrari quamcumque panis, aut vini quantitatem, puta totum panem exiſtentem in foro, aut vinum in apotheca, quia Euchariſtia inſtituta eſt ad uſum ſacrum, non ad abuſum: ſed fallitur, nam abuſus non tollit veritatem Sacramenti, ſit adſit materia, forma, & intentio: hic S. Thom. 3. p. q. 74. ait, nullam eſſe panis, aut vini quanticatem adeo magnam, *quæ conſecrari non poſſit.*

IV. De præſentia materiæ ſubſcribunt Theologi omnes D. Thomæ in 4. diſt. 2. q. 2. a. 1. quod conſecrari valeat *quantacumque quantitas panis & vini, quæ coram ſacerdote proponitur.* Hinc patet, non conſecrari materiam poſt parietem, aut a tergo ſacerdotis poſitam, bene tamen conſecrari ante ipſum conſtitutam, licet cooperta ſit velo, & pixidi incluſa, dummodo præceſſerit intentio conſecrandi quidquid materiæ ſit præſens, ad quam præſentiam moralem non opus eſt, ut materia tota

oculis inſpiciatur, alioquin nec particulæ ſub aliis latitantes erunt conſecratæ.

Propositio IV. Imperite Græci Romanos inſimulant de uſu azymi.

Prob. I. Nam uſum hujusmodi probat Chriſti inſtitutio. II. PP. Græci & Latini panem in ſacrificio requirunt non fermentatum. Chryſoſtomus enim ait, Chriſtum comediſſe *Paſcha legale.* Theodoretus in Dan. ait: *Panis dicitur fermentatus, & azymus.* III. Licet Eccleſia Romana ab Apoſtolorum ævo azymum conſecraverit, nemo tamen ex Græcis, nec ipſe Photius, id nobis oppoſuit ad fovendum ſchiſma, quod Michaeli exprobrat S. Leo dicens: *Quis non ſtupeſcat, quod poſt tot SS. PP. per* 1020. *annos novus calumniator emerſiſti Eccleſiæ Latinorum anathematizans participes Sacramentorum ex azymis?* IV. damnatis Monothelitis Joannes Portuenſis Latino ritu celebravit in azymis coram Imper. & aliis Græcis id laudantibus ex Hilarione Græco Monacho. V. Hunc ritum ſervaſſe olim Eccleſiam Jeroſol. oſtendit Lupus p. 717. & veteres Maronitas ex Abrahamo Ekellen. probat Morinus. Armenos azymis uti non negant Græci. Idem de Mozarabibus oſtendit Mabillonius, & de Indis ex Joſepho Indo Martenius. Vide notas Richardi Simonis in Apolog. Gabrielis Severi n. 6. p. 87.

Propositio V. Licet convenientior videatur ritus Latinorum, hi tamen non damnant Græcos ob fermentatum.

Prob. I. pars tum exemplo Chriſti, tum ex veteri diſciplina, atque azymi uſu. II. ex ejus nitore atque aptitudine, nam azymus panis rarius mucidus fit, nec tumidus & cavernoſus eſt, ut fermentatus. III. ex ejus ſignificatione: denotat quippe azymus *ſinceritatem*, & Chriſti carnem ſine virili commixtione progenitam. Contra fermentatum polluta ſacrificia, Phariſæorum hypocriſim, & genus omne malitiæ deſignat. Plautus etiam de

irata

irata muliere ait in Casina : *In fermento tota est, ita turget mihi.* IV. ex Romanæ Ecclesiæ zelo in custodiendis Apostolicis traditionibus, ac Judæorum fabulis refellendis, cum Ecclesia Græca, postquam ab Ario, Macedonio, Nestorio, Eutychete, aliisque hæreticis vitiata est, & adversus Petri cathedram caput extulit, pluribus novitatibus ausa sit *incessere vetustatem* ; ergo convenientior videtur ritus Latinorum.

Prob. II. pars. Nam Barlaamus monachus Calaber apud Cantacuz. l. 2. Hist. c. 40. licet Græcis addictus, ait : *Latinos vero prudentiores existimo, quod illi minime hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur.* Reapse Gregor. VII. ad Synnad. Archiep. scribit : *Nos azymum nostrum defendentes, ipsorum fermentum non reprobamus.* Clemens VII. in Bulla *Provisionis nostræ* vetuit Latinis, ne reprobare præsumant *ritus & ceremonias* Græcorum in Concilio Florent. approbatas, quod etiam statuit Bened. XIV. in Const. *Etsi Pastoralis* ; ergo &c.

Propositio VI. Non licet Græcis apud Latinos morantibus consecrare azymum, nec vicissim.

Prob. contra Dianam, Macedo, Henno &c. Utuntur enim adversarii communi proloquio : *Cum fueris Romæ &c.* & Aug. epistola ad Bonif. ubi traditur, servandam esse Ecclesiarum, ad quas proficiscimur consuetudinem : atqui aliud de sacrificii ritu, ad quem servandum sacerdotes Ordine initiantur, dicendum est, aliud, de variabili consuetudine, ut sunt festi dies & jejunium sabbati ; ergo &c. Hinc Bened. XIV. in Const. super Ritus Græcorum præcipit, ut Italo-Græci servent Kalend. Gregor. festa, jejunia, & consuetudines universas diœcesis, ubi habitant, juxta proloquium supra laud. sed de sacrificii ritu §. 6. statuit : *Ne presbyteri Græci latino more, & Latini Græco ritu missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.*

CAPUT VI.

De institutione materiæ Calicis.

De materia Calicis quæri potest I. an vinum tantummodo sit consecrandum. II. An ei parum aquæ sit admiscendum. III. An hæc in Christi corpus, idque immediate, convertatur.

Propositio I. Eucharistiæ materia vinum est, nec potest ejus loco aqua, aut alius liquor substitui.

Prior pars damnat Ebionæos, qui ex Epiphanio Hær. 30. num. 16. ait: *Ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent*, qui proinde *Aquarii* sunt appellati. His accedunt, Tatiani gregales dicti *Encratitæ, quod nec vinum biberent, & aquam pro vino offerrent*, ait Theodoretus l. 1. H. Fab. 20. & Manichæi, quos refellit Serm. 4. de Quadr. S. Leo M. Altera pars est contra Novatores, Bezam, Melancthonem &c. qui putant, ubi vini usus non est, posse usurpari quidquid ibi vini loco bibi solet, licet fateantur, si adsint, retineri debere *vulgaria symbola*.

Prob. I. pars ex Matth. 26. qui narrat, Christum consecrasse *de genimine vitis*; ergo &c. II. Christus dicitur: *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech ratione rerum oblatarum*, idest panis & vini. III. Concilium Carthag. statuit: *Ut in Sacramento offeratur, quod Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum.* Et Florentinum in Instr. Armen. ait: *Eucharistiæ materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui aqua modicissima admisceri debet.* IV. ex traditione PP. de qua infra prop. II. & ex universali Ecclesiæ consuetudine.

Prob. II. pars. Non enim aliam possumus consecrare materiam, præter eam, quam Dominus tradidit, sed alia consecraretur, si fas esset vini loco aquam aut liquorem alium substituere; ergo &c.

Hinc

Hinc Chryfoft. Hom. 6. in Matt. *Cujus rei gratia*, ait, *non aquam, fed vinum? Hærefim evellere voluit eorum, qui aqua in myfteriis utuntur.* De Aquariis etiam fcribit Clem. Alex. *Eos relinquere Ecclefiam & verfari in hærefibus.* Epiph. hom. 401. de Encratitis ait: *Illorum myfteria, quæ aqua folummodo conftant; myfteria non funt, fed ficta.* Et S. Cypr. ait: *Plebem effe fine Chrifto,* ubi aqua non vinum fertur.

Opp. Aquarii: de fideli ait Chriftus Jo. 7. *Flumina de ventre ejus fluent*; ergo &c. ℞. neg. conf. Nam verba illa de baptifmo accipi debent, vel de fpiritu, *quem accepturi erant credentes*, nempe de gratia novi teftamenti aquæ comparata If. 44. & Ezech. 36.

Propositio II. Vino parum aquæ mifceri debet ex traditione, & Ecclefiæ præcepto.

Prob. I. contra Armenos, qui vinum merum confecrandum effe putabant (decepti falfa interpretatione Chryfoftomi) ut conftat ex Concilio Florentino, Trullano, ex Theophylacto &c. tum contra Proteftantes, qui, licet fateantur verifimile effe Chriftum vinum mifcuiffe, & mixto vino veterem Ecclefiam ufam effe; contendunt tamen rem effe adiaphoram, vetuftamque confuetudinem hoc ævo non præfcribere, & prudenter merum præferri, ut fuam oftentent libertatem. Etenim canone 32. Trull. ann. 692. ftatuitur: *Ut fi quis epifcopus, vel presbyter, non fecundum ordinem ab Apoftolis traditum facit, & aquam vino mifcens offert facrificium, deponatur, ut imperfecte myfterium enuntians.* Concilium Bracharen. IV. can. 2. ait: *Calix Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri.* Carthag. III. can. 24. jubet, ut facerdos offerat, *quod ipfe Dominus tradidit, hoc eft panem, & vinum aqua mixtum.* Adde Can. II. ubi monentur *Sacerdotes Dei, ut procurent, ut panis, & vinum, & aqua, fine quibus nunquam Miffæ celebrantur, pura, & munda fiant.*

Prob.

Prob. II. ex PP. Juftinus M. Apol. 2. oblationes defcribens, quibus conficitur Euchariftia, ait: *Offertur panis, & poculum aquæ & vini*, & infra: *Panis offertur, & vinum, & aqua.* Irenæus l. 4. c. 57. *Accipiens temperamentum calicis fuum fanguinem confirmavit. Ubi temperamentum calicis*, ex Maffueto, *mixtum calicem vocat, quia ex traditione Apoftolica vinum confecrandum aqua mifcetur.* S. Cyprianus in ep. 63. ad Cæcil. *Quando in calice vino aqua mifcetur, Chrifto populus adunatur, . . . in fanctificando offerri aqua fola non poteft, quomodo nec vinum folum poteft. Nam fi vinum tantum quis offerat, fanguis Chrifti incipit effe fine nobis, fi vero aqua fit fola, plebs incipit effe fine Chrifto.* Ambrofius de Sacram. ait: *Didicifti quod vinum & aqua in calicem mittuntur.* S. P. A. de laud. Cypr. ait: *Solvitur ibi quæftio, utrum calix dominicus aquam folam, an eam vino mixtam debeat habere*; ergo &c.

Prob. III. ex antiquis Eccl. ritibus: id enim conftat ex Conft. Apoft. l. 8. c. 12. ex Liturgia Jacobi, ex can. 32. Trull. aliisque monimentis apud Allatium, & Benedictum XIV. Idem præcipitur in ritu celebrandæ Miffæ, in Capitulari Attonis Vercell. Ep. Græci vero etiam frigidam vino mifcent ante confecrationem, & calidam paulo poft; quod a Bened. XIV. ob ritus antiquitatem Græco-Latinis permittitur. Ejus quoque mixtionis meminere Liturgiæ S. Bafilii & Chryfoftomi: Niffenus etiam, Theodoretus, Damafcenus, Proclus, Nicephorus &c. Adde, Græcos ipfos, ut Arcudium & Gabrielem Philadelph. in fuis Liturgiis refellere fcriptores Latinos, ut Guidonem Carmelitam &c. *qui dicunt, Græcos facro calici aquam non admifcere fecundum Ecclefiæ traditionem.* Vide Miffam Æthiopum, & Coptorum apud Bolland. Tom. V. Jun. n. 199.

Prob. IV. rationibus Trid. Synodi, quæ feff. 22. c. 7. *monet facerdotes, ut aquam vino in calice offerendo mifcerent, tum quod Chriftum Dominum ita*

feciffe

fecisse credatur; tum quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: & cum aquæ in Apocalypsi populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

Opp. Novatores: prima ratio Trid. Syn. petitur ab exemplo Christi, atqui non probatur ex scripturis, quod Dominus aquâ vinum temperaverit, ut fatetur Bellarminus; ergo &c. ℞. neg. conf. Non enim solæ scripturæ servarunt nobis rerum a Christo gestarum notitiam, cum plura Jesus fecerit, quæ scripta non sunt. Adde in cœna Paschali *ita vinum temperandum fuisse aqua, ut nisi hanc admiscuissent, credidissent aliquid esse omissum in recta hujus ceremoniæ observatione*, ut ex Maimon. probat Ligthfootus. Fallitur ergo Buxtorfius, qui ait, Judæos id servasse pro lubito, sed etsi ii non servassent, servavit tamen Christus: *Qui temperantiæ summæ se præbuit exemplum*, ut ait Jo. XXII. ad Archiep. Armenorum.

Opp. II. Altera Tridentinæ Syn. ratio petitur ex aqua, quæ simul cum sanguine fluxit e latere Christi, atqui non est necesse usurpare in Sacramento quidquid adfuit in passione Domini; ergo &c. ℞. dist. min. Non est necesse ex Dei mandato, conc. ex præcepto Ecclesiastico rationabili causa servando, neg. Licet enim in aqua lateris Christi denotari baptismum veteres scripserint, non desunt tamen PP. cl. Augustinus, Theodulphus Aurelianen. Valafridus, Paschasius &c. qui illius aquæ symbolum referant per aquam, quæ in calice adhibetur. His adde cap. *In Sacramentorum* de Consecr. dist. 2. & cap. *in Calicem* sumptum ex Ambr. l. 5. de Sacr. nec non liturgiam S. Joannis Chrysost. ubi legitur: *Ad infusionem vini dicit Sacerdos: Et unus militum . . . . & exivit sanguis, & addens aquam dicit: Et aqua.*

Opp. III. Postrema ratio Trid. est, quia aquæ populi in Apoc. dicuntur, sed symbolica Theologia, ait Vossius, non sat est ad ritum adstruendum;

dum ; ergo &c. ℞. neg. min. Cum enim ſacri ritus inſtituti potiſſimum fuerint ob myſticam ſignificationem, ſufficit ſymbolica Theologia, ſi hoc Eccleſiæ opportunum videatur, ad ſacrum ritum adſtruendum. Deinde Trid. Syn. præter hoc ſymbolum, profert exemplum Chriſti. Nec ſolum Cæſarius, Paſchaſius, Rabanus a Voſſio citati rationem illam probarunt, ſed etiam S. Cyprianus, Theodulphus, S. Thomas, Hildebertus Turonenſis &c.

Opp. IV. Armeni locum Chryſoſt. hom. 83. ſup. cit. Novatores vero jactant Eccleſiarum libertatem ; ergo &c. ℞. ad 1. loqui S. D. contra Aquarios, ut ſup. notatum eſt. Novatores item refutavimus l. 30. c. 23. Prob. II.

Opp. V. Can. 4. Conc. Aurel. ann. 545. vel 541. ubi in vet. editione ſtatuitur : *Ut nullus in oblationibus calicis, niſi quod fructu vineæ ſperatur, & hoc ſine aqua mixtum, offerre præſumat* ; ergo &c. ℞. neg. conſ. Legi enim debet : *Et hoc aqua mixtum,* ut habetur in collect. Labb. tom. 5. quomodo enim eſſe poteſt vinum *mixtum*, & ſine aqua ? Hinc Voſſius ipſe mendum agnoſcens ait, fieri non poſſe, ut PP. Aurel. tam veterem Eccleſiæ conſuetudinem immutaverint.

Propositio III. Aquæ cum vino permixtio non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti Eccleſiaſtici.

Prob. I. pars. Nam materia calicis in Evangelio dicitur : *Genimen vitis*, ſed tale eſt vinum etiam nulla aqua dillutum, ergo &c. Vide Prop. primam. II. Cyprianus in ep. ad Cæcil. ait, eſſe *ſanguinem Chriſti,* ſi vinum ſine aqua ſit conſecratum : ibidem veniale eſſe cenſet in eo, qui ignoranter aquam vino non miſcuerat ; ergo &c. III. Sine aqua vinum eſt ſymbolum Corporis Chriſti ; ergo &c. IV. Peracta conſecratione non debet aqua prætermiſſa ſuperinfundi ex Rubr. Miſſ. ut fieri debet de vino omiſſo, *ſi poſt verba conſecrationis advertat ſacerdos,*

cerdos, vivum non fuisse positum; ergo &c. Prop. II. pars ex Prob. præced.

Ob. I. S. Cyprianus ait, perfici Eucharistiam, cum vinum & aqua miscetur; ergo &c. Addit II. non adunari Christo populum sine ea mixtione. III. Ait: *Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, quomodo Corpus Domini nequit esse farina sola, aut aqua sola*; ergo &c. IV. Aqua vino non permixta non gereret typum cruoris, qui fluxit de Christi latere; ergo &c.

℞. Ad I & II. dist. ant. Ait perfici, quoad significationem unionis fidelium cum Christo conc. quoad significationem, & prout continet signum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, neg. Nam præter symbolum a Cypriano expressum, species panis & vini sunt præcipuum signum corporis & sanguinis Domini, prout sunt spiritale animarum nostrarum nutrimentum. Ad III. dist. ant. Calix non est *vinum solum*, quoad mysticam significationem, conc. quoad substantiam, neg. Cæterum inter farinam & vinum magnum discrimen est: illa enim sine aqua non est panis, nec Eucharistiæ materia, hoc vero sine aqua vinum est, & valida ejus materia. Ad IV. neg. conf. Non enim opus est, ut Sacramenti materies omnes typos gerat Dominicæ passionis, cum nec ipsa aqua, sed sanguis, necessarius fuerit ad Christi passionem.

Ob. II. contra II. partem: Christus præcepit Apostolis, ut idem facerent, quod ipse fecerat, sed ex Cypriano Christus aqua calicem temperavit; ergo. &c. II. Concil. Carth. id refert ad Dominicam traditionem; ergo &c. III. Non invenitur Rom. Pontifex, qui hoc præceptum tulerit; ergo non est Ecclesiasticum. ℞. ad I. dist. maj. Ut idem facerent, quoad substantialia, conc. quoad accidentalia, neg. Non enim ait: *Hoc facite, adhibito hoc tantum pane, non alio, vino sic temperato, servato hoc tempore*, sed tantum:

Hoc

Hoc facite, ideſt: *Conſecrate panem & vinum, comedite, diſtribuite*; refertur enim τὸ *facite* ad proxime peractam actionem, non ad accidentarias actionis circumſtantias: alias non liceret Græcis in fermentato, nobis mane Euchariſtiam conficere. Cyprianus ergo loquitur contra illos, qui in ſacrificiis matutinis ſolam aquam adhibebant, *ne per ſaporem vini redolerent ſanguinem Chriſti*; poſtquam autem demonſtravit ex traditione Dominica conſecratum eſſe vinum, exponit aquæ ſymbolum, de quo ſupra. Ad II. diſt. ant. Et unum refert quoad Chriſti exemplum, & myſticam ſignificationem, alterum quoad neceſſitatem, conc. utrumque quoad neceſſitatem, neg. Ad III. neg. conſ. Eccleſia enim juſſit ſervandum, quod Chriſtus feciſſe traditur, & Apoſtoli ſervarunt. Non deſunt tamen, qui id ab Alexandro Rom. Pontifice inſtitutum putent anno 109.

PROPOSITIO IV. Aqua calici infundi debet in modica quantitate.

Prob. I. Ex Ordine Rom. apud Mabillon, ubi de Miſſa Rom. Pont. habetur: *Poſt aquæ benedictionem ponit tres guttas aquæ*. Rubric. Miſſ §. 7. habet: *Parum aquæ infundat in calicem*. Conc. Triburien. præcipit, ut ſaltem duæ partes ſint vini. Honorius III. in ep. ad Archiep. Upſalen. damnat Septentrionalium abuſum, qui ob vini penuriam ponebant in *majori quantitate de aqua, quam de vino*. Eug. IV. In Inſtr. Arm. ait, vino *aqua modiciſſima admiſceri debet*.

PROPOSITIO V. Aqua vino permixta probabilius convertitur in Chriſti ſanguinem.

Prob. I. ex verbis Conſecrationis, ſuper vinum aqua permixtum prolatis, in quibus ſacerdos abſolute pronunciat: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*, & ſtatim quidquid in calice eſt exhibet populo adorandum; ergo &c. Prob. II. ex Patribus. Irenæus l. 4. cap. 33. ait: *Temperamentum calicis ſuum ſangui-*

ſanguinem confirmavit. Ambroſius l. 4. Sacram. c. 4. ait: *Vinum, & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis.* Paſchaſius in l. de Corp. & ſang. Domini c. 2. ait: *Aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertitur in ſanguinem.* Eadem habent Hildebertus Cenomanen. Algerus Leod. Adde Anſelm. Havelberg. qui Dial. 3. ait: *Ne mireris, quod aqua, & vinum ſimul conſecrata in unum ſanguinem tranſeunt, cum liquores in noſtrum tranſeant ſanguinem, ad ſubſtentationem corporum noſtrorum.* III. Exorta ann. 1188. hac controverſia in Galliis, delata eſt ad Gaufridum S. Bernardi ſecretarium, & ab hoc ad Henricum Alban. Epiſcopum. Et Gaufridus quidem ſententiam noſtram ratione & auctoritate munivit epiſtola, quæ extat vol. 3. Annal. Ciſtercien. Licet autem non extet Henrici reſponſum, cenſet tamen Baronius, non aliud reſcribere potuiſſe, *quam quod credidit, & cuſtodivit S. R. E. nimirum aquam ſimul & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti.* Quod etiam probabilius eſſe docuit poſt decennium etiam Innoc. III. cap. *Cum Marthæ.* Hinc patet epiſtolis Gaufridi, & Henrici controverſiam non fuiſſe ſopitam, neque oppoſitam ab Innoc. III. damnatam.

Propositio VI. Probabilius eſt aquam vino permixtam in Chriſti ſanguinem *immediate* converti.

Prob. I. enim aqua vino mixta naturam ſuam non deperdit, nam ſi guttatim affundatur vino quantitas aquæ major, liquor erit aquæ ſimilior, quam vino; ut arguit noſter Vanroy c. 2. q. 6. II. Si aqua in vinum injecta in ipſum verteretur, facile ex uno vini dolio addita paulatim aqua centum fierent, ut arguit Auctor de Re Sacram. tom. 1. p. 371. III. Si poſt guttam in vinum verſam alia affundatur, & alia, quousque moles in duplum, decuplum &c. excreſcat, tota illa moles non erit vinum, nec poterit inveniri a qua gutta aquæ

moles ipſa exuere cæperit naturam ſuam, ut poſt Gaſſendum arguit noſter Cabalieus ſcribens : *Dic mihi cur vinum deſtruxit mixtio nona, vel decima ; cur non poſt eam vinum manet.* IV. Demonſtrant Phyſici, aquam vino permixtam, ab eo *per artificium ſeparari poſſe*, ut notat etiam Innoc. III. loc. cit. ergo &c.

Opp. Solum vinum, non aqua, eſt Euchariſtiæ materia eſſentialis per Prop. 3. ergo &c. II. Innoc. III. oppoſitam ſententiam probabiliorem appellat. III. Carthuſiani, & Prædicatores vinum, & aquam præmittunt in Miſſa, ut longiori ſpatio aqua vinum fiat. Addit Capiſucchius hanc conjecturam : *Quia Chriſtus non mutatur in Eccleſiam, ſed Eccleſia in Chriſtum.* IV. Si *ſpecies* aquæ ſeparentur a *ſpeciebus* vini per artificium, ſub iis tantum ſervaretur Chriſti ſanguis, ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c.

℞. ad I. & II. neg. conſ. Licet enim aqua ſola in Chriſti ſanguinem non convertatur, vertitur tamen, *cum prius mixta tranſierit in vinum:* quod fit, ubi unius particulæ ita inſinuantur particulis alterius, ut propriam *formam* amittant, ac prorſus evanuiſſe videantur, non quod ſuam ſubſtantiam amiſerit, aut phyſice convertatur in vinum, quod expreſſe negat Philoſophus in 1. Gener. c. 5. atque hæc mens eſt Innoc. III. loc. cit. Ad III. neg. ant. Qui enim initio Miſſæ vinum miſcent, ex eorum conſuetudine id faciunt, qui principio ſacra dona parabant, ut de Græcis ait Card. Bona l. 2. Rer. Liturg. c. 9. Nam, ſi ſacerdos mox calicem conſecraturus norit aquam non appoſuiſſe, ponit illico, & ſtatim conſecrat ex Rubr. Miſſ. n. 3. Ad IV. neg. ſequel. maj. Aqua enim eſt idonea ſacramenti materies, non ratione ſui, ſed prout vino permixta eſt : ſi ergo a vini *ſpeciebus* ſepararentur ſpecies aquæ, non poſſent amplius ſacramenti habere rationem.

Ob. II. Innocentius VIII. teſte Raphaele Volaterrano,

terrano, Norvegis indulſit an. 1484. ut absque vino ſacrificarent, *quod ob immenſa frigora vinum in ea regione aceſcat*; ergo &c. II. A Romano Pontifice concedit poſſe, ut absque vino conficiatur Euchariſtia, ubi vinum deſit, aſſeruit ſine ſanctitatis diſpendio quidam vir Dei apud Bened. XIV. l. 2. de Beatif. Sanctorum; ergo &c.

℞. ad I. Neg. ant. Indultum enim hujusmodi, & alia plura Innocentii nomine ſuppoſita ſunt a Dominico Viterbien. & Franciſco Maldente, qui ea de re ſacerdotio privati ſunt, & extremo ſunt affecti ſupplicio, teſte Raynaldo, Bzovio, Burio, Sandino, aliisque. Falſum eſt etiam vinum, in Norvegia aceſcere, cum conſtet ibi in uſu eſſe, & facile aſſervari, ex Card. de Lugo, Nat. Alex. &c. Adde in calidis potius, quam in frigidis regionibus vinum aceſcere, ut experientia compertum eſt. Ad II. ℞. Idem Bened. XIV. neg. conſ. Nulla quippe animadverſione laud. ſervi Dei ſententia notata eſt, eo quod ſcripſerit, *quando Breve Innocentii habebatur legitimum.*

Quæres: an liceat ſacrificare in una tantum ſpecie, ſi deſit altera. ℞. negative cum D. Thoma, Sylvio, Suarez &c. Exigit enim jus naturæ, ut Deo offeratur ſacrificium in ſuo genere perfectum, & completum: jus quoque divinum, & Chriſti inſtitutio utramque ſpeciem conſecrandam eſſe definiunt, atque in jure divino, ac naturali nec ipſe Romanus Pontifex diſpenſat, ex cap. *Sunt quidam*, & cap. *Contra ſtatuta* c. 25. q. 1. n. 6. ergo &c. Nec dicas cum Gabriele, aliisque Romanum Pontificem eo in caſu non diſpenſare, ſed ſolum declarare, præceptum *integre* ſancrificandi non urgere, *propter ſummam neceſſitatem*; nam hoc Sacramentum non eſt abſolutæ neceſſitatis, nec propter unius provinciæ commodum a Chriſti inſtitutione eſt recedendum.

APPENDIX

Duorum cap. præced.

In quo de varia Ecclesiarum disciplina circa utramque Eucharistiæ materiam disseritur.

Quam imperite Græcorum nonnulli vitio vertant Romanæ Ecclesiæ quod consecret in azymo, pluribus fuit demonstratum Prop. IV. cap. V. Diss. I. Ubi antiquos Maronitas azymis usos esse ex Jo. Morino notatum est. Constat reapse, apud Armenos, & Maronitas, a mille annis & ultra, azymi usum obtinuisse. Galanus enim Tom. 1. Concil. Eccl. Arm. hæc habet de Joanne Armenorum Patriarcha: *Hic jussu Homaris Saracenorum ducis Synodum congregavit in urbe Monascherti, ubi convenientibus cum Armenis sex Assyriis episcopis fuerunt a sacris ablata mysteriis fermentum & aqua.* Cum ergo compertum sit, Homarum Saracenorum ducem regnare cæpisse anno 634. atque anno 644. obiisse; circa hoc tempus azymi usus apud Armenos & Maronitas invaluisse dicendum est. Reapse Armenos multis ab hinc sæculis in azymo consecrare Demetrius Cizicenus, Nicephorus, aliique testantur. Quamvis autem in Trullana Synodo Can. 32. damnati fuerint Armeni, eo quod aquam vino in Calice non miscerent, non tamen iis culpæ tributum est, quod azymo uterentur pro Eucharistiæ materia.

Azymo etiam uti Æthiopes, sive Abissinios ex Comment. Hist. Æthiop. Ludol. & ex declaratione habita coram ampliss. Card. ann. 1594. a quodam monacho Ord. S. Antonii satis compertum est. Is enim rogatus: *An Æthiopes celebrent in pane fermentato, vel azymo?* respondit: *Æthiopes in fermentato celebrant, & illi, qui in azymo celebrant, conficiunt etiam. Et nos in tota Æthiopia feria 5. in cœna Domini singulis annis in hujus rei memoriam in azymis celebra-*

bramus. Chaldæi etiam, qui in Malabaria versantur, postquam Latini illuc appulere, azymum panem adhibent pro hujusce Sacramenti materia. Unde in Concilio Diamperiensi anno 1599. statutum est, ut tantum in azymo Eucharistiæ Sacramentum conficerent. Nam etiam ante ex Josepho Indo, cum in Latinorum Ecclesiis celebrabant, in azymo conficiebant: ut ex Josepho Indo observat Asseman To.3. Bibl.Orient.part.2.

Alteram Eucharistiæ materiam vinum esse diximus prop. I. cap. V., nec ejus loco, sive aquam, sive liquorem alium substitui posse contra Bezam, ac Melanchtonem pluribus demonstravimus. Neque huic nostræ sententiæ adversatur decretum Sacr. Congreg.S. Officii editum die 22. Julii an. 1706. in quo statutum est, licitum esse liquorem ex uvis passis expressum pro materia Calicis adhibere; siquidem in laud. Congregat. propositum fuit dubium a P. Josepho de Jerusalem Ord. Min. missionum Æthiopiæ præfecto, an liceat missionariis celebrare cum vino ex *zebibo*, & uvis passis expresso, ut ibi positum est in more? cumque jussu Rom. Pont. exquisitum prius fuerit a dicto P. Josepho: *Quo præcise modo conficiatur vinum ex uvis passis, vel zebibo in Æthiopia?* ac ab eo responsum esset, id fieri sumendo, ex. gr. zebibi lib. 4. quæ in apto vase tunduntur, deinde totidem aquæ frigidæ libras in idem vas injici per oras circiter 10. extracta deinde zebibi, & uvæ materia, & ab exteriori aqua expurgata torculari premi. Quare liquor inde expressus vinum est, quo Æthiopes utuntur, dum celebrant. His itaque auditis, *nec non variis experientiis factis pro eruendo dicto vino* statutum est, die 22. Jul. 1706. *Licere: dummodo liquor extrahendus a zebibo, vel uvis passis ex colore, odore, & gustu dignoscatur esse verum vinum*. Ex quibus omnibus nostra firmatur assertio, non infirmatur. Liquor enim ex zebibo, vel uvis passis expressus, in

quo color, odor, & gustus reperitur. est verum vinum: quod quidem de Cervisia, aut alio liquore ex frumento, aut ex pomis expresso dici non potest, nec de Ruthenorum *Ydromelle*, aqua nempe mellita: quæ omnia validam esse calicis materiam perperam jactitant novatores. Nec dicas cum Verricellio, *zebibum esse adeo decoctum ab igne, ut ex eo confici nequeat vinum simpliciter, sed tantum secundum quid, cum addito, nempe vinum coctum, seu sapam.* Nam zebibum uva est: ignis vero, vel solis calore exsiccata, si post infusionem in aqua, liquorem referat, cum omnibus vini qualitatibus, nonnisi accidentario ab alio vino secernitur: ut apud nostrates vinum, quod *crudum* dicitur, ab eo, quod igne torretur, nonnisi per accidens secernitur, unde in Missa communiter adhibetur.

Vino in sacrificio consecrando aquam naturalem in modica quantitate, ex Ecclesiæ praxi ac definitione, Prop. IV. c. 6. monstratum est, unde satis liquet, quantitatem aquæ in calicem infundendæ minorem debere esse, quam vini. Qua de re censent plerique scholasticorum, irritam fore consecrationem, si secus fiat, idque firmare nituntur Triburiensis Synodi, nec non Honorii III. ac Pii V. Constitutionibus. Censent tamen nonnulli Theologi, decretis hujusmodi repressos fuisse quorumdam abusus, qui contra communem Ecclesiæ consuetudinem plus aquæ, quam vini in calicem infundebant; ast irritum propterea Sacramentum fieri a nemine dictum putant. Ideo enim, ajunt, propter majorem aquæ, quam vini in calice quantitatem irrita foret consecratio, quia eo in casu jam vinum non ultra remaneret, sed prævalente aquæ vi in ipsam converteretur; atqui hoc, addunt, rationi & experientiæ, constanti medicorum, & chimicorum judicio firmatæ, adversatur: quamvis enim major sit in calice aquæ moles, quam vini, vinum nihilominus est: nec propterea deserit naturam

suam,

ſuam, nec ſpiritus, nec robur deperdit. Quod ſi vinum eſt, valide ergo, inquiunt, conſecratur, quantumvis aqua præponderet.

Quod etiam confirmant iisdem rationibus, quibus nos uſi ſumus ad demonſtrandam Prop. II. cit. capitis VI. ex ipſo Chriſti exemplo: monet quippe Sacroſ. Trident. Synodus ſeſſ. 22. c. 7. *præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit &c.* Ut ergo certo conſtaret, inquiunt, propter aquæ exuperantiam irritam fieri conſecrationem, deberet quoque certum eſſe, Chriſtum modicam aquæ quantitatem in calicem infudiſſe: atqui nihil de hac re, ſilente ſcriptura, ac traditione, decerni poſſe opinantur: imo ſi ratio attendatur, aut plus aquæ in Chriſti calice fuiſſe dicendum, aut ſaltem ad vini æqualitatem redactam, ex ſumma Chriſti ſobrietate, Hebræorum conſuetudine, conditione climatis, & vini, quod ibi naſcitur, vi ac robore facile percipi poſſe. Incertum eſſe etiam putant, an aqua, quæ ex Chriſti latere lancea percuſſo manavit, una cum ſanguine, hujus copiam exceſſerit. Aquas tandem, quibus in Apocalypſi populi deſignantur, quibusve Trident. Synod. loc. cit. ait: *Ipſius populi fidelis cum cap. Chriſto unione repræſentari*, potius ſuadere putant oppoſitum: cum conſtet, populum caput vel ducem ſuum numero, aut quantitate longe ſuperare. Ex quibus omnibus cenſent laudati Theologi conſequens fieri, ut ſi plus aquæ, quam vini eſſet in calice, peccaret quidem graviſſime, qui conſulto ſic ageret, quippe qui contemneret Eccleſiæ auctoritatem, & praxim: ſed propterea irritum fieri Sacramentum (ſalvo ſemper meliori Eccleſiæ judicio, cui propriam ſententiam ex corde ſubjiciunt) non arbitrantur.

CAPUT VII.

De institutione verborum, seu formæ sacramenti Eucharistiæ.

Not. I. Plures hæretici, ut Bucerus, negant, in Eucharistia verba ulla esse pronuncianda, alii historice proferenda esse putant ad fidem excitandam, ut Calvinus, Lutherus vim consecrandi verbis tribuit, sed non iis tantum, quæ Christus creditur protulisse, sed præcedentibus etiam & consequentibus. Græci, inter quos Cabasilas, & Marcus Ephes. ajunt: *Quod non solum a voce Dominicorum verborum sanctificantur dona divina:* sed etiam sequente oratione, & benedictione sacerdotis. Et hos quidem refellit Card. Bessarion, Allatius, & Arcudius, sed Græcorum sententiam instaurarunt Antonius Touttée, & Petrus Le-Brun a Bugeantio, Ursio, Meratio, Bened. XIV. aliisque refutati. Quidam scholastici post Catharinum docuere, Christum nullis verbis usum in consecratione, sed hujus formam ab eo fuisse præscriptam. Putarunt nonnulli Scotum existimasse verba illa: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* non sufficere, sed etiam præcedentia requiri, verum a communi sententia eum non recessisse contendunt Mastrius, Frassen, Henno &c. Plures Thomistæ ajunt, D. Thomam docuisse, omnia verba, quæ proferuntur in consecratione calicis, pertinere ad formæ substantiam. Alii tamen a communi sententia eum non recessisse contendunt, ut Sylvius, Contensonius, aliique.

Not. II. Inter Catholicos communior & verior sententia est, Christum consecrasse Eucharistiam verbis, & hæc præscripsisse sacerdotibus consecraturis. Eaque non historice tantum proferri, sed consecrare materiam. Hanc virtutem solis inesse verbis Christi nomine prolatis, & essentialia esse illa: *Hoc est corpus meum* &c. *Hic est sanguis meus.*

meus. Ubi nota, varias esse consecrationis formulas apud Martene lib. 1. ant. Rit. cap. 4. In Liturg. S. Jacobi habetur hæc forma : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remissionem &c. Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur &c.* In Const. Ap. l. 8. *Hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur* &c. Æthiopes utrique formulæ addunt *Amen.* Mozarabes addunt etiam: *Quod pro vobis tradetur, in meo sanguine.* In lib. Sacram. Ambrosii habetur : *Quod pro multis confringetur.* Sacram. Gregorii, Ambrosianum, Indorum &c. habent Romanam formam. His notatis sit

Propositio I. Christus Eucharistiam instituens verbis usus est.

Prob. I. Ex 1. Corinth. 11. Christus Eucharistiam instituens ait : *Hoc est corpus meum*, addens: *Hoc facite in meam commemorationem;* atqui sacerdotes verbis consecrant; ergo & Christus. II. Trid. Syn. sess. 13. c. 1. ait : *Hoc sacramentum instituit, cum post panis, & vini benedictionem, se suum corpus præbere, ac suum sanguinem perspicuis verbis testatus est, quæ verba a D. Paulo repetita sunt*; ergo &c. III. Idem docent PP. in seq. Prop. laudandi. IV. Quidam oppositum docent, quod benedictionem cum consecratione confundant; sed illa huic præmittitur, unde in Græco habetur: εὐλογίσας, *cum benedixisset*, præterito, non præsenti tempore, hinc Estius ait: *improbabiliter sentiunt, qui hanc benedictionem putant fuisse ipsam consecrationem corporis Domini;* ergo &c.

V. Bellarminus, Becanus, du-Hamel, aliique putant, *benedictionem*, & *consecrationem* iisdem verbis fuisse peractam, nam PP. utramque sæpe indiscriminatim accipiunt; ergo &c. Ubi nota: *benedictionem* a Patribus dici ipsam *consecrationem*, quia hæc mystica dona immutat, redditque sancta, & benedicta, nam si benedictionem accipias pro ora-

tione facta sacris muneribus consecrandis, hæc a consecratione diversa est.

Propositio II. Non est ab Ecclesia definitum, Christum in Eucharistiæ consecratione verba usurpasse.

Prob. I. Id non evincitur ex verbis Trid. & Florent. Syn. ubi habetur: *Formam hujus sacramenti esse verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum.* Sic enim ea possunt exponi, nempe Christum benedictione sua consecrasse, & statim formam præscripsisse, qua presbyteri celebrarent, adeo ut *instituere*, & *conficere sacramentum* designet consecrationem a Christo benedictione peractam & formæ determinationem. II. Neque ex Luc. 24. ubi narratur Christum in Emmaus panem benedixisse nulla expressa verborum forma. I. Enim Lyranus, Maldonatus, Calmet, aliique negant tunc Jesum confecisse Eucharistiam. II. Si confecit, ut censet S. P. de Consens. Evang. l. 3. c. 25. ex scripturæ silentio non probatur, verba non protulisse. III. Nihil ea de re ab Ecclesia definitum afferunt Catharinus, Salmeron, Tournelius, aliique; neque credibile est, Conc. Trid. voluisse sententiam confodere, quam viri cl. docuere. IV. Innoc. III. lib. 4. de Myst. Miss. ait: *Dici potest, quod Christus divina virtute confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent*, quod etiam sentit Durandus &c. Quæ tamen verba *opinative* tantum non *assertive* prolata sunt, ut notat S. Th. nec præcedenti propositioni adversantur.

Propositio III. Eucharistia verbis Dominicis, non precibus ante vel post a sacerdotibus recitatis consecratur.

Prob. I. ex Trid. & Florent. Syn., quæ expresse docent, Eucharistiam verbis effici *Salvatoris, quibus hoc sacramentum confecit.* Prob. II. ex Patribus Latinis. Tertullianus l. 4. contra Marc. c. 40. ait: *Accepit panem, & corpus suum fecit, dicen-*

dicendo: *Hoc est corpus* &c. Ambrosius de Myst. 9. *Si tantum valuit humana benedictio, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Salvatoris operantur? Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur*: ubi Patres Benedictini ajunt: *apertissime sacra consecratio fieri docetur ipsis Domini verbis.* Et S. P. A. de Sacr. l. 4. c. 4. ait: *Sermo Christi hoc conficit sacramentum. Antequam consecretur, panis est: ubi verba Christi accesserint, corpus est Christi.* Nec dicas, etiam preces, & quod historice enunciatur, esse Dei verba, nam Ambrosius illa expresse a consecratione secernit, dicens: *Reliqua omnia, a sacerdote dicuntur: ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed sermonibus Christi.* Et S. P. A. serm. 227. ait: *Panis ille sanctificatus per verbum Dei corpus est Christi.* Vide apud Marten. loca Eusebii Emisseni, Rhemigii Antisiodoren. Paschasii &c.

Prob. II. ex Græcis Patribus, quos laudarunt Græci in sua confessione Florentiæ habita apud Mabillon. to. 1. Mus. Ital. ubi hæc leguntur: *Ab omnibus sanctis Doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo Jo. Chrysostomo audivimus, verba Dominica esse illa, quæ mutant panem & vinum in corpus Christi, & sanguinem: Nos ipsum S. D. & illius sententiam sequimur.* Et sess. 25. Florentina Syn. ita de verbis illis: *Hoc est corpus meum*, protestati sunt: *Per hæc verba transubstantiari sacrum panem, & fieri corpus Christi.* Ex quibus constat etiam incorrupta Græcorum fides de Sacramento Eucharistiæ, de qua tot controversiæ a Calvinistis sunt excitatæ.

Ob. I. Plura loca Justini, Irenæi, Hieronymi, Aug. Synodi Carisiacæ &c. apud Contensonium, Juenin, Tournely &c. precibus tribuere videntur Eucharistiæ consecrationem; ergo &c.

℟. I.

℞. I. dift. ant. Tribuere videntur *difpofitive*, & concomitanter, quatenus Euchariftia fine precibus non peragitur, conc. proprie, & *formaliter*, neg. ℞. II. Neg. ant. Nam Juftinus, & Irenæus non de precibus, fed de enunciativis verbis accipi debent. Is enim, ait: *Panis percipiens invocationem Dei jam non communis eft panis, fed Euchariftia*, atqui preces non ad panem, fed ad Deum diriguntur; ergo &c. Hieronymus vero non recenfet confecrationis formam, fed minifterium facerdotum, quos diaconis præferendos in ep. ad Evang. oftendit. Aug. etiam ait l. 3. de Trin. c. 4. nos accipere Chrifti corpus *prece myftica confecratum*, in Miffa nempe, quæ majori ex parte precibus conftat: quibus non *rite*, fed *valide* confici facramentum evincitur ex Auguftino: qui de precibus eadem habet, ac de figno crucis, quod ad ritum, non ad valorem facramenti pertinere nemo ambigit. Adde, Euchariftiam effe nedum Sacramentum, fed etiam facrificium, quod cum certis ritibus, & fupplicationibus fiat, putarunt Patres perfici illam precibus, quas fundimus in facrificio, ut conftat ex Auguft l. 5. contra Donat. 20.

Ob. II. In Miffa Chryfoftomi fic orat facerdos: *Emitte Spiritum tuum fanctum in nos, & fuper dona ifta. Fac panem hunc corpus Chrifti tui.* Ita Euchol. pag. 77. Eadem extant in Liturg. Jacobi, Marci, Clementis &c. apud Allat. & Arcud. ergo &c. II. In Liturgia Bafilii pag. 169. poft recitationem verborum confecrationis habetur oratio, in qua panis, & vinum dicuntur: *Antitypa, ac fymbola præfignantia fanctum corpus* &c. atqui Damafcenus ait l. 4. de Fid. Orth. facra dona dici a Bafilio *Antitypa, antequam confecraretur oblatio, non poft confecrationem*; unde fic arguitur. Poft prolationem verborum *propofita dona* panis & vinum nondum verfa

funt

ſunt in Chriſti corpus & ſanguinem, ſed gerunt adhuc iſtorum typum prænuntiativum; ergo &c.

℞. Plures eſſe hujus argumenti reſponſiones a Card. Beſſarione, Arcudio, Allatio, aliisque productas, quas apud Auctorem conſulere potes: nos eam amplectimur, quæ aſſerit, Liturgiam Græcorum explicandam eſſe de effectu Sacramentali, non de conſecratione Sacramenti; adeoque in ea peti, *ut fiat corpus Chriſti communicantibus in purgationem animæ*, ut conſtat ex præmiſſis Græcorum confeſſionibus, & cohæret Baſilianæ Liturgiæ, ubi pag. ſeq. 170. habetur: *Et neminem noſtrum in judicium, & condemnationem facias participem eſſe corporis, & ſanguinis Chriſti tui*, quod confirmatur exemplo baptiſmi, ubi poſtulatur, *ut ſanctificentur, qui nunc ſunt baptizati* regenerationis lavacro, & poſt Confirmationem, & Ordinem orat epiſcopus, ut chriſmatos confirmet, & ordinato tribuat poteſtatem, inuſitatum quippe non eſt iteratis precibus poſtulare, quod jam conceſſum eſt, ac ſi nondum foret conceſſum. Quæ reſponſio firmiſſima cenſenda eſt, ſi conferatur cum præmiſſis verbis SS. PP. & cum actione diaconi, qui ſtatim poſt Dominica verba præſens Chriſti corpus populo adorandum exhibet.

Quæres: quo ſenſu vox *Antitypi* accipi debeat in laud. Baſilii Liturgia? ℞. duas eſſe præcipuas hujus vocabuli ſignificationes. I. *Antitypa* dicuntur ea, quæ typum, & eandem formam referunt, ut tranſumptum, & autographum. II. Ea, quæ ſubſtituta ſunt loco figuræ, & typi, quem veritas in lucem edita eliminat. *Antitypum* in I. ſenſu non repugnat contineri in typo, & in antitypo, ſicut idem, quod eſt in autographis, eſt in tranſumptis. Hoc pacto ſpecies panis & vini ſunt *antitypa* corporis, & ſanguinis Domini, figura nempe non excludens veritatem

ſed

ſed adſtruens. Quo ſenſu ſymbola, etiam poſt conſecrationem, *ſigna*, *typos*, *imagines* dixere Origenes, Cyrillus, Nazianzenus, Ambroſius, aliique. At in II. ſenſu panis & vinum fuerunt *antitypa* ſolum ante conſecrationem: recte autem Damaſcenus ait, Baſilium accipiendum de pane & vino ante conſecrationem, adeoque *antitypa* in II. ſenſu accipienda laudata Baſilii, verba licet poſt conſecrationem prolata referenda ſint ad tempus ipſam conſecrationem præcedens, quo erant antitypa non conſecrata: eſt enim in illis aoriſtus præteriti temporis, atque ita ſe habent in Græco: Καὶ προθέντες &c. *& cum propoſuerimus antitypa S. corporis, & ſanguinis Chriſti*, quæ omnem dubitationem elidunt.

Propositio IV. Sola verba: *Hoc eſt corpus meum*, &: *Hic eſt calix*, aut: *Hic eſt ſanguis meus* eſſentialia ſunt, ſed alia non ſunt omittenda.

Prob. I. pars; conſecratio enim ex dictis fit verbis Domini, ſed hæc verba: *Qui pridie &c.* quæ eſſentialia putant Scotiſtæ, non Domini ſunt, ſed Evangeliſtarum; ergo &c. Vide prop. 3. II. Nec ſunt eſſentialia ea, quæ conſequuntur poſt verba; *Hic eſt calix ſanguinis mei*: hæc enim perfectam orationem continent, ac ſenſum determinatum, non minus ac præcedentia: *Hoc eſt corpus meum*, ſed hæc ſufficiunt ad panis conſecrationem; ergo & illa ad calicis conſecrationem ſufficiunt. III. Verba illa: *Accipite &c.* uſum Sacramenti exprimunt, non materiæ conſecrationem, particula *enim* orationis nexum, reliqua vero non Chriſti corpus, ſed redemptionem ſignificant; ergo &c. Prob. II. pars. Summa quippe eſſet audacia in re tam gravi majorum inſtituta & Eccleſiæ conſuetudinem violare.

Ob. I.

Ob. I. Scotus dift. 8. q. 2. *Hæc verba: Hoc eft corpus meum, prolata fine præcedentibus non fignificant abfolute corpus Chrifti, quia ly meum fignificat referri ad perfonam ipfius loquentis.* Addit Brancatus, *ex vi verborum: Hoc eft corpus &c.* non fignificari Chrifti corpus, nifi præmittatur: *Qui pridie &c.* III. PP. probant in Euchariftia realem præfentiam ex vi verborum, fed ex vi fua verba hæc: *Hoc eft corpus meum*, fignificant corpus loquentis, non Chrifti; ergo &c. ℞. Quidquid fit de Scoti mente, de qua non conveniunt Scotiftæ ipfi, dicimus fat effe ad conficiendum Sacramentum, ut verba effectum fignificent ex inftitutione Chrifti, & ex intentione miniftri, nam Scotus ipfe fatetur, non fat effe ad confecrationem verba proferre, nifi ea proferat minifter *formaliter & fignificative*, ea intentione faciendi quod Chriftus fecit. Nam fi verba præcedentia: *Accepit, fregit &c.* non autem miniftri intentio determinaret Sacramentale effectum, pronomen *Hoc* non oftenderet, quod facerdos habet præ manibus, fed quod tunc Chriftus habebat; effectus ergo facramentalis non pendet ex materiali verborum fignificatione, fed ex ea, quam habent ex Chrifti inftituto, & intentione miniftri, atque ex vi talium verboum, hac inftitutione & intentione prolatorum, PP. inferunt realem corporis Chrifti præfentiam in Euchariftia.

Ob. II. Thomiftæ. Ad effentiam formæ calicis pertinere ea verba: *Novi & æterni teftamenti*, afferit S. Thom. q. 78. a. 3. ubi eos refellit, qui putant, *de fubftantia formæ hujus effe: Hic eft calix fanguinis mei, non ea quæ fequuntur.* Eadem habet in 4. Sent. dift. 8. q. 2. & lect. 6. in c. 11. ep. 1. ad Cor. ubi ait: *Solis verbis: Hic eft calix fanguinis mei, probabilius non fieri confecrationem.* Hinc juffu Pii V. expuncta eft Diff. Cajetani, ubi laud. formulam propugnabat; ergo fequentia verba: *Novi teftamenti &c.* funt effentialia.

℞. neg.

℞. neg. ant. Nam S. D. docet ea verba: *Novi testamenti &c.* esse de substantia, ac de essentia formæ, non ut consecretur materia, sed ut significetur expressione verborum Christi passio, & sanguinis ejus effusio. Non enim quærit ibi S. D. an verba, quibus nos utimur, sint essentialia, sed *utrum* hæc sit conveniens forma, quæ duo longe diversa sunt. Insuper in eodem art. 3. ait: *Omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba: Hic est calix &c. significatur conversio vini in sanguinem, per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione.* Jure autem expuncta est e Summa D. Thom. dissert. Cajetani, & quia mentem S. D. non est assecutus, & quia minus honorifice de eo locutus est.

Propositio V. Verba consecrationis, nedum historice, sed etiam *assertive*, & *significative* enuntiantur.

Prob. I. hæc assertio ab Auctore tom. 6. pag. 109. II. breviter confirmatur. Nam arcana illa verba non tenent locum concionis, ut hæretici putant, sed ex PP. accedunt *ad elementum*, & illud consecrant, panem vero & vinum in Christi corpus & sanguinem convertunt. III. Sacerdos iis verbis loquitur non in propria, sed in Christi persona, per prop. 3. sed hoc falsum esset, si sacerdos ea verba proferret solum historice, non assertive; ergo &c. IV. dirigitur forma consecrationis ad panem & vinum positum in sacerdotis manibus, non ad placentas, & calicem ultimæ cœnæ; ergo &c. Non negamus tamen verba illa, maxime cum præcedentibus conjuncta, exprimere historicam narrationem, cum Christi benedictionem, fractionem, & consecrationem referant, sed dicimus sacerdotem, quando venit ad prolationem verborum, Christi vice fungi, ipsius corpus, & sanguinem enuntiare præsentia, & enuntiando conficere.

Opp. Hæretici. Justinus M. Const. Apost. Ambrosius, & S. Leo, imo Justinianus Imper. Const. 123. præ-

præcipit: *Ut epiſcopi, & presbyteri, non tacito modo, ſed clara voce, ſacram oblationem celebrent*: unde iis auditis populus reſpondebat: *Amen*, qui mos etiam nunc ſervatur in Eccleſiis Græcorum, ut teſtatur Card. Beſſarion; ergo &c. ℞. neg. conſ. Nam apud Orientales verba illa elata voce enuntiantur, ut populus non auditis iis, quæ præceſſere, percipiat a ſacerdote, quem in ſanctuario latentem intueri non poteſt, ſacra munera ſermone Domini conſecrari, & conſecrata adoret, & in iis adeſſe Chriſti corpus & ſanguinem profiteatur dicens: *Amen*. Hæc Beſſarion: ubi mirari ſatis non poſſumus Voſſii confidentiam liturgiam Orientalium, & Beſſarionis ſcripta nobis opponentem, quibus præſertim ipſe confoditur. Eadem eſt Juſtini, Ambroſii, & aliorum PP. mens. S. Leo autem loquitur de accipientibus communionem, non de conſecrantibus. Juſtiniani *Novellæ* agentes de S. Ritibus, quos ab Eccleſiis ſtatutis, non a legibus Imp. edocemur, nos movere non debent.

Quæres: an ſatius ſit proferre verba conſecrationis voce ſubmiſſa, an elata? ℞. I. Unicuique ſervandam Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem, ut alibi dictum eſt. II. Fatemur, etiam Orientales verba illa clare proferre, ex Dionyſio Alex. ex Miſſa Chryſoſtomi, Baſilii &c. Damus etiam hunc morem obtinuiſſe in Eccleſia Mediolan. ut cenſet Menardus. III. Dicimus, ex ritibus Orientalium nullam Rom. Eccleſiæ legem præſcribi, in qua opus non eſt ea vocis elatione ad monendum populum de facta conſecratione a ſacerdotibus in ſanctuario latentibus, nam apud nos ſacerdos ſtatim elevat ſymbola conſecrata, ea adorat, & datur ſignum populo pulſatione campanulæ: melius eſt ergo ſubmiſſa, quam elata voce ea verba proferre, ne vileſcant, aut a plebe ſacrilege pronuntientur, ut l.3. de alt. Myſt. monet Innocentius.

DISSERTATIO II.

De reali præſentia Chriſti corporis & ſanguinis in Sacramento Euchariſtiæ.

De ampliſſima controverſia adverſus fidei hoſtes diſcepturi, proferimus I. inconcuſſa momenta, quibus catholica ſententia ſtatuitur. II. Hæreticorum ſophiſmata, quibus impetitur. III. Eorum conſubſtantiatio, ſeu impanatio refellitur. IV. Stercoraniſtarum hæreſis, ſi quæ fuit, rejicitur. V. Denique varia catholica theoremata circa realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia proferuntur.

CAPUT I.

De invictis momentis, quibus catholicum dogma ſtatuitur.

Not. I. in Euchariſtiæ Sacramento revera Chriſti corpus, & ſanguinem contineri negarunt I. Capharnaitæ, qui ad verba Chriſti: *Ego ſum panis vivus &c.* reſponderunt: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* inter quos Judam extitiſſe probat ex Chryſoſt. Bullingerus. His accenſendi ſunt Simoniani, Marcionitæ, Manichæi, aliique Phantaſiaſtæ veram Chriſti carnem negantes, nec non Meſſaliani & Enthuſiaſtæ. Neſtorianos autem *tranſubſtantiationem* panis in Chriſti carnem agnoviſſe conſtat ex Vigilio Tapſen. l. 5. adv. Eutych. Hinc Epheſini PP. hoc unum adverſus Neſtorium adſtruunt, accedentes ad ſacr. myſteria *ipſius Verbi propriam carnem manducare, non hominis ſanctificati, & Deo conjuncti ſecundum dignitatis unionem*, quæ fuit Neſtorii hæreſis, ut alibi dictum eſt.

Not.

Not. II. Cum ſæculo 9. librum de corpore, & ſanguine Chriſti ediderit Paſchaſius Radbertus abbas Corbeienſis, *adverſus aliquos male de Euchariſtia ſentientes*, teſte Alcuino in confeſſ. Fid. illum noſtri dogmatis primum auctorem faciunt Claudius, aliique novatores, quod probant, ex quo Paſchaſio reſtiterint Rabanus Maurus, Ratramnus, & Scotus Erigena. Sed hunc *ſectatorem Pelagii, ac orthodoxæ fidei, patribusque oblatrantem* S. Prudentius appellavit apud Noriſium; Rabanus vero, & Ratramnus a Paſchaſio diſcordarunt tantum circa loquendi modum. Nam Paſchaſius *idem Chriſti corpus* in cælis, & in Euchariſtia aſſerebat, illi *diverſum*, unde in ſuſpicionem erroris venerunt: quos tamen ab errore vindicavit Mabillonius dicens, eos ſtatuere differentiam illam, quantum ad ſpecies, exterioremque figuram.

Not. III. Sæculo XI. prodiiſſe Berengarii hæreſim, de cujus errore non conveniunt eruditi. Quidam enim ex ejus aſſeclis admiſerunt *præſentiam realem*, & negarunt tantum *tranſubſtantiationem*. Alii autem expreſſe negarunt corpus Chriſti in cælis collocatum poſſe in terram deferri. Berengarium damnarunt in R. Synodo Leo IX. an. 1050. ex Hermanno in Chron. Brionenſis conventus, Vercellenſis, Pariſien. & Florentina ſynod. ſub Vict. II. Et Romana altera ſub Nicolao II. in qua Berengarius errorem ſuum abjuravit, librosque cremavit. Tres fidei formulas a Berengario emiſſas profert Mabillonius, ex quibus infertur, eum principio *realem præſentiam* negaſſe, II. ea admiſſa propugnaſſe *impanationem*, in iis enim formulis utrumque expreſſe confeſſus eſt, & poſt varias tergiverſationes rediit Berengarius ad ſanam mentem, obiitque nonagenarius anno 1088.

Not. IV. Poſt Berengarium dogma catholicum pervicaciores hæretici impugnarunt Petrus de

Bruis, & Henricus ejus discipulus, deinde Albigenses ex Manichæorum reliquiis exorti, Carlostadius, Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, & Sociniani, qui omnes in Eucharistia *figuram*, *signum*, *& imaginem corporis*, *& sanguinis Christi* fatentur, ipsum vero *corpus*, *& sanguinem* negant. Lutherus realem præsentiam pressus Evangelicis verbis agnovit; ita tamen, ut dixerit, una cum Christi corpore permanere *substantiam panis*. Ast ann. 1543. *transubstantiationem* admisit. Calvinus in tract. de Cœna primum ait distribui *in cœna corpus & sanguinem Christi*, sed cum postea addiderit, id fieri *sola manducantium fide*, compertum est Calvinum pugnantia conscribere, & verbis ludere. Jam vero quid catholici sentiant de reali præsentia declarat, quæ mox sequitur

Propositio. In Eucharistia vere corpus, & sanguinis D. N. J. C. continetur.

Prob. I. ex sacris litteris. I. Enim Jo. 6. v. 52. ait Christus: *Panis, quem ego dabo, caro mea est &c.* Litigantibus autem Judæis, *quomodo posset carnem suam dare ad manducandum?* ℞. Jesus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* & v. 56. rationem profert dicens: *Caro mea vere est cibus &c.* atqui non potuisset Christus verbis clarioribus suam realem in Eucharistia præsentiam, manducationem, ac potationem exprimere; ergo &c.

℞. Albertinus: verba illa accipienda esse in sensu mystico, non in sensu litterali. Sed fallitur I. enim eo testimonio: *Nisi manducaveritis &c.* utuntur Hæretici, ut contra nos adstruant communionem sub utraque specie, quod sane ad rem non esset, nisi mystice accipiendum esset. II. Cum Judæi non perciperent, quomodo manducanda esset humana caro dicentes: *Durus est hic sermo*, non ait Christus, se locutum esse de mystica,

ftica, & figurata manducatione, fed rurfus id afferuit, afferens in veritatis confirmationem futurum fui in cælum afcenfum.

Adde, Evang. Joannem, fi quid tropice a Domino dictum eft, ftatim explicuiffe, ut cum ait Chriftus Jo. 3. *Solvite templum hoc*, fubdit Jo. *Ille autem dicebat de templo corporis fui.* Et c. 7. cum ait: *Flumina de ventre ejus fluent*, Jo. v. 39. fubdit: *Hoc autem dixit de fpiritu &c.* Item c. 12. & alibi. Si ergo de manducando corpore, quibusdam murmurantibus loquens Chriftus Dominus, mentem fuam non aliter aperuit, nifi confirmando quod dixerat, nec Joannes eam expofuit; fignum eft verba illa non myftice & figurate, fed proprie & literaliter effe accipienda. Deinde ait Chriftus ibidem: *Panis, quem ego dabo, caro mea eft pro mundi vita*, eumque panem mannæ Patrum anteponit, fed hæc verba nequeunt accipi de incarnatione jam peracta, fed de beneficio futuro, ac tali, quo non figura fui corporis, qualis fuit manna, fed corpus ipfum traderetur in cibum. Cujus gratia præmifit miraculum de quinque panibus: *Ut*, Judæi, *re docti fidem minime iis negarent, quæ poftea dicturus erat*, ait Chryfoftomus in hunc locum: fed miraculo non opus erat, ut crederent verbis fuis, fi ea myftice intelligenda effent; ergo &c.

II. Chriftus Dominus Matt. 26. & alibi difcipulis panem vinumque porrigens ait: *Hoc eft corpus meum, hic eft fanguis meus;* fed hæc verba proprie accipienda funt; ergo &c. Prob. min. I. Oratio ifta: *Hoc eft corpus meum* operatrix, & vera eft, fed talis non effet, fi panis in fua remanfiffet fubftantia, ficuti vera non effet, fi Chriftus aquæ hydriam manu tenens in Cana Galilææ dixiffet: *Hoc eft vinum*, nec aquam in vinum vertiffet; ergo &c. II. Hæc verba ab hæreticis explicantur per metonymiam, quafi hunc

ſenſum reddant : *Hic panis eſt ſignum corporis mei, quod in paſſione inſtar panis frangendum erat*, ſed hoc falſum eſt, Chriſtus enim Euchariſtiam loco teſtamenti reliquit, ſed verba teſtamenti planiſſima eſſe debent, ne lis oriatur inter hæredes; ergo &c. Loquebatur etiam Chriſtus diſcipulis rudioribus, queis tropi ac parabolæ aptæ non erant; adeoque aut Chriſtus per ſe eas explanaſſet, aut id ab eo fieri poſtulaſſent Apoſtoli. Tandem non ait Chriſtus : *Hic panis eſt corpus meum*, ſed : *Hoc eſt corpus meum* ; ergo pronomen *Hoc* non ad panem, ſed ad Chriſti corpus eſt referendum.

III. Ajunt hæretici, non eſſe a nuda litera diſcedendum, ubi ſenſus grammaticalis perſpicuus eſt, nec vox aliqua afficitur tropo; ſed nullus eſt tropus in iis verbis, quæ ſane tam clara ſunt ac iſta : *Deus erat Verbum, Verbum caro factum eſt, Chriſtus eſt Dei filius* ; ſicut ergo damnamus Ebionæos, & Arianos hæc verba tropice exponentes, ita damnare debemus, novatores &c. Hinc Lutherus veritate coactus aſſeruit : *Nimis clara eſſe illa verba, hoc eſt corpus meum*. Calvinus l. 4. Inſt. c. 17. ait : *Nihil dubito*, ait, *quin ſub ſymbolis panis, & vini corpus & ſanguinem ſuum vere porrigat*, Chriſtus, Glaſſius etiam l. 2. tract. 2. ait : *In verbis cœnæ, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, ſenſus literalis proprius eſt, quia nulla hic occurrit vox modificata, ſeu tropo affecta*. Addit Hornejus in Comp. Theol. pag. 408. Corpus Chriſti in ſacris literis vel naturale denotari, vel myſticum, id eſt, Eccleſiam, ſed *hic ſermo non eſt de corpore Eccleſiæ; ergo de vero, & naturali ejus corpore*.

IV. Ex aliis locis de eodem argumento tractantibus, & præſertim ex Jo. 6. conſtat, Dominicam carnem *vere, non tropice* cibum, & potum eſſe, ex Corinth. 10. *Panis, quem frangimus, participatio corporis Domini eſt*, & c. ſeq. de indigne

ſumentibus dicitur: *Reus erit corporis, & ſanguinis Domini*, non de typo, aut imagine male tractata pœnas luet, ſed de violato ipſo corpore, & ſanguine Chriſti, *non dijudicans*, hoc eſt non diſcernens *corpus Domini*: parem ei irrogans injuriam ac Judas oſculo tradens, & Judæi clamantes: *Crucifige*, quibus exemplis utitur Theodoretus, Oecumenius, aliique. V. Ideo Jo. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei &c.* Et c. 15. v. 1. *Ego ſum vitis vera*, & 1. Corinth. *Petra erat Chriſtus*, figurate accipi debent, quia ibi ſubjicitur: *Qui tollit peccatum mundi*, quod non convenit ovillo fœtui; hic vero confeſtim additur: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes &c.* Et 1. Cor. Chriſtus dicitur: *Petra ſpiritalis*, ſed in his verbis: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt calix &c.* nihil additur, quod tollat literalem ſenſum, ſed habetur tantum: *Quod pro vobis tradetur*, & *Qui pro multis effundetur*, quæ vero corpori, & ſanguini tribuuntur; ergo verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, literaliter accipi debent.

Prob. II. Ex Eccleſiæ Conciliis. Nicænum I. Can. 14. jubet, ut iis, qui non offerunt, ſacerdotes dent corpus Chriſti. Epheſinum in Ep. ad Neſtor. ſtatuit: *Accedentes ad myſticas benedictiones participes fieri ſacri corporis, & ſanguinis Chriſti, neque communem carnem percipere, ſed ipſius Verbi propriam factam.* Nicænum II. *Nullus*, ait, *Apoſtolorum, aut PP. incruentum ſacrificium dixit imaginem corporis ejus. Poſt ſanctificationem panis & vinum corpus proprie, & ſanguis Chriſti appellantur.* Plura Concilia coacta contra Berengarium ſupra laudavimus, queis adde Lateranenſe ſub Innoc. III Conſtantienſe ſeſſ. 8. Florent. in Decr. Un. & Trid. Seſſ. 13.

Prob. III. ex PP. Ignatius M. in ep. ad Smyrnæos de Simonianis ait: *Ab Euchariſtia, & oratione abſtinent*, quod non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Eadem

habet in ep. ad Rom. & Philadelph. S. Justinus in Apolog. ad Antonin. scribit, in Eucharistia veram manducari Christi carnem: *Non ut communem panem, sed quemadmodum Verbum Dei caro factum carnem & sanguinem habuit, ad eundem modum alimoniam, unde sanguis & caro nostra aluntur, ejusdem incarnati Jesu carnem, & sanguinem esse edocti fuimus.* Irenæus l. 4. c. 18. ait: *Quomodo constabit eis, eum panem corpus esse Domini sui, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant?* Quibus verbis docet, eos, qui Verbi incarnationem negant, denegaturos etiam Eucharistiæ & *transubstantiationis* mysterium.

Tertullianus lib. 4. contra Marc. c. 40. ait, Christum acceptum panem in corpus suum vertisse scribens: *Corpus suum illud fecit.* Ac de percipiente Eucharistiam ait lib. de Resurr. c. 8. *Corpore, & sanguine Christi vescitur.* Cyprianus de Lapf. pag. 378. de impiis non purgata conscientia communicantibus ait: *Vis infertur corpori ejus & sanguini.* Et ep. 14. ut probet dandam esse communionem lapsis sub Decio, & errorem confitentibus, ait: *Quomodo provocamus eos sanguinem suum fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?* Nyssenus in Orat. Catech. c. 37 scribit: *Verbo Dei sanctificatum panem in corpus Dei Verbi transmutari credo.* Cyrillus Jerosf. Mystag. 4. *Cum Christus dicat de pane: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Ambrosius de Myster. c. 8. n. 47. Eucharistiam mannæ præfert, quia hæc est *panis vivus, qui descendit de cælo, & est corpus Christi,* non figura, sed re: nam etiam manna typum Christi gerebat. Et n. 48. *Considera*, inquit, *utrum præstantior sit panis angelorum, an caro Christi, manna illud cæli, hoc Domini cælorum. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo: illis in umbra, tibi in veritate.* Quibus verbis nil clarius, aut magis efficax proferri potest ad probandam præsentiam realem Christi in Eucharistia. Chry-

sosto-

Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. ait: *Quoniam Verbum dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus.* Deinde ait, non eſſe invidendum iis, qui Chriſtum facie viderunt, quia ſub elementorum velamine revera ipſum videmus, & comedimus, ſed hæc inepta eſſent, ſi in Euchariſtia eſſet tantum typus, & figura; ergo &c.

Item Hom. 24. in 1. Corinth. ait: *Quod eſt in calice, eſt illud idem, quod e latere fluxit.* Hieronymus in 1. ep. ad Tit. ait: *Tantum intereſt inter propoſitionis panes, & corpus Chriſti, quantum inter imaginem, & veritatem*, & ep. 44. ait, ſacrificium Melchiſedech oblatum fuiſſe *in typo*, Chriſti autem in ejus *ſanguine & corpore*. S. P. Aug. l. 9. Conf. c. 13. ait: matrem ſuam ei mandaſſe, ut ſui memoria fieret ad altare, ubi ſciebat diſpenſari *victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum contrarium nobis.* Et enarr. 1. in Pſ. 33. ait illud 1. Reg. 21. *Ferebatur manibus ſuis*, in Davide, aut in alio ad literam non eſſe impletum, *quia manibus ſuis nemo portatur*; ſed impletum in Chriſto, *quando ait: Hoc eſt corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus ſuis*, ſed hæc de figura, & imagine exponi nequeunt, quam quisque ferre poteſt in manibus ſuis; ergo &c. Et l. 2. adv. Petil. c. 37. ſcribit, Paſcha Judaicum fuiſſe typum paſſionis Chriſti, ſed aliud eſſe, quod illi *de ove* celebrabant, *aliud, quod nos in corpore, & ſanguine accipimus*; ergo &c. Vide Card. Perronium, Jodocum, Creſpetium, Bellarminum, opus de Perpetuitate Fidei, Vitaſſium &c.

Prob. IV. ex confutatione veterum hæreticorum. Nam Irenæus l. 4. c. 17. probat abrogandam fuiſſe legem veterem, ut umbris veritas ſuccederet, & ubique offerretur ſacrificium a Malachia prædictum, in quo Dominus panem *fecit corpus ſuum, & vinum ſanguinem ſuum confeſſus eſt.* Hinc l. 5. c. 2. ex Euchariſtia tranſubſtantiatione

probat corporum resurrectionem: *Sicut granum tritici & vinum percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus & sanguis Christi, sic & nostra corpora ex ea nutrita, & in terram resoluta resurgent in suo tempore.* Et Marcionitas &c. refellens negantes Verbum assumpsisse veram carnem ait, inde sequi, quod *nec Dominus sanguine suo redemit nos; neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est, neque panis communicatio corporis ejus*, sed hæc futilia essent, si in Eucharistia esset sola figura Christi corporis; ergo &c. II. Tertullianus l. 4. contr. Marc. Christi corpus verum non phantasticum probat ex verbis: *Hoc est corpus meum*; cum ergo vocat panem *figuram corporis*, non loquitur de figura, quæ veritatem excludat, alias Marcionem non confutasset: respondisset enim, corpus dici, quod corporis refert imaginem.

III. S. Epiphanius in Anchor. p. 70. probat hominem factum esse ad imaginem Dei (licet homo percipi, & tangi possit non Deus) quemadmodum panis consecratus est verum Christi corpus, licet sit sensus expers, & membris careat, quod adeo certum est, ut nemo sit, qui non credat huic sermoni: *Hoc est corpus meum. Nam qui verum illum esse non credit a salute excidit*, qui locus *insignis* a Petavio dicitur: *Quo Dominici corporis in Eucharistia præsentia comprobatur.* IV. Hilarius probat Dei Verbum naturaliter esse in Patre ex Eucharistiæ & Incar. mysterio dicens: *Si vere carnem corporis nostri Christus assumpsit, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in illo est, & ille in nobis, quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum sit unitatis.* V. Cyrillus Alex. l. 4. contra Nest. c. 4. demonstrat in Christo unitatem personæ, ex quo in Eucharistia carnem vivificam, & Verbi propriam accipiamus: *Cum*

enim, ait, *ab illa cum corpore mystica veraque unione vivificum Dei verbum disjunxeris, quomodo ipsum corpus adhuc vivificum ostendes?* ergo &c.

Prob. V. Ab exemplis, quibus veteres PP. fidem huic mysterio conciliarunt. Justinus in Apol. pag. 98. ait, panem mutari in Christi corpus; sicut *per Verbum Dei caro factum est Jesus Christus.* Eandem comparationem affert Nyssenus, Hilarius. Irenæus l. 4. c. 18. adstruit fidem Eucharistiæ, quia fit *per Verbum, per quod lignum fructificat, & terra dat primum fœnum post spicam, deinde plenum triticum.* Cyrillus Jerof. Orat. Mystag. 4. ait: *Aquam mutavit in vinum in Cana Galilææ, & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit?* Ambrosius de Myst. c. 9. *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt in id mutare, quod non erat? Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine?* Eadem exempla profert Damascenus l. 4. de Fid. Orth., sed exempla hujusmodi ad rem non essent, si in Eucharistia non esset revera Christi corpus, sed tantum ejus figura; ergo &c.

Prob. VI. ex miraculis. Optatus enim l. 2. de Schism. Don. n. 19. narrat, canes dilaniasse Dominos suos, qui Eucharistiam projecerant, *quasi latrones S. corporis reos.* Amphilochius in vita Basilii narrat, Hebræum mysteria nostra irridentem vidisse Basilii manibus infantem in sacrificio partiri: cumque accederet communionem percepturus, hostiam in veram carnem fuisse conversam. Idem contigisse matronæ cuidam sacram synaxim a magno Gregorio sibi porrectam

irri-

irridenti, narrat Jo. Diaconus l. 2. Vit. Gregorii n. 41. Chryſoſtomi ævo, dum mulier hæretica panem communem loco Euchariſtiæ, quam ancillæ clam porrexit, ori admoviſſet, in duriſſimum lapidem verſus eſt, qui diu in C. P. templo ſervatum eſt, ex Nicephoro, & Sozomeno.

Sacram hoſtiam a malefica muliere palliolo involutam, media ſui parte in carnem fuiſſe converſam ait ep. ad Deſid. abd. S. Petrus Damiani, qui etiam narrat, ſe adfuiſſe juramento epiſcopi Amalph., quo Stephano Rom. Pontifici teſtatus eſt: *Quia cum aliquando ſuper Sacramento dominici corporis incredulus hæſitaret, in confractione hoſtiæ rubra ac perfecta caro apparuit; itaut digitos illius cruentaret, ſicque ſcrupulum dubietatis auferret.* Celebre eſt etiam, quod Vulſinii accidit ann. 1264. apud Panvinium, Sigonium, Raynaldum &c., qui e ſacro calice ſacerdotis celebrantis ſanguinem profluxiſſe ſcribunt, quo pertinctum S. Corporale in Eccleſia Urbis veteris etiamnum ſervatur. cujus occaſione miraculi fertur inſtitutum feſtum corporis Chriſti. Idipſum Doracæ contigiſſe narrant Henriquez, aliique. Jeſum in ſacra hoſtia viderunt Nicolaus Tolentinas, Joan. a S. Facundo, aliique. Et hoſtiam in carnem, & ſanguinem converſam religioſe ſervant Noſtrates in Piceni Oppido Offidano. Aliam Lovanienſes cuſtodiunt, atque hujus partem Colonienſe cœnobium, de qua Lupus orationem habuit.

Prob. VII. ex fidei hoſtibus. Atreas, Thyeſteasque epulas a Chriſtianis celebrari, eosque trucidati infantis carnibus veſci fidei hoſtes ſæpe commenti ſunt, ut conſtat ex Tertulliano, ex Juſtino, atque Euſebio, qui etiam narrat, Attalum quendam ea de re ſubiiſſe glorioſum martyrium: ſed hæc accuſatio non aliunde orta eſt, niſi ex ſparſo rumore, quod in convivio Euchariſtico veram *filii hominis* carnem initiatis antiſti-

tes

tes dispertirent; unde Numerianus Imp., ut rem suis oculis inspiceret, adesse voluit in Antiocheno templo, dum Eucharistia conficiebatur; ergo &c. II. Putarunt Gentiles, a nobis celi tamquam numina Cererem, & Bacchum, sed hic error apud eos ortus est ex cultu, quem Christi corpori exhibemus sub panis & viri speciebus; ergo &c. III. Manichæi, qui Christum in spicis & sarmentis, & escis omnibus *quadam Dei defectione* adesse delirabant, *parem esse nobis religionem circa panem & calicem* putabant, atqui eos refellit S. D., non quod in Eucharistico pane Christus non sit, sed quia *certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur*, neque est *alimentum refectionis*, sed *Sacramentum religionis*; ergo &c. De Nestorio & Arianis dictum supra.

IV. Eutychiani Christi corpus in Eucharistia in divinitatem, non secus ac in Incarnatione conversum putabant, unde refelluntur ab Anastasio Synaita, ex quo *teneri, frangi, dividi, & dentibus conteri a divinitate prorsus abhorreat.* Valdenses de reali præsentia, ac substantia Sacramenti non dubitarunt, sed eam ab indigno ministro non confici errarunt. Jo. Hus, Lutherus, Calvinus, non ausi sunt hoc dogma penitus oppugnare, ut supra notatum est. V. Græci schismatici uno ore nobiscum conveniunt: hinc Gabriel Philadelph. in sua *Fid. Eccl. Orient.* ait: *Omnis transubstantiatus panis cum vino sanctus est, & caro Christi*; ergo &c. VI. Hæreticus Gajanita in disceptatione habita cum Orthod. apud Anast. Syn. pag. 349. quærenti catholico, an communio, quam offert, sit *verum corpus & sanguis Christi, vel nudus panis, vel vicem gerat & figuram corporis Christi, ut sacrificium hirci?* ℞. Gajanita: *Absit ut dicamus, sacram communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus, & sanguinem Christi vere accipimus.* VII. Hieremias Patriarcha C. P. in Cens. ad Germanos c. 10. ait:

ait : *Judicium eſt catholicæ Eccleſiæ panem poſt conſecrationem mutari in Chriſti corpus, vinum autem in ſanguinem,* & infra ; *Non dixit,* Chriſtus, *hoc eſt panis azymus, aut figura corporis, ſed : Hoc eſt corpus meum &c.* Eadem habet Cabaſilas, aliique; ergo &c.

CAPUT II.

De regulis, quibus hæreticorum ſophiſmata diluuntur.

Novatores dogma catholicum evertere conantur momentis ex ſcripturis, ex PP., & ratione petitis. Itaque ad eos refellendos ſequentes regulas aſſignabimus.

I. Regula eſt. Licet *ſubſtantia* panis in Euchariſtia transmutata ſit in Chriſti corpus, & cum Ambroſio l. 5. de Sacr., aliisque jure negari poſſit, quod poſt conſecrationem ſit *panis*, ſi ſpectetur ſubjecti ſubſtantia, dicitur tamen : *Fractio panis* Luc. 24. *Sacramentum panis* ab Aug. l. 3. de Conſ. Ev. c. 25. *Panis* a Cyrillo Catech. 4. myſt., ſi ſpectetur ſpiritalis vitæ alimentum. Hinc auctor ſerm. de cœn. Dom. ait : *Hoc Sacramentum aliquando carnem & ſanguinem, aliquando panem, aliquando corpus ſuum Chriſtus appellat. Panis dicitur propter nutrimentum vitæ, caro & ſanguis propter veritatem naturæ, corpus propter unitatem ſubſtantiæ.* II. Euchariſtia non *panis* tantum dicitur, ſed *cæleſtis, ſuperſubſtantialis &c.* Unde Iſidorus Peluſ. l. 1. ep. 113. eam vocat : *Panem angelorum, panem vitæ, panem divinum, ſanctum &c.* Et auctor vitæ S. Antonii *Panem Deo incorporatum.*

III. *Panis* dicitur, quia retinet panis accidentia, & in pane oblato a Melchiſedecho, *in panibus propoſitionis,* & in manna, quod *panis angelorum, & panis vivus dicitur,* eſt figuratum, ex Hieron., & Greg. M. IV. dicitur *panis,* tum ad demonſtrandam materiam, quæ in corpus Chriſti convertitur,

ut virga Aaron in colubrum verſa virga adhuc dicitur; tum ratione ſpeciei, qua ſenſibus ſubeſt, qua ratione angeli ſub ſpecie hominis viſi etiam homines ſunt appellati. Vide Buleng., Boſſuetum, Eſtium &c. Idem de vino dicendum eſt, in quo ſanguis Chriſti præfiguratus eſt ex verbis Gen. 49. *Lavabit in vino ſtolam ſuam &c.*

II. Regula eſt, Euchariſtiam *ſignum* dici, & *figuram corporis Chriſti*, licet contineat ejusdem corporis veritatem. I. Enim ſignum eſt relate ad gratiam, quam ſignificat, & efficit, ut alia Sacramenta. II. Euchariſtia *figura eſt, dum panis, & vinum extra videtur, veritas autem, dum corpus & ſanguis Chriſti in veritate creditur*, ex diſt. 2. c. 89. de Conſecr. Ita Patrum ſpecies oppoſitæ ſententiæ facile conciliantur. Hinc Hugo Vict. l. 2. in c. 1. Dionyſii de Hier. ait: *Quare Sacramentum altaris ſimilitudo eſſe non poteſt, & veritas; nam tria ibi proponuntur, ſpecies viſibilis, veritas corporis, & virtus gratiæ ſpiritalis.* Unde infert Hugo l. 2. in c. 1. *Speciem viſibilem eſſe Sacramentum veri corporis, & ſanguinis:* ut mors Chriſti fuit ſimul *veritas & imago, nam fuit exemplum ut moriamur peccato.* III. Lutherani in conflictu cum Sacramentariis nunquam negarunt, ex Boſſueto, Euchariſtiam eſſe ſignum, cum noſſent, non ſemper ſigno rei præſentiam excludi, non enim ægrotus mortuus eſt, dum ſigna exhibet vitæ. IV. Corpus Chriſti latens in Euchariſtia eſt vere *ſignum, & figura ſui ipſius*, quatenus pro nobis obtulit ſemetipſum in cruce, quod ſentit Tertullian. l. 3. contra Marc. c. 19. ad ea verba: *Mittamus lignum in panem ejus* dicens, revera *lignum in corpus miſſum eſt;* dum ergo ait, *corporis figuram datam pani*, loquitur de figura corporis crucis ligno ſuffixi.

Eadem eſt Aug. mens in Pſ. 3. In conſecratione ergo exprimitur Chriſti corporis oblatio in ſacrificium, in elevatione hoſtiæ elevatio in

cruce.

cruce, in fractione lanceæ vulneratio, in comestione ejus sepultura significatur. V. Nemo, exceptis Phantasiastis, negat veram in Christo carnem, ex quo hæc in sacris literis aliquando *formæ* dicatur, & similitudo. Hinc Tertullianus l.5. contr. Marc. demonstrat, Paulum, qui ad Philipp. 2. v. 7. de Christo ait: *In similitudinem hominum factus &c.* veritatem assumptæ carnis adstruere, sicut ad Coloss. 1. dum ait: *Qui est imago Dei invisibilis*, non ei detrahit divinitatem; ergo apud PP. & Tertullianum *forma*, *imago*, *similitudo*, *effigies &c.* non negant rerum substantiam: *Qui ergo dicunt*, ait Estius dist. 8. §. 15. *Eucharistia est signum corporis Domini, ergo non est corpus Domini, argumentantur more veterum hæreticorum dicentium, Christus in similitudinem hominum factus est, & habitu, seu figura inventus ut homo; ergo non erat verus homo.* Adde, a Calvino damnatum fuisse igni Servetum; quod negasset Christum, qui ab Apostolo dicitur *figura & imago* divinitatis, naturaliter esse Dei filium; ergo &c.

III. Regula. Idem dicendum de *antitypo*, de quo sup. Prop. 3. c. 1. Diss. I. Etenim, cum particula ἀντὶ valeat aliquando idem ac *pro*, & aliquando idem ac *contra*, *antitypum* modo accipitur pro *figura & imagine*, quo sensu Hebr. 9. sancta veteris Testamenti *antitypa* dicuntur, seu exemplaria verorum, modo pro eo, quod figuræ contraponitur, quo sensu in ep. 1. Petr. c. 3. baptisma dicitur *antitypon* arcæ Noæ. Eucharistia ergo non est antitypa, prout panis refert Christi figuram, sed quatenus Christi corpus, *sub speciebus Sacramentalibus* exhibet idem corpus in cruce immolatum. Ita Damascenus, Theophylactus &c. cum Basilio, Nazianz., & Cyrillo facile conciliantur. II. Ἀντὶ sæpe idem est ac ἴσον, & æqualitatem significat ex Henrico Steph. Constantino, Scapula, & Simonio. Hinc Elias Creten. in Or. 1. Apolog. Na-

Nazianz. ait : *Per antitypum isotitypum intelliges, siquidem de SS. Christi corpore istud accipias (sic enim Basilius hoc appellavit) propositio enim* ἀντὶ *nonnunquam æqualitatem significat.* III. Ex eodem Elia Cret. & Damasc. l. 4. de Fid. Orth. possunt sacra munera vocari antitypa, *& figuræ rerum futurarum, non quod non vere corpus & sanguis Christi sint, sed quod nunc divinitatis Christi per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, & per solum adspectum*, seu manifesta Christi præsentia, ita Roffensis l. 2. adv. Oecolampadium, aliique recentiores.

IV. Regula. Errant novatores, qui ex locis istis: *Caro non prodest quidquam: Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt: Littera occidit &c.* evinci putant panis & vini Sacramenta inutilia, aut noxia esse, aut verba Christi tropice accipienda, hinc enim sequitur Christi incarnationem, passionem, & resurrectionem tropice esse exponenda, sicque Ebionæi erunt, Phantasiastæ, Judæi, Athæi &c. Ex iis ergo locis monemur, ne ea quæ ibi dicuntur carnaliter accipiamus, & juxta hominum morem, qui fide carent. Ita τὸ, *Verbum caro factum est*, vetamur *carnaliter accipere* non negando Verbi incarnationem, aut naturarum distinctionem, ut Judæi, & Eutychiani, sed ne opinemur, Dei filium hominem factum carnali concubitu. Hoc etiam sensu ait S. P. Tr. 26. in Jo. quod *caro non prodest quidquam, sed quomodo illi*, Judæi, *intellexerunt, carnem quippe intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* Eadem habet Tertullianus, Chrysostomus, Theophylactus, aliique &c.

V. Regula. Nec juvat hæreticos, quod Patres priorum sæculorum aperte non scripserint contineri in Eucharistia Christi corpus & sanguinem[1], imo ex eo capite a Theologis clarissimis refelluntur, *ob disciplinam arcani*, de qua cl. Auctor tom. 6. c. 5.

6. c. 5. Nam S. Basilius de Spiritu S. inter arcana, *quæ fas non est intueri nondum initiatis*, comprehendit, fatente Albertino, Eucharistiam. Chrysostomus hom. de Prodit. Judæ productis verbis: *Hoc est corpus meum*, ait: *Norunt initiati quæ dicuntur, norunt calicem istum: scietis vos*, catechumeni, *infra paucos dies.* Epiphanius hær. 42. reprehendit Marcionitas, quod mysteria perficerent videntibus catechumenis. Theodoretus in 1. dial. Orthodoxum ita loquentem inducit: *Oro te, ut obscurius* (de Eucharistia) *respondeas, adsunt enim fortassis aliqui mysteriis non initiati.* Tarsicium, qui maluit occidi, quam prodere infidelibus Sacramenta, & Tertullianum uxorem hortantem, ut caute custodiret & sumeret Eucharistiam, supra laudavimus. Ambrosius de Myst. c. 1. ait: *Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque Sacramentorum rationem edere, quam ante baptismum, si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius, quam edidisse æstimaremur.* S. P. A. agens de catechumenis sæpe ait, nescire illos, *quid accipiant Christiani.* Et ep. ad Honorat. catechum. ait: *Quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies.* Vide Schelestratium, Bulengerum, Lupum, Juenin &c.

VI. Regula. Quamvis dubitari non possit contineri in Eucharistia idem corpus de Virgine natum, quidam tamen post exortam Berengarii hæresim, inter quos Ratramnus, negant adesse in Eucharistia corpus Christi, *quod de Virgine natum est.* Sed ita exponendus est, ut idem corpus adesse neget, quoad affectiones, idest *nervis ossibusque compactum, propriosque motus exercens*, ut alii etiam catholici sentiunt, eo quod nec membra Christi corporis naturali statu consistant, nec anima exerat vitales motus. Non vero quoad substantiam, sic enim affirmat Ratramnus ea, quæ fidelium ore percipiuntur, *figuram esse secundum speciem visibilem, at vero secundum invisibilem substantiam verum corpus & sangui-*

guinem Christi. Ita Rupertus Ab. ep. ad Cunonem ait : corpus Christi *differre specie*, at esse unum idemque *nomine, re, & effectu.* Vide Mabillonium, Lupum &c. Sic etiam conciliantur PP. qui aliquando affirmant manducari & bibi a nobis *corpus crucifixum*, & sanguinem *pro nobis effusum*, idest quoad substantiam ; aliquando ajunt, id intelligendum *invisibiliter ac spiritaliter*, quoad visibilem speciem.

VII. Regula. Negarunt aliqui, ut Nicephorus Patr. C. P. & Epiphanius diaconus Eucharistiam dici posse *imaginem Christi corporis*, affirmarunt alii. Ubi nota I. Iconomachos corpus Christi in Eucharistia admisisse, ut cultum aliarum imaginum excluderent. Ajebant enim : Eucharistia non est falsa imago, *sed est divinum corpus ad sanctificationem pertingens ;* cum aliæ imagines personalitate careant, & ad idololatriam viam sternant. PP. ergo negarunt, Eucharistiam dici imaginem, ut hanc cavillationem exsufflarent, reponentes, frustra ab Eucharistia exemplum peti, utpote quæ non est imago, sed *ipsum Christi corpus ;* ergo utrique conveniebant in catholico dogmate.

Not. II. Græcos hoc argumento uti, ut probent consecrationem non perfici verbis, *Hoc est corpus meum,* absque aliis precibus, quia post ea verba panis & vinum *imagines & antitypa* dicuntur, *corpus* autem & sanguis post preces ; ergo Græci omnes nobiscum sentiunt in dogmate de præsentia reali in Eucharistia.

VIII. Regula. Affirmant PP. a nobis comedi Christi carnem *spiritaliter*, ac per fidem, quod recte dictum est. I. Quia Eucharistia pascit animam *spiritali gratia*, & continens Christum est cibus *spiritalis & vivificus*, ut ait Chrysost. hom. 87. in Matt. II. quia non videtur *oculis corporalibus*, *sed mentis ac spiritus*, ut ait Cyrillus Jer. Catech. 5. III. quia non *simplex* caro hominis est, sed Dei ex Theophyl. in 26. Matth. IV. Quia præbet nobis

potum ſanguinis *a petra ſpiritali* ex Cyrill. Alex. l. 4. in Jo. V. Quia *qui non manet in Chriſto non manducat ſpiritaliter carnem ejus, licet carnaliter premat dentibus Sacramentum*, ut ait S. P. A. Tr. 26. in Jo.; ſicut ergo ſpiritalis communio non excludit ſenſibile Sacramentum, ita multo minus excludit corpus Chriſti inviſibile & immortale.

IX. Regula. Aſſeruit Jeremias Patriarcha C. P. in Cenſ. a nobis non comedi *carnem, quam Chriſtus geſtabat*, unde colligit Albertinus, Hieremiam & Græcos negaſſe a nobis comedi Chriſti carnem, & bibi ſanguinem. At Hieremias ibi accipiendus eſt de carne manducanda ſub *ſpecie carnis*, ut putabant Capharnaitæ ex Regula 4. & 6. non de carne, aut ſanguine ſub *ſpeciebus* panis & vini; ait enim Hieremias: *Transmutatur panis in ipſum Domini corpus, vinum autem in ipſum Domini ſanguinem.* Hinc Withembergenſibus Theologis jure fuit perſuaſum Hieremiam nobiſcum ſentire.

X. Regula. Argumenta philoſophica ſunt moderate expendenda, nec in fide vacillandum, licet humanum captum ſuperent; plura enim in ſuo corpore miracula exhibuit Chriſtus: exiit virginalibus clauſtris inviolatis, januis clauſis adiit diſcipulos, pedibus ſuper mare ambulavit. Plura enim ſunt, ait S. P. A. l. 21. de C. D. c. 5. *quæ ipſi rationi videntur contraria, & tamen ſunt.* Deinde, qui nobiſcum pugnant, vel pagani ſunt vel hæretici; illi ad fidem prius trahendi, poſtea myſteriis initiandi ſunt: ſi enim Chriſtum Deum hominemque ſuſceperint, ejus Sacramenta non ſpernent. Hæretici Chriſtum agnoſcunt, ſed in eo errant, quod credunt Chriſto dicenti: *Ego ſum Dei filius,* non credunt autem cum ait: *Hoc eſt corpus meum.* Si ratio ſit fidei norma, utrumque negandum eſt cum Socinianis, nam non minus incarnatio & trinitas vincit mentis aciem, quam Euchariſtiæ myſterium. Sociniani autem ſcripturas admittentes fruſtra nos ratiocinationibus philoſophicis impetunt,

cum

cum ex 1. Cor. 2. constet, fidem nostram *non in sapientia hominum, sed in virtute Dei* sitam esse. Lutherani vero, licet de transubstantiatione pessime sentiant, dum tamen Christi corpus adesse fatentur in Eucharistia, premuntur iisdem difficultatibus petitis ex replicatione corporum, horumque extensione. Hinc Schmidius in 26. Matth. ait: *Dicit idem*, Christus, *hoc quod in Sacramento edimus esse suum corpus &c. hoc ergo pie credamus, etiamsi modum ignoremus.* His præmissis facile solvuntur Hæreticorum sophismata. Itaque

Ob. I. Ex regula *Sacramentalis locutionis* loca omnia scripturarum ad Eucharistiam spectantia improprie & figurate accipienda sunt, non proprie & literaliter; ergo &c. Prob. ant. In Sacramentis enim *signo* tribuitur nomen rei *significatæ*; adeoque ex laudata regula ibi est tropus, & figura, ut notant Calvinus, & Beza. Ita Gen. 17. circumcisio *pactum* dicitur, & Exod. 12. esus agni *phase* appellatur. II. S. P. A. l. 3. de Doctr. c. 16. ait, figuratam esse scripturæ locutionem, si videatur flagitium jubere, aut beneficium vetare; adeoque figuratam esse putant locutionem illam: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, eo quod flagitium videatur jubere, ex qua regula, ait Phereponus, colligi non posse homines Christi corporis fieri participes. III. Mos est scripturæ de Christo metaphorice loqui, ut patet ex Jo. 10. 15. 11. &c. ubi Christus dicitur: *Ostium, vitis, pastor, petra, agnus, leo &c.* ergo &c.

℞. ad I. neg. ant. Ad prob. neg. ant. In eo enim Sacramenti ratio sita est, quod aliud significet & efficiat, quam exterius appareat. Sufficit ergo ut in Eucharistia Sacramenti ratio persistat, si corpus Christi & gratia, quorum signum est, exterius non sentiantur. Deinde non tropica locutione, sed propria, Sacramenta instituuntur, ut in baptismo, qui est Sacramentum regenerationis *ex aqua, & Spiritu S.* vere abluimur aqua, & vere Spiritus S.

gratia renaſcimur. Conſtat enim Samaritas, Cornelium, Eunuchum &c. aqua naturali tinctos fuiſſe; Sacramentalis ergo inſtitutio poſtremæ cœnæ propriam infert, non tropicam locutionem. Nec obſtat locus Geneſ. 17. de *circumciſione*, hæc enim eſt ſignum dumtaxat, ſive attendatur fœderis conditio, ſive textus ſcripturæ: *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*, atqui Chriſtus Euchariſtiam inſtituens non eam dixit *ſignum corporis ſui*; ſicut ergo circumciſio *ſignum* eſt pacti cum Abrahamo initi, ita Euchariſtia *ſignum* eſt novi fœderis ac Teſtamenti. Unde retorqueo argumentum. Sicut Deus feriens pactum cum Abrahamo ait: *Circumcidetis carnem &c. eritque pactum meum in carne veſtra*, ita condens vetus Teſtamentum ait de vitulorum ſanguine; *Hic ſanguis Teſtamenti &c.* Et novum Teſtamentum inſtituens Matth. 26. ait: *Hic eſt ſanguis novi Teſtamenti*; ſicut ergo pactum, ſive ſignum cum Abraham eſt vera circumciſio carnis, & ſignum veteris Teſtamenti eſt verus ſanguis hircorum & vitulorum; ita novum & æternum Teſtamentum, ejusque ſignum, eſt verus ſanguis Chriſti.

Phaſe autem, nedum angeli tranſitum, ſed etiam Paſchalem ſolemnitatem deſignat, ut *celebrare Phaſe, immolare, comedere Phaſe &c.* Exod. 12. & 35. Paralip.; ergo verba illa Exod. 12. v. 12. *Eſt enim phaſe &c.* pro ſacrificio & victima accipi debent, ut ſenſus ſit: *Eſt enim ſacrificium pro tranſitu.* Nam Rabbini omnes accipiunt פסח *Peſach* pro agni oblatione: hinc Exod. 12. legitur: *Victima tranſitus Domini eſt.* Unde retorqueo argument. Phaſe illud vere eſt phaſe, ſeu *victima tranſitus*; ergo illud, de quo ait Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*, vere eſt corpus. Sed dato etiam idem eſſe *Phaſe ac ſignum tranſitus*, ex quo in ſingulis verſionibus habeatur: *Erit ſanguis vobis in ſignum*, ait enim angelus:

Vide-

Videbo ſanguinem, & tranſibo vos, quid inde? Numquid ſignum iſtud in Ægypto fuit vacuum, & ſine re? Nonne vere pertranſiit angelus & percuſſit Ægyptios? ergo a pari

Ad II. ℞. I. quærendo a Pherepono, cur ad eam expoſ. potius, quam ad aliam planiorem confugiat, qua ex eodem Auguſt. præſcribitur ſequendum eſſe literalem ſenſum, ubi clara eſt narratio, nec addendum ſenſum noſtrum ſcripturæ ſenſui? Cur aliam Auguſtini regulam non ſequitur l. 3. de Doctrin. c. 4. raro in verbis ſcripturæ inveniri ambiguitatem, *quam non aut circumſtantia ſermonis, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ ſolvat inſpectio*: ex quibus evincitur verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, non *tropice*, ſed *proprie* eſſe accipienda. ℞. II. diſt. ant. Ait S. P. figuratam eſſe locutionem, prout *videntur jubere facinus*, conc. ſecundum id, quod eſt revera, neg. Videtur ſane flagitium, ſi pater occidat filium, & propheta accedat ad mulierem fornicariam, & tamen id vere juſſit Dominus Abrahamo & Oſeæ, & vere iſti id effecere, ita ait S. D. hæc verba: *Niſi manducaveritis &c. facinus jubere* viſum eſt Capharnaitis putantibus Chriſti carnem eſſe manducandam, quomodo in macello venditur, & hoc pacto *figura eſt præcipiens paſſioni Domini communicandum.* Sed quatenus non videtur jubere flagitium, & jubet Sacramentalem communionem abſque laniatione membrorum, non figurata locutio eſt, ſed literalis, & propria. Hinc patet S. D. loqui de figurata locutione, quæ propriam non excludit. Nam l. 2. contra Adverſ. leg. c. 9. ait, Chriſti carnem a nobis ſuſcipi, & manducari *corde & ore*, licet poſſint Manichæi horrere male accipientes ea verba: *Si quis non manducaverit carnem meam &c.* ubi S. D. figuratam locutionem ita tradit, ut propriam non excludat. Ad III. neg. conſ. Licet enim plures tropi extent in ſacris literis, non tamen ubique, &

pro hominum libidine ſunt intrudendi, ut monet S. D. l. 3. de Doctr. Chr. c. 10.

Ob. II. In celebri loco Jo. 6. perſpicua eſt tropica locutio; ergo &c. Prob. ant. I. enim Chriſtus hortatus erat Apoſtolos ad fidem, quam cibum dixerat, *qui permanet ad vitam æternam*; ergo *panis vitæ*, qui Jo. 6. tribuit vitam æternam, eſt fides. II. Ait ib. *Ut ſi quis ex ipſo* (pane) *manducaverit, non moriatur*; ſed multi Euchariſtiam ſumentes ſpiritaliter pereunt; ergo locus laud. de fide accipi debet; de qua dicitur v. 48. *Qui credit in me habet vitam æternam.* III. Capharnaitis murmurantibus ait Chriſtus: *Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt . . . Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem non prodeſt quidquam;* ergo non de carnali, ſed de eſu ſpiritali accipi debet locus Jo. 6. IV. Ita accipiunt Origenes; Clem. Alex. Baſilius; Hieronymus; & Aug. ergo &c. V. Alliacenſis, Biel, Tapperus, Heſſelius, aliique apud Tournely negarunt verba illa: *Niſi manducaveritis &c.* quibus Jo. Hus neceſſitatem *utriusque ſpeciei* obtrudebat, de Euchariſtia accipienda eſſe; ergo &c.

℟. neg. antec. Si enim ibi tropica locutio ſit, cur non erit tropica locutio, dum dicitur: *Verbum caro factum eſt, ego & pater unum ſumus &c.* quibus novatores ipſi coguntur refellere Ebionæos, nempe Socinianos, Arianos, aliosque hæreticos? Vid. Reg. 4. Ad Prob. neg. conſ. Chriſtus enim ib. longam de fide in ſe ipſum orationem præmiſit, idque etiam miraculis confirmavit, quia Sacramentum mox exponendum rationem carnalium hominum ſuperabat. Cæterum ſi verba feciſſet de ſigno corporis ſui, aut de hujus perceptione per ſolam fidem, non dixiſſet, Euchariſtiam eſſe manna præſtantiorem, nec paſſus eſſet, ea de re, Capharnaitas a ſe alienari. Nec juvat hæreticos, Chriſtum fidem dixiſſe cibum, *qui permanet ad vitam æternam*, quibus verbis non fidem ſterilem commendat Jo. ſed operibus conjunctam, de qua Chriſtus ait:

Meus

Meus cibus eſt ; ut faciam voluntatem ejus , qui miſit me. Ut tur autem hac phraſi , quippe ideo turba ad eum venerat, quia ex panibus manducaverat; expectabatque *iterum manducare* ; ait S. P. A. Tract. 25. in Jo. Hinc tamen occaſionem ſumit Chriſtus de Euchariſtia loquendi. Cum enim Judæi Moyſi crederent ; quia *panem cœli* , ideſt manna dedit eis, reſpondit Dominus, ſe ad manducandum dediſſe manna præſtantius, ideſt ſeipſum; quod cum nollent Judæi credere, vere carnem ſuam cibum eſſe affirmavit, eo quod vitam non corporalem, ſed ſpiritalem largitur: *Ut ſcirent omnino comedendum corpus ejus*, ut ait Chryſoſtomus, cui aſſentitur Ammonius, Severus, Cyrillus &c.

Nec aliter ſentiunt Alliacenſis, Tapperus, aliique Theologi; quos nobis opponit Dallæus: quorum diſſidia facile componuntur, ſi dicamus, iis verbis: *Niſi manducaveritis &c.* contineri præceptum de manducatione ſacramentali, relata ad aliquos fidelium, & quoad unam ſpeciem, præceptum vero de manducatione myſtica, ſive de adhæſione myſtico corpori Eccleſiæ, ſi ad omnes referatur. Quo ſenſu S. P. diſputans cum Pelag. de parvulis hunc locum exponit. Nil mirum ergo, Theologos diſputantes de cummunione ſub utraque ſpecie adverſus autumantes eam eſſe ſingulis neceſſariam, negaſſe locum cit. de communione Sacramentali accipiendum.

Ob. III. In ipſa Euchariſtiæ inſtitutione extat figurata locutio: ergo &c. Prob. ant. I. Ibi enim pronomen *hoc* ex communi ſententia ad panem refertur, & ſenſus eſt: *Hic panis eſt corpus meum*; ergo remanet in Euchariſtia panis, qui *corpus* dicitur, alias ea eſſet propoſitio identica, ac ſi diceres: *Corpus eſt corpus.* II. Hoc corpus *frangi* dicitur 1. Cor. 11. ſed hoc non vero corpori, ſed pani tantum convenit; ergo &c. III. Verbum *eſt* ſæpe valet idem ac *ſignificat*, ut Gen. 41. *Septem boves, ſeptem anni ſunt.* Et Dan. 2.

Tu es caput aureum &c. hinc Exo. 12. habetur: *Eſt enim phaſe, ideſt tranſitus &c.* ubi τὸ *Eſt* idem valet ac *ſignificat*, quemadmodum ubi Ezechiel c. 5. capillos ſuos diſpergens ait: *Iſta eſt Jeruſalem*, ſenſus eſt, Jeruſalem diſperſum iri, non autem in capillos fuiſſe converſam; ergo &c. IV. Idem evincitur ex circumſtantiis, Chriſtus enim ante ea verba, *Hoc eſt &c.* accepit panem, benedixit, fregit, juſſitque, ut eadem diſcipuli facerent; atqui quod Chriſtus accepit panis erat; ergo panis eſt etiam ille, quem frangunt ſacerdotes. V. Juſſit Chriſtus, ut id facerent in ſui memoriam, ſed hæc abſentiam rei ſupponit; ergo &c. VI. Calix dici nequit ibi: *Novum teſtamentum*, niſi metaphorice; ergo &c. VII. Vinum quoque peracta Chriſti Conſecr. dictum eſt *genimen vitis*; ergo remanet in ſua ſubſtantia.

℞. neg. ant. Ad I. prob. neg. ant. Nam S. Thom. q. 88. ait, pronomine *hoc* deſignari ſubſtantiam *abſque determinatione propriæ naturæ*, Major, Gabriel &c. id quod præſens eſt, aut fit ſi oratio ſit operatrix. Qui vero de *pane* illud exponunt, ajunt hunc ſenſum eſſe: *Hic panis, qui loquente me panis eſt, in termino prolationis eſt corpus meum.* Nec obſtat, nondum eſſe corpus, dum dicitur *hoc*; nam enunciatio effectrix ſat eſt, ſi verificetur in fine orationis. Sic vere dixiſſet Deus limum contrectans: *Hoc eſt corpus hominis*, ut Lazarum ſuſcitaturus ait: *Lazare veni foras.* Deinde in hac prop. *Hoc eſt corpus meum*, τὸ *Hoc* refertur ad corpus, habetur enim in Græco neutrum τȣ͂το ἐςὶ τὸ σῶμα non ȣ͂τος maſculinus, qualis eſt ἄρτος: quod etiam obſervat Hornejus Lutheranus, licet tranſubſtantiationis acerrimus hoſtis; perperam ergo Schmidius, Le-Dieu, Beza &c. uno vel altero Græco aut Syriaco vocabulo obſtrepunt apud Auctorem, quem conſule. Hinc liquet hanc propoſ. *Hoc eſt corpus meum*,

non

non esse *identicam*, quia nempe eadem res eodem, aut synonymo vocabulo enunciatur, ut *homo est homo*, *gladius est ensis*. Verum si pronomen, aut attributum enuntietur de re aliqua singulari, ex. gr. *Hæc urbs est Auximum*, *hic est liber &c.* nemo hanc propositionem dicet identicam.

Ad II. dist. ant, Frangi dicitur ratione specierum, conc. ratione substantiæ, neg. Deinde apud Lucam, & Paulum legitur: *Quod pro vobis datur*, vel *tradetur*, quibus ostenditur, datum in cibum Apostolis ipsum Christi corpus mox immolandum. Tandem τὸ *sanguis*, *qui pro multis effundetur*, ad sanguinem, non ad vinum refertur; ergo τὸ *corpus*, *quod pro vobis tradetur*, ad corpus, non ad panem referri debet. Ad III. ℞. I. neg. ant. Nam in tropis translatio non extat in verbo *est*, sed in subjecto, vel attributo, ut si de imagine dicam: *Hic est Plato*, tropus non extat in *est*, sed in Platone, qui figuram hominis significat. Vide Estium, & Maldon. Nam si τὸ *est* idem valet ac *significat* non dici debuit: *Hic est sanguis meus*, *sed hic est sanguinem meum*. Deinde nulla est comparatio inter ea, quæ apparent in somniis, ut boves, ac spicæ Pharaonis, aut statua Nabuchi, & quæ narrantur in libris historicis. Adde, ex ipsis regulis Protestantium dignosci, quando scriptura figurate loquatur. Exemplum Socini futile est, nam verba illa: *Ista est Jerusalem*, non ab Ezechiele, qui capillos dispersit, sed a Domino dicta sunt. Legitur enim ibi: *Hæc dicit Dominus: Ista est Jerusalem &c.* ergo textus ipse ostendit ibi esse tropum, ibique Jerosolymæ vastatione describi. Potest tamen fractio panis figura esse corporis Christi, ut capillorum dispersio Jerosolymæ figurabat excidium, si accipiatur corpus Christi, ut vulneratum, & crucifixum, juxta regulam 3. Sic, ex cap. *Hoc est* de Consecr. dist. 2. n. 47. *cœlestis panis suo modo vocatur corpus Christi*, *illius* vi-

videlicet, quod in cruce eſt ſuſpenſum, vocaturque ipſa immolatio carnis, que ſacerdotis manibus fit, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio. Eadem habet S. P. ep. 23. ad Bonif. nunc 99. Quare Euchariſtia recte dicitur commemoratio, non Chriſti corporis, quod præſens eſt, ſed immolationis paſſionis &c. ut habetur 1. Cor. 11.

Ad IV. neg. ant. Ad prob. diſt. min. Panis erat mox in Chriſti corpus convertendus, ex vi verborum, conc. ſecus, neg. Ad V. diſt. min. Supponit abſentiam rei, ideſt paſſibilis corporis, & humanis membris inſtructi, conc. ideſt realem præſentiam excludit, neg. Ad VI. retorq. argumentum. Nam Luc. 22. τὸ *calix* proprie accipitur; ergo & *ſanguis*. Deinde Exod. 24. & Hebr. 9. hæc verba: *Hic ſanguis Teſtamenti &c.* de vero hirci ſanguine dicta ſunt, ergo & de vero Chriſti ſanguine dicitur: *Hic eſt ſanguis meus &c.* Dicitur autem a Luca *novum Teſtamentum* in recto, a Matth. autem *novi Teſtamenti* in obliquo. Nec ſolum *Teſtamentum* dixit Lucas, ſed *Teſtamentum in ſanguine*, ideſt *ſanguis Teſtamenti*. Ad VII. neg. conſ. Ait enim Chriſtus: *Non bibam amodo &c.* quo ſenſu ait de agno Paſchali Luc. 22. *Ex hoc non manducabo illud; donec impleatur &c.* Sicut enim hinc non infertur, manducaſſe Paſcha ejuſdem generis, ita illinc non eruitur bibiſſe ejuſdem generis vinum. Deinde alia utrobique locutio eſt; ergo & varius eſt ſenſus. Vid. Reg. 1.

Ob. IV. Idem confirmatur aliis ſcripturæ locis. Nam I. Chriſtus ex Jo. 12. Judam refellens objurgantem mulierem ob profuſum unguentum ad pedes ſuos ait: *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.* Sed in ſententia catholica Chriſtum ſemper habemus; ergo &c. II. Poſt reſurrectionem, ut ſe verum corpus oſtenderet ait: *Palpate & videte &c.* ergo non eſt verum corpus, quod palpari & videri non poteſt. III. Aſcendens

in

in cœlum alium *paraclitum* misit discipulis de ejus abscessu tristatis; ergo &c. IV. Christus sedet ad dexteram Patris usque ad ultimum judicii diem; ergo non est nobiscum in Eucharistia: alias frustra nos moneret Apostolus dicens: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est &c.* V. Veteres PP. *eandem escam spiritalem manducaverunt &c.* ergo, ut illi, ita & nos in figura sumimus Christi corpus & sanguinem.

℞. neg. ant. Ad I. prob. dist. min. Semper habemus in forma humanitatis assumptæ, neg. in forma reali sui corporis præsentia, & ejus patrocinio, quo Christus nobiscum est usque ad consummationem sæculi, conc. Hinc S. P. A. tract. 51. in Jo. ait: *Non semper nobiscum Jesum permanere secundum id quod a Judæis prehensus est, ligno confixus, & in sepulchro conditus.*

Eodem modo ℞. ad 3. & 4. Ad II. neg. cons. Licet enim *affirmative* recte concludatur dicendo: tangitur ac palpatur; ergo non est spiritus; *negative* tamen non recte dicitur: non palpatur &c. ergo non est corpus: alias non fuisset verum Christi corpus, quod januis clausis ad discipulos intravit, & ab eorum oculis evanuit; sicut ergo potuit Christus facere corpus suum impenetrabile & invisibile; ita potuit ipsum impalpabile reddere. Ad V. retorq. arg. Scopus enim Apostoli, teste Chrysostomo, est demonstrare, non sat esse percepisse baptisma & Eucharistiam, nisi recte vivamus. Unde ad hanc rem figuras producit Baptismi & Eucharistiæ: sicut enim omnes Patres sub nube fuerunt, & transierunt mare, omnes manducaverunt manna, nec tamen *in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto*; ita non omnes baptizati, & Christi corpore saginati erunt Deo accepti. Idem quippe Dominus, qui illis manna & aquam, tibi corpus præbuit & sanguinem: & sicut *tu comedis corpus Domini, sic illi manna &c.* Sed Judæi vere

manna comederunt; ergo & nos verum Chriſti corpus comedimus.

Ob. V. PP. auctoritatem. Nam I. qui floruere Apoſtolorum ævo nihil expreſſe de hoc dogmate tradiderunt, alias philoſophi gentiles illud oppugnaſſent, ut trinitatem & incarnationem impugnarunt, vel aliquis martyr vi ſuppliciorum hæc fidei arcana prodidiſſet; ergo &c. II. PP. Euchariſtiam non dixere corpus, ſed *figuram* Chriſti corporis; ergo &c. Prob. ant. Nam Græci divina munera, etiam poſt conſecrationem vocant, *antitypa*. Unde S. Cyrillus Jeroſ. Catech. 4. myſtag. Euchariſtiam *panem* vocat & *antitypum*. III. Tertullianus l. 1. contra Marc. c. 14. Euchariſtiam panem vocat, *quo*, Chriſtus, *corpus ſuum repræſentat*, & l. 4. c. 14. exponens verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, ait: *Ideſt figura corporis mei*. IV. Ambroſius etiam l. 4. de Sacr. c. 4. Euchariſtiam *ſimilitudinem*, *& figuram corporis & ſanguinis* appellavit. V. Auguſtinus lib. contra Adim. c. 12. ait, Chriſtum dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum &c. cum ſignum daret corporis ſui*; ergo &c. Et Tract. 85. in Jo. ait: *Ut quid paras dentes & ventrem? crede, & manducaſti*; ergo &c. VI. Præſentiam Chriſti in Euchariſtia primus in Oriente tradidit Anaſtaſius Synaita ann. 630. & in Occidente circa ann. 810. Paſchaſius Monachus Corbejen. ea de re ab Amalario, Rabano, aliisque impugnatus ob dogmatis novitatem; ergo &c.

℞. Fruſtra novatores Patrum auctoritate inniti: ſi quæ autem ab iis proferuntur, ex regulis ſupra productis nullo negotio exſufflantur. Conſtat enim Scaligerum, Socinum, aliosque ingenue fateri, PP. nobiscum una ſentire, adeoque; *Si præter ſacras litteras PP. auctoritati ſit ſtandum*, hæreticis, *omnibus cauſa cadendum eſſe*. Ad I. itaque dicimus, diſciplinam arcani invictum eſſe catholicæ veritatis argumentum, ut Regula 5. expoſitum eſt. Quamquam non ſolum PP. priorum ſæculorum corporis

&

& ſanguinis Chriſti meminere, ut Ignatius, Juſtinus, Irenæus, ſed etiam acta S. Perpetuæ, quæ *buccellam comedit, acclamantibus amen circumſtantibus*, quod de Euchariſtia recte exponit Ruinartius; Luciani, qui *ſupra pectus ſuum* ante mortem conſecravit hoc Sacramentum, ex Philoſtorgio l. 2. H. E. tandem acta martyrum omnium, quos ante agonem protectione *corporis & ſanguinis Chriſti* muniendos ſcribit ep. 57. S. Cyprianus.

Ad II. ℞. ex Reg. 3. plenam habere ſolutionem: mirandum tamen, Albertinum Cyrilli Catecheſim 4. producere, ubi S. D. ſacra dona appellat quidem *antitypa*, ſed pag. 531. ait: *Sub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis: hoc ſciens panem hunc non eſſe panem, etiamſi guſtus panem ſentiat & vinum, tametſi ſenſui vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.* Ad III. habetur ſolutio ex Reg. 2. ubi Tertulliani catholicus ſenſus exponitur: qua de re ipſe Calvinus illum maluit *inſcitiæ* arguere, quam veritatem negare. Adde Tertulliani verbis firmari potius, quam everti dogma catholicum, ſubdit enim l. 4. contra Marc. *Figura non fuiſſet, niſi veritatis corpus eſſet. Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.*

Ad IV. diſt. ant. Vocat *ſimilitudinem*, ut excludat *cruoris* ſpeciem, *ut nullus horror cruoris ſit*, conc. ut excludat realem præſentiam Chriſti ſanguinis, neg. Hanc enim perſpicue tradidit, & miraculis firmavit, ut ſupra dictum eſt. Ubi ergo S. D. oblationem ſacram *corporis Chriſti figuram* appellat, loquitur de oblatione *præparata*, non de *conſecrata*. Ad V. neg. conſ. Vocat enim *ſignum*, non ad excluſionem veritatis, ſeu realis præſentiæ corporis ſui, ſed eo ſenſu, quo ſanguinem dixit animæ *ſignum*, ideſt rei præſentis in viventibus brutis. Ubi vero dicit manducari ſpiritaliter per

fidem,

fidem, ut Tract. 85. in Jo. &c. exponi debet secundum Regulam 4. & 8. Nam de reali manducatione loquitur S. D. ferm. 2. de Verb. Apost. & alibi. Ad VI. neg. ant. Nam ante Anastasium, & Paschasium innumeri catholicum dogma asseruere. Deinde nemo istos ut novatores damnavit, nulla contra eos sunt coacta Concilia, cum ex adverso Berengario omnes episcopi restiterint, unde coactus est tertio palinodiam canere; is ergo, non Anastasius, aut Paschasius, ut novator habitus est. Verum de his plura supra notavimus. Vide Regulam 6.

Ob. VI. Momenta rationis. I. Dogma catholicum destruit ideam corporis, sive trinam ipsius dimensionem; qua corpus expoliari nequit; ergo nequit Christi corpus ibi esse, ubi caret quantitate, & figura membrorum. II. Substantia corporis sita est in certa particularum dispositione & congerie; ergo hostia sacra his partibus & dispositione constans retinet panis substantiam. Nec dici potest quantitatem, figuram, saporem aliam a substantia rem esse, cum hæc sola sit *accidentium* subjectum; ergo &c. III. Percipi nequit, quomodo idem corpus trinum & circumscriptum in cœlo & in terra & infinitis in locis existere possit, & integrum in hostiola contineri: & unum cum sit esse in qualibet parte indivisum; ergo &c. IV. Indecorum est manducari ab impiis Christi corpus, sub elementis latere, frangi, dentibus premi, & in secessum emitti; ergo &c. V. Realis præsentia nihil confert utilitatis, cum idem præstet fides & typus, si credas, sin minus, necem affert: spiritus enim tam signis, quam rebus alitur. VI. Non videtur eximium Christi amoris argumentum ejus transitoria præsentia corporalis, quoadusque *species* perseverant, cum nobis promiserit perpetuam sui præsentiam spiritalem; ergo &c.

℞. I. ex regula 10. non humanam rationem, sed Ecclesiæ auctoritatem esse credendi normam. Unum ab adversariis peto, cur solam scripturam statuant ut fidei normam, & ad castra philosophorum nos provocent? cur Angli Protestantes, & Forbesius eos improbent, qui negant posse Deum efficere, ut corpus careat locali extensione, nobis autem succenseant, quod impossibilia credamus? Quid? quod ipse Calvinus in Dilucid. sanæ doctr. pag. 839. cogente veritate, affirmavit: *Vere, ac substantialiter* esse in Eucharistia corpus Christi, ut Deus in arca, & Spiritus S. sub specie columbæ, nec solum fide ac merito, sed etiam *substantialiter & reipsa* a nobis manducari Christi corpus. Et l. 4. Inst. ait, Christum ipsam, in qua residet, carnem vivificam nobis tradere, & per symbola panis & vini, vere nobis exhiberi corpus ejus & sanguinem: nec sola imaginatione, aut mentis intelligentia, sed reipsa percipi. Nec aliter animas nostras Christi corpore & sanguine pasci, quam pane ac vino corpus alitur, ut ait Calvinus l. 4. Inst. c. 17. Ubi refellens oppositionem eorum, qui ajunt, incredibile esse, quod in tanta locorum distantia penetret ad nos Christi caro, ait: *Quod mens nostra non comprehendit, concipiat fides, spiritum vere unire, quæ locis disjuncta sint.*

℞. II. ad I. neg. ant. Non enim desunt recentiores philosophi, qui putant, extensionem esse corpori accidentariam: datur enim per ipsos extensio *vacua*, & sine corpore. Qui vero eam essentialem corpori putant, ut Cartesiani, ajunt Christum in Eucharistia occupare locum angustiorem, quomodo totus pullus in ovo, tota quercus in glande continetur, idque ex mente Trident. Synodi, quæ sess. 13. statuit: *Separatione facta totum Christum contineri sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus.* Quod quidem Samona Gazæ episcopus explicat exemplo speculi, in quo est

imago tua, pro vitri extenſione anguſtior, aut amplior: ſi ſpeculum frangas, in quovis fragmine eandem habebis imaginem: *Ita*, concludit Samona, *caro Chriſti integra eſt in unoquoque fragmento.* Ad II. ℞. I. noſter Lupus in VI. Rom. Concilium S. Gregorii VII. meras nugas eſſe, quæ de accidentibus a ſubjectis indiſtinctis tradit Carteſius: nam Synodus Conſtantien. Seſſ. 8. damnavit hanc Wiclefi propoſit. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in Sacramento.*

℞. II. Vanroy: diſt. ant. Itaut ea diſpoſitio, & accidentia ſint entitates aliquæ diſtinctæ a ſubſtantia, neg. ut ſint ejus modi, conc. ℞. III. Gaſſendus: noſtrum non eſſe divinam omnipotentiam modulo intelligentiæ noſtræ velle metiri: *In talibus* enim *tota ratio facti eſt potentia facientis*, ut ait S. P. ep. 3. ad Voluſ. Ad III. vide, quæ diximus in prob. 6. & regula 10. Deinde ℞. I. neg. conſ. Nam ipſe Calvinus monet, ut *quod mens noſtra non comprehendit, concipiat fides.* Non enim abſurdum (1) cenſuit Chryſoſtomus l. 3. de Sacerd. eum, qui

(1) Mirari ſatis non poſſumus ingentem Picteti, & Abadiæ confidentiam, qui literalem ſenſum verborum Dominicæ cœnæ, quam laudati PP. & Eccleſia univerſa communiter tuetur, violentum eſſe opinantur, abſurdum, & antilogiis innumeris implicatum. Nullam vero hujuſcemodi violentiam, aut contradictionem occurrere, ſi verba illa tropice aut metaphorice accipiantur. Chriſtum enim figurate loqui coactum fuiſſe ex ipſis Euchariſticæ inſtitutionis adjunctis, aut circumſtantiis facile colligi poſſe arbitrantur, non ſolum quia paulo ante agnum legalem comederat, qui Paſcha tropice dicebatur, ſed etiam quia Euchariſtiæ inſtitutionis verba ad eorum normam exegit, quæ legali cœna Pater-

qui ſedet in dextera Patris, in dexteris peccatorum reperiri. Nec Nyſſenus, qui in Hom. de Paſch.

Paterfamilias fragmentum azymi tenens pronuntiabant dicens: *Iſte eſt panis afflictionis, quem Patres noſtri in Ægypto comederunt: qui eſurit, veniat & edat.* Sed ineptiſſima hæc ſunt, & plane indigna, quæ ſerio a cordato Theologo refelli debeant. Quid enim fingi poteſt abſurdius, quam Chriſtum aſſerere in novo condendo Paſchate, atque in ipſa inſtitutione Euchariſtiæ figurate loqui debuiſſe, quia id præſtitit poſt agni legalis eſum, qui allegorice *Paſcha* dicitur? Ut enim præteream, quæ in ℞. ad I. ſunt obſervata circa veram ac propriam hujus vocabuli acceptionem, quisnam adeo eſt mentis inops, ut ex tropo, tropum inferri licere rationabiliter arbitretur? Quod plane ſi fieri poſſet, cum conſtet ex ſymbolo Chriſtum Dominum ad cœlos aſcendiſſe, & ad dexteram Patris ſedere; quoniam hæc ejus ſeſſio tropice accipitur, idem quoque de ejus admirabili in cœlos aſcenſu dicendum eſſet. Cumque Leonis de tribu Juda victoriam, & Agni occiſionem non uno loco commemoret Joannes in Apocalypſi; nonniſi metaphorice victorem & cæſum fuiſſe Chriſtum Dominum putandum foret, qui nonniſi allegorice *Leo* & *Agnus* ibidem appellatur. Quid etiam abſurdius, quam verborum Chriſti germanam intelligentiam petere ex more Hebræorum in legalis cœnæ celebratione uſurpato? Ex ipſa verborum ſerie, ex idea quam nativa, ac propria eorum ſignificatio animo imprimit, ex circumſtantiis ſermonis, & præcipue ex unanimi omnium Ss. PP. traditione expendendus eſt legitimus eorum ſenſus, non ex Rabbinorum commentis, & ex more, de quo ſcriptura, & veteres Hebræorum ſcriptores Evangelio coævi altum habent ſilentium.

ait, Christi corpus *innumerabilibus locis consecrari, & tamen unum corpus esse.* Nec Augustinus, qui Ps. 33. ait, Christum seipsum portasse *manibus suis.* Præterea, licet percipi nequeat, non tamen negant hæretici, Christum januis clausis ingressum ad Apostolos, aut ex integris claustris virgineis egressum; ergo &c. Tandem, ut ratiocinatur Maignanus, sufficit in Deo una eademque actio, ut corpus producat, ut conservet, & in plura loca successive transferat, quia hæc mutatio se habet ex parte termini; ergo eadem Dei actio potest Christi corpori alium locum tribuere in dextera Patris, alium vero sub his speciebus, alium sub aliis. Ad IV. V. & VI. infra erit responsio. Id unum petimus ab adversariis, cur indecorum sit Christum frangi ratione *specierum* sacramentalium, manducari ab impiis &c. postquam dignatus est tradi manibus peccatorum, alligari, crucifigi &c.? præsertim cum in Eucharistia non sit passionis acerbitas, cruoris horror, & pallida mortis imago.

CAPUT III.

De hæreticorum consubstantiatione, seu impanatione.

Inter panem & Christi corpus ineffabilem quandam, & hypostaticam unionem, quam vocant *impanationem*, quidam cum Osiandro commenti sunt, alii vero, ut Lutherani, docent, substantiam panis Christi corpori absque vinculo hypostaticæ unionis sociari, atque horum dogma consubstantiationem nominamus. Catholicam sententiam declarabit sequens

Propositio. In Eucharistia non manet panis & vini substantia, sed vertitur in substantiam Christi corporis & sanguinis.

Prob.

Prob. I. ex fcripturis, & I. ex verbis Chrifti: *Hoc eft corpus meum;* fed neutrum pronomen *Hoc* ad panem referri nequid, qui eft generis mafculini; ergo refertur ad Chrifti corpus. II. non ait Chriftus: *In hoc*, aut *cum hoc*, aut *fub hoc pane eft corpus meum*, fed: *Hoc eft corpus meum;* ergo ita denotat corpus fuum, ut panem excludat. III. Si duo fint fimul unita, ut anima & corpus, nequit unum de alio enunciari, nec dicit: *Anima eft corpus &c.* ergo nec de panis fubftantia dici poteft: *Hoc eft corpus meum.* IV. Fatetur Lutherus, vere & fubftantialiter manducari a nobis Chrifti corpus, fed per Lutheranos non eft unio hypoftatica inter panem & Chrifti corpus; hoc ergo, non panis manducatur. Quod fi ea unio admittatur, fequitur illud abfurdum, nempe Dei Verbum quotidie affumere irrationalem fubftantiam. V. Vult Lutherus hæc verba Chrifti accipienda effe *juxta nudam grammaticæ intelligentiam;* atqui in his verbis: *Hoc eft corpus meum*, nulla fit mentio panis; ergo &c. VI. ubi legimus: *Accepit Jefus panem*, de folo pane hic locus accipi debet; ergo de folo corpore, ubi dicitur: *Hoc eft corpus meum.*

Prob. II. ex Conciliis Oecumenicis. I. enim in Concilio Lateran. IV. cap. *Firmiter* ftatuitur: *Per confecrationem panis & vini converfionem fieri totius fubftantiæ panis in fubftantiam corporis Chrifti, & totius fubftantiæ vini in fubftantiam fanguinis ejus, quæ converfio proprie a S. catholica Ecclefia tranfubftantiatio eft appellata.* Eaque vox extat apud Petrum Blefenfem, qui obiit circa finem fæculi 12. nec non apud Stephanum epifcopum Eduenfem, & in Confeff. Albigen. apud Petrum Card. S. Chryfogoni, in literis datis ann. 1160. Et fæculo XI. Berengarius fatetur, omnes fideles hoc *tranfubftantiationis dogma tenere.* Ex quo conficitur, *falli heterodoxos, qui novum in Ecclefia tranfubftantiationis dogma effe, nec ante Concilium Later. invectum contendunt*, ait Præf. 2. in fæc. VI. Bened.

ned. Mabillonius. Hinc Philippus Mornæus in Myſt. iniquitatis ait, quod temporibus Caroli M. & Adriani Papæ: *Tranſubſtantiatio jam exerebat caput*, quibus verbis noſter Coquæus in Anti-Morn. Calvinum refellit, qui l. 4. Inſt. eam refert ad Bernardi tempora, *nimirum* 400. *poſt annos*: atqui incredibile eſt epiſcopos 412. primates, metropolitas, & theologos ſupra 800. nullo renitente, dogma probaſſe novum, majoribus inauditum, & idololatricum, ergo &c.

Prob. III. ex PP. tum Græcis, cum Latinis, qui unanimi Conſenſu tradidere, quod nos *tranſubſtantiationis* nomine intelligimus. Quid eſt enim acceptum panem *facere corpus Domini, in corpus Verbi Dei transmutare, & quod in calice eſt, in illud converti, quod fluxit de Chriſti latere*; niſi id quod nos *tranſuſtantiationis* nomine deſignamus? ſed hæc docent PP. ut patet ex cap. præced.; ergo &c. ℞. Novatores, apud Græcos PP. verba tantum occurrere, quæ *mutationem* innuunt, ut μεταβάλλειν *metaballin &c.* non μετȣσίωσιν *tranſubſtantiationem*. Sed errant; hæc enim mutatio non fit in *accidentibus* & ſpeciebus; ergo fit in ſubſtantia. II. Μεταβάλλειν, non eſt tantum *tranſire*, aut *invertere*, ſed etiam *contrariam qualitatem contrahere* apud Ariſtot. 6. de Animal., & apud Stephanum, & Budæum eſt *degenerare de una in aliam ſpeciem*. III. PP. docent, panem ita converti, ut *ex pane fiat corpus Verbi Dei*, teſte Nyſſ. c. 37. Or. Catecheticæ. Et Cyrillus Catecheſi 4. ait: *Panem, qui videtur, non eſſe panem*; ſed hoc abſque *tranſubſtantiatione* fieri nequit; ergo &c. Hinc Wittembergenſes ad locum Patriarchæ Hieremiæ: *Panis mutatur in corpus Chriſti*, e regione Græci textus addiderunt μετȣσίωσις, & Latini *tranſubſtantiatio*. Quæ vox ſæpe legitur in Apologia Gabrielis Philadelph., cui conſentiunt omnes Orientales, ex Dionyſ. Protoſyncello, & Georgio

Co-

Coreſio, uno excepto Cyrillo Lucari Apoſtata; ergo &c.

Prob. IV. ex ipſorum Hæreticorum conſenſu. Nam ante Lutherum Jo. Hus apud Pezibramum ait: *Chriſtus Verbi ſui virtute panem & vinum tranſubſtantiat in propriam carnem, & ſanguinem.* Et in carm. de Cœna Dom. apud Hockerium habetur: *Non es panis, ſed es Deus homo &c.* Hieronymus Pragenſis ex Poggio Flor. ait: *Panem apud piſtorem remanere.* Poſt Lutherum vero Zacharias Urſinus Heidelbergen. ait: *Lutherani accuſant Chriſtum mendacii, negant enim panem eſſe ipſius corpus, ſed dicunt corpus eſſe in pane.* Zuinglius ep. ad Bugenhagium ait: *Non poſſe Antichriſtum ſuperari, niſi errore conſubſtantiationis profligato.*

Eundem errorem damnat conſenſus, ut dicitur, Orthodoxorum §. *Ut vero*, Scarpius, aliique. Lutherus ipſe l. de abrog. Miſſ. fol. 253. ait: *Chriſtum verbo virtutis ſuæ panem in corpus ſuum mutaſſe,* Et in Confeſſ. magna ait: *Sic Papiſtæ docent, imo ſancta Eccleſia, & nos cum ipſis;* qua de re Lutherum ut nobis conſentientem damnarunt Beza, Muſculus &c. Confeſſio Auguſtana ann. 1530. art. 10. hæc habet: *De cœna Domini docent, quod corpus, & ſanguis Chriſti vere adſint & diſtribuantur veſcentibus in cœna Domini.* Perperam pro eo 10. articulo alium obtrudunt quidam audaces Lutherani ex vitiata Confeſſ. ann. 1540. ubi legitur: *Docent quod cum pane & vino vere exhibetur corpus &c.* ſed exemplar Germanicum a Valentino Erythræo editum, cui ad verbum reſpondet verſio Confeſſionis Aug. Belgica Veſaliæ edita ann. 1563. non habet, τὸ *cum pane & vino.* Denique Melancthon Confeſſionis, & Apol. auctor & Lutheranorum ſignifer librum edidit adverſus Oecolampadium, ubi hæc ex Chryſoſtomo profert: *Non eſt figura dominici corporis panis, ſed in illum convertitur corpus Chriſti,* & ex Cypriano hæc addit: *Panis iſte non effigie, ſed*

natura mutatus omnipotentia factus est caro. Alia etiam profert ex Ambrosio, ex quibus concludit, *panem non esse tantum signum, sed naturam panis mutari.* Constat ergo *consubstantiationem*, seu impanationem a scripturis, a Conciliis, a PP. & ab ipsis hæreticis refelli.

Ob. I. Hæretici scripturas. Nam Luc. 24. & 1. Cor. 10. Eucharistia dicitur *panis*; ergo in ea remanet *panis substantia.* II. Cum Christus Jo. 6. ait: *Ego sum panis*, non se mutavit in panem: ergo cum ait: *Hoc est corpus meum*, non transmutavit panem in Corpus suum. III. Cum dicitur: *Verbum caro factum est*, intelligitur utriusque naturæ copulatio; ergo cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, intelligitur conjunctio utriusque substantiæ. IV. De ferro, quod pervasit ignis, recte dicitur: *Hic est ignis*, & de dolio vino pleno: *Hoc est vinum*, nulla mutatione substantiæ; ergo a pari.

℞. ad I. neg. conf. De qua vide regulam 1. cap. præced. Ad II. neg. conf. Lutherani enim in verbis: *Ego sum panis*, metaphoram agnoscunt, quam negant in verbis cœnæ: Christus enim non absolute dicitur *panis*, sed *panis vitæ* comparare ad manna: unde Glassius l. 5. Philolog. sacræ tract. 1. c. 2. ibi agnoscit *metaphoræ signum evidens.* ℞. II. retorq. argum. Nam verba Christi aut vera sunt, aut veritatem efficiunt, atqui verba illa: *Ego sum panis*, supponunt Christum esse panem supersubstantialem; ergo panem non efficiunt; sed τὸ: *Hoc est corpus meum*, non supponit realem Christi corporis præsentiam; ergo eam efficit. Si autem Deus facit, ut *Hoc*, quod erat panis, sit corpus Christi, jam desinit esse substantia panis; ergo &c.

Ad III. neg. conf. *Verbum* enim ibi est subjectum; ideoque ipsum *Verbum caro factum est assumptione humanitatis in Deum.* Hic autem *corpus* non est subjectum; ergo non est id, quod fit per unionem panis ad corpus. Non enim dicitur;

Cor-

Corpus meum factum eſt panis, ſed; *Hoc eſt corpus meum.* Deinde *Verbum*, cum ſit natura immutabile, *& habitaverit in nobis*, per ſe excludit converſionem naturarum, atqui panis per ſe mutabilis eſt, neque ex ſcriptura evincitur permanere; ergo &c. Ad IV. neg. paritatem. Nam, teſte Glaſſio Lutherano, ex hominum inſtituto res de alia enunciatur, aut pars ſumitur pro toto, quando pars vel eſt eſſentialis, vel accidentalis, atqui nulla hominum inſtitutione *corpus* deſignat partem aliquam, vel accidens; ergo &c. Adde ex Scluſſerbergio Lutherano, Chriſti verba tam clara eſſe: *Ut nullus angelus e cœlis, nullus homo in terris poſſit clarius loqui.*

Ob. II. Scotus, Paludanus, Argentinas, aliique Scholaſtici negant ex ſcripturis *tranſubſtantiationem* demonſtrari, *atque id non eſſe omnino improbabile* fatetur Bellarminus, & Suarez. Imo Durandus negat materiam tranſubſtantiari, unde refellitur a Bellarmino l. 3. de Euch. c. 13. & a Tournelyo q. 3. art. 2. ergo ex ſcripturis catholicum dogma non evincitur.

℞. neg. conſ. Id unum quippe docent laud. Scholaſtici, nimirum, ſpreta Eccleſiæ catholicæ auctoritate, nullum ſcripturæ locum, nec verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, in pravum ſenſum non poſſe torqueri, ut conſtat ex oppoſitis Lutheri, Calvini &c. eiusdem loci ſententiis. Nos autem, etiam præciſa Eccleſiæ auctoritate, putamus hæreticos eodem teſtimonio, quod per ipſos in ſenſu obvio accipiendum eſt, omnino refelli. Unde Salmaſius adverſ. Grotium pag. 516. ait: *Si ad literam accipiantur verba Chriſti, ut contendunt Lutherani Theologi, longe magis doctrinæ Pontificiorum favent, quam Lutheranæ. Dixit Chriſtus: Hoc eſt corpus meum, cum panem traderet; ergo non amplius panis*

 eſt,

est, sed corpus Christi. Durandus recte refutatur a catholicis : nam si remanet *materia* panis, remanet etiam *subjectum accidentium*, quod damnatum est a Synodo Const., cum tamen dist. 11. q. 1. scribat : *Substantiam panis & vini converti in substantiam corporis Christi,* dicimus nomine *materiei* quantitatem intellexisse cum Peripateticis a substantia distinctam.

Ob. III. Hornejus : *Transsubstantiatio* inaudita fuit ante Concilium Lateran. IV. sed Ecclesia Romana novas revelationes refellit ; ergo &c. ℞. neg. maj., de qua vide prob. II. ubi ostenditur etiam vocabulum *Transsubstantiationis* multo ante Conc. Lateran. IV. fuisse usurpatum : sed etsi novum esset, potuit ab Ecclesia ad novos errores eliminandos recte usurpari, ut *Homousion & Theotocon* recte usurpavit. Quod spectat ad dogma, patet ex prob. III. idem, quod nos *transsubstantiationem* dicimus, veteres *conversionem*, *mutationem & transelementationem* dixisse, constat ergo ex definitione Lateranensis IV. non novum dogma procusum, sed veteri novam lucem accessisse.

Ob. IV. ex PP. Chrysostomus in ep. ad Cæsarium Mon. refellens Apollinarii hæresim exemplo Eucharistiæ ait : *Sicut panis mediante sacerdote dignus habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus filii prædicatur, sic & hic unum filium unam personam utraque hæc fecerunt ;* ergo &c. II. Theodoretus in Dial. *Inconfusus* ait : *Non enim symbola mystica post sanctificationem recedunt, manent enim in priori substantia ;* ergo &c. III. Gelasius l. de duabus Nat. ait, quod in Eucharistia *esse non desinit substantia, vel natura panis & vini.* IV. Berengarius in Confess. ann. 1079. quæ extat dist. 2.

de

de Consecr. cap. *Ego Berengarius*, ait: *Panem & vinum verum corpus & sanguinem Christi esse, & sensualiter manibus sacerdotum tractari, frangi &c.* sed hæc pani competunt, non Christi corpori; ergo &c.

℞. ad I. neg. cons. Chrysostomus enim φύσεως, seu *naturæ* nomine intelligit species & accidentia, non proprie substantiam. Nam I. negat, panem post consecrationem recte dici panem. II. Asserit, non duo corpora, sed unum prædicari; atqui duo dicerentur, si coexisteret panis cum Christi corpore; ergo &c. III. Ait, naturam panis in ipso pane remanere, sed inepta esset hæc locutio, nisi acciperetur de accidentibus, nam sensus esset: *Natura panis in pane remanet*; ergo &c. IV. PP. tum Græci, cum Latini φύσιν pro accidentibus sæpe usurparunt, ut Anastasius, Theodoretus, Hilarius, Ambrosius, aliique; ergo & Chrysostomus. Reapse si Chrysostomus affirmasset remanere cum Christi corpore substantiam panis, potuissent hæretici inferre, Christum non *unam esse personam*, sicut non sunt *corpus unum* caro ejus, & panis substantia. V. Non opus est, ut exempla rei adamussim respondeant, præsertim cum S. D. alibi passim docuerit, non panem, *sed corpus Domini, & sanguinem, qui de ejus latere fluxit*, in Eucharistia distribui.

Ad II. dist. ant. *In priori substantia*, improprie dicta, hoc est *illud corpus priorem habet formam, figuram, & circumscriptionem*, ut exponit ipse Theodoretus ib., conc., proprie, neg. Disputat enim ib. cum Eraniste, an Christi corpus priores habeat proprietates, quod probat Theodoretus ex symbolis Eucharistiæ, ubi remanet *forma, figura, & circumscriptio.* Adde Magdeburgensibus visum esse, ex hoc eodem loco Theodoretum *confirmare transubstantiationem.* Ad III. ℞. Canus, & Baronius,

nius, hoc opus non esse genuinum. ℞. II. dist. ant. Non desinit esse panis substantia, vel natura improprie dicta, idest accidentium complexio, conc. proprie, neg. Ait enim Gelasius : *Sicut*, panis & vinum, *in divinam transeunt substantiam, permanente tamen in sua proprietate natura, sic iis, ex quibus constat, proprie permanentibus, unum Christum integrum permanere demonstrant.* Si ergo per Gelasium panis substantia in substantiam corporis Christi mutatur, non remanet proprie substantia panis in Sacramento, sed improprie, idest accidentium complexio. Ad IV. dist. maj. Ait *tractari, frangi &c.* ratione sui, neg., *ratione specierum*, ut ait Innoc. III., & Hugo Vict., conc. Ubi nota : verba illa non extare in Confessione Bereng. edita Romæ in Concilio Greg. VII. anno 1079. At in Confessione altera, ad quam Gregorius VII. Berengarium adegit eodem anno 1079. aperta extat *transubstantiatio* his verbis : *Ego Berengarius credo panem & vinum, per verba Redemptoris substantialiter converti in veram & propriam carnem & sanguinem J. C. D. N.* Quod constat ex Hugone Flaviniacensi, qui floruit Berengarii ævo. Perperam ergo negat D. Acheri, hanc Confessionem a Berengario emissam fuisse.

Ob. V. Ex Ambrosio l. 4. de Sacram. c. 4. evincitur panem remanere in Eucharistia ; ergo &c. Prob. ant. Ait enim S. Doctor : *Si tanta vis fuit in sermone Christi, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur?* ergo &c. II. S. P. A. lib. 16. de C. D. c. 37. scribit, in Eucharistia permanere *frumentum & vinum*; ergo &c.

℞. ad I. neg. ant. Ad prob. dist. ant. Ut sint in specie panis & vini, neg. *in genere;* conc. Nam prior substantia non redigitur in nihilum, sed remanentibus accidentibus fit corpus Christi. Hinc S. Am-

Ambrosius ib. ait : *Panis iste panis est ante verba, ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Ubi nota in Mss. aliquibus apud Lanfrancum non haberi verba : *Ut sint quæ erant,* sed legi : *Ut quæ erant in aliud commutentur.* Mirum tamen est hæreticos libros Ambrosii laudare, quos Bullingerus *stupidos* vocat. Ad II. vid. prob. III. cap. I.

Ob. VI. Non conveniunt Scholastici in *transubstantiatione* explicanda, aliis *productivam*, aliis *adductivam mutationem urgentibus*, ait Heideggerus ; ergo &c. Addit Titius ex Hesychio, olim cremari solitum, si quid superesset panis consecrati, sed hoc immane sacrilegium esset, admissa *transubstantiatione;* ergo &c. III. Sublato pane ejus species nil significant ; ergo eo sublato nulla remanent signa in Sacramento.

℞. ad I. neg. conf. Nam ex ea scholarum dissensione nullum fidei exurgit incommodum : disputant enim scholæ de modo, quod superat captum ingenii, non de re, quam firmissime & unanimiter credunt. Ad II. dist. ant. Cremabantur *species sacramentales* corruptæ, quæ sine horrore comedi non possent, ut notat Bellarminus, & Perronius, conc. incorruptæ, nego. Ad III. neg. ant. Remanet enim in Eucharistia ratio signi ; nempe *visibilis species elementorum.* Adde, carnem & sanguinem Christi, quæ sub panis & vini specie sumimus, Sacramentum esse, quo significatur corpus Christi, *quod visibile, palpabile, in cruce est suspensum,* ut ait Lanfrancus, contra Berengarium.

CAPUT IV.

De Stercoranistarum hæresi.

Præcipuum Stercoranistarum dogma fuisse creditur, Eucharistiam projici in sterquilinium. Hum-

ber-

bertus Card. Nicetam Pectoratum Stercoranistam appellat, hujusque erroris auctorem facit Arium. Eundem errorem Græcis Algerus impingit, Amalario Maguinus, Heribaldo, & Rabano scriptor anonymus, apud Cellotium. Sensum nostrum aperiet sequens

Propositio. Probabile est nullam extitisse sectam Stercoranistarum.

Prob. ex Apologia singulorum. I. enim vocatur Nicetas ab Humberto: *Perfidus Stercoranista*, quasi putaret per Eucharistiam *solvi jejunia, credens cœlestem escam in secessum mitti:* atqui Nicetas in eo scripto, licet conviciis plenissimo, nunquam ait solvi sacra Synaxi jejunium, & multo minus, eam projici ex alvo; sed hoc fuit fortasse non bene perpensum Humberti consectarium, ut censet Mabillonius, aliique viri cl. ergo &c. Reapse Nicetas canonem 48. Laodicenum proferens, ubi statuitur: ne panis offeratur in Quadragesima, *nisi in sabbato & in die Dominico*, satis ostendit, non alium fuisse ejus scopum, nisi Missas celebrandas in sabbatis & dominicis diebus juxta PP. traditiones, non ut hanc hæresim tueretur.

II. Accusatur Amalarius abbas Metensis, eumque in Synodo Carisiaca damnatum, & a Floro confutatum, præter Maguinum asserit auctor de Perpetuitate Fidei: & Guillelmus Malmesburien. testatur, sed his non tam facile subscribimus. Nam Amalarius rogatus a Guntardo, quo abeat Eucharistia post sacram communionem? ℞. *Non est mihi disputandum, utrum absumatur in cœlum, aut exaletur in auras, aut exeat de corpore, dicente Domino: omne quod intrat per os &c. Hoc solum cavendum est, ne corde Judææ sumam illud &c.* sed in his verbis Stercoranismus non evincitur; ergo &c. Neque Paschasius, aut Bertramnus ullibi Amalarium accusant de hac hæresi.

Dices: Amalarii libros *phantasticis, & hæreticis disputationibus plenos* appellat Ecclesia Lugd. Unde

de in laud. Synodo Carisiaca proscripta est eorum sententia, qui ajunt, corpus Christi esse *tripartitum*, quam tenet Amalarius in l. de div. Off. ergo &c. ℞. ad I. Eccl. Lugd. censuram spectare relate ad libros *de divinis Officiis*, in quibus Amalarius Ecclesiæ Lugdunen. mores exagitat. Adde horum librorum auctorem esse Amalarium Fortunatum, quem ab Amalario de hac hæresi notato distinguunt eruditi. Ad II. ℞. a Synodo Carisiaca eos notari potuisse ob suspicionem erroris. Quamquam dici etiam potest, corpus Domini *tripartitum* absque hujus hæresis labe, ut si distinguas corpus verum a corpore mystico, & illud, prout naturali modo, & prout sub speciebus existit.

III. Accusatur Heribaldus Antisiodoren. & Rabanus Maurus, ex quo ille *turpiter proposuit Rabano* hanc quæstionem: *An Eucharistia, postquam consumitur, & in secessum emittitur, more aliorum ciborum redeat in naturam pristinam.* Rabanus vero eam quæstionem *turpius assumpsit, & turpissime conclusit*, ut scribit Anonymus. Atqui illi *Eucharistiæ* nomine non Christi corpus intellexere, sed *species sacramentales*, quia istæ tantum sunt *pristina natura* expoliatæ; ergo &c. Aliunde Rabanus l. 1. de Inst. Cler. c. 31. Sacramentum illud appellat, *quod ore sentitur, & in corporis redigitur alimentum*; ergo &c. IV. Stercoranistas vocat Thomas Valdensis omnes *impanatores*, sed horum hæresis fuit, una cum substantia corporis Christi remanere panis substantiam unione quadam mirabili, atqui non legitur apud *impanatores* hanc unionem perseverare in specierum sacramentalium egestione, imo repugnat communi eorum sententiæ, qua docent, corpus Christi esse in Eucharistia *in solo usu*, idest dum sumitur; ergo &c.

Queres: unde laud. scriptores ex commentitia hæresi diffamari potuerint? ℞. Id factum esse I. ex quo *species sacramentales* a Domini corpore non aperte distinxerint, & nomen Eucharistiæ, quod utrum-

utrumque complectitur, Amalarius, Heribaldus, & Rabanus tribuerint speciebus; adversarii autem illud acceperint, quasi prolatum ad significandam Christi carnem. II. Ex quo plures affirmaverint, nec accidentia Eucharistiæ per *aqualiculos digestus fundi*, quod sensisse Chrysost. & Cyrillum Jeros. censet Lupus; hi ergo *Stercoranistas* eos dixere, quos norant scripsisse accidentia Eucharistica per egestum emitti. Ex his collige I. illud, quod in communione dentibus teritur, & digeritur, esse species sacramentales, quæ sæpe *Sacramentum dicuntur*; prout hoc nomine exprimitur signum sensibile. II. Abstinendum ab his quæstionibus, quæ nequeunt decenter tractari, & errori viam sternunt. III. perperam novatores *Stercoranistas* nobis objicere, quasi & hi negarint realem præsentiam, tum quia fictitia est hæc hæresis, tum quia eam nusquam probavit Ecclesia.

CAPUT V.

De variis quæstionibus circa realem præsentiam Christi Domini in Eucharistia.

Hæretici omnes, post Salmasium & Dallæum, nobis succensent ob Eucharistiæ cultum, custodiam, expositionem, festivitatem, & processiones solemnes. Contra quos sit

PROPOSITIO I. Eucharistiæ Sacramento debetur latriæ cultus.

Prob. I. Ex sacris literis. Λατρεία enim *ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum* ex Aug. l. 10. de C. D. c. 1. Sed ex c. 1. constat in Eucharistia contineri corpus & sanguinem Dei veri, ac Domini universorum, de quo scriptum est Ps. 96. *Adorent eum omnes angeli ejus*, & ad Philipp. 2. *In nomine Jesu omne genu flectatur &c.* Jure ergo statuit Trid. Syn. sess. 13. can. 3. *Si quis dixerit, in Eucharistiæ Sacramento Christum Dei filium non esse latriæ cultu, etiam externo, adorandum &c.* ana-

anathema ſit (1). Prob. II. ex Græcis PP. Nam S. Cyrillus Jeroſ. Catech. 5. Myſtag. jubet, ut quiſque ad ſynaxim accedat *pronus in modum adorationis*. Nazianzenus Or. funebr. in Laud. Gorgoniæ ait: *Ad altare cum fide procumbit, eumque, qui ſuper ipſo honoratur, invocans &c.* Chryſoſtomus hom 7. in Matth. Fideles hortatur, ut *ingredientes Bethlehem, & domum ſpiritalis panis*, ideſt ad ſacram Synaxim magos imitemur, qui puerum Jeſum tamquam Deum adorarunt, atque *adoraturi Chriſtum, cuncta projiciamus e manibus*. Theodoretus etiam de conſecratis ſymbolis ait Dial. 2. pag. 85. *Creduntur, & adorantur.*

Prob. III. ex Latinis PP. Ambroſius in illud Pſ. 98. *Adorate ſcabellum pedum ejus*, ait: *Per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam Apoſtoli in Jeſu adorarunt, hodieque in myſteriis adoramus*: quem locum a cavillis Pleſſæi, & Albertini vindicarunt Maurini. Illis autem nullum reliquit effugium S. P. A. Enarr. in eundem locum dicens: *Invenio quomodo ſine impietate adoretur terra ſcabellum pedum ejus. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt: & quia ipſam carnem nobis manducandam dedit, nemo autem ipſam* mandu-

(1) Ad normam laud. Canonis exigitur Cap. 1. *De Sacram. Euchariſtiæ* in Conſtitutionibus, & decretis editis in Synodo diœceſana Auximana anno 1593. ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Antonio Maria Gallo S. R. E. presb. Card. & Epiſcopo Auximate, ubi ſic legitur: *Quamvis tota Eccleſia domus ſit Orationis; præcipuus tamen honor & reverentia debetur ſancto, & terribili loco, in quo admirabile hoc Sacramentum aſſervatur: ideoque fideles omnes ſacroſanctam Euchariſtiam humiliter venerentur, adorentque D. N. J. C. tamquam vivum, & verum Deum, qui nobiſcum remanere dignatus eſt uſque ad conſummationem ſæculi &c.*

manducat, nisi prius adoraverit: inventum est, quomodo non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Vide alia loca apud Gelasium Hieber Augustinensem in Disp. Theol. de cultu SS. Euch.

Prob. IV. ex vetustiss. Liturgiis apud Simonium, Vitassium, Renaudotium, aliosque. In missa Chrysostomi legitur: *Dehinc adorat sacerdos, & diaconus ter secreto dicentes: Deus propitius esto &c. Et populus similiter cunctus cum devotione orat. Cum autem viderit sacerdotem manus extendentem, ut faciat sanctam elevationem, exclamat chorus: unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus.* Prob. V. ex ipsis heterodoxis. Nam in Ordinat. Ecclesiæ Brandeburg. Daniæ, & Norveg. præscribitur, ut cantetur hymnus: *Pange lingua*, & communicantes flexis genibus dicant: *Agnus Dei miserere nobis.* Joachimus Westphal. ait, Christum in Eucharistia adorandum *ex ejusdem Christi mandato.* Et Lutherus de hoc *Sacramento* ait: *Omni honore adorandum esse.* Et in Colloq. Ratisb. omnes hac de re convenisse fatetur Bucerus.

Opp. I. Salmasius, l. de Transubst. p. 464. ait, laudatos PP. de latriæ cultu non esse accipiendos, sed ab iis tantum commendari humilitatem; ergo &c. R. neg. ant. I. enim Salmasius non sibi constat, qui ib. pag. 447. scribit, Eucharistiæ adorationem fuisse ignotam PP. postea vero Augustini, & Cyrilli verba, quæ hanc adorationem exprimunt, in alium sensum detorquet. Sed quid verbis est opus? cum Augustinus, & Cyrillus eam adorationem commendent, quæ creaturis sine impietate non tribuitur, quæ *supremi Regi* debetur, quamve ex Chrysostomo Magi obtulere, & negavit Samosatenus, sed hæc est latriæ cultus; ergo &c.

Ob. II. Idololatriæ crimen est pani, rei nempe creatæ, exhibere latriam; ergo &c. R. dist. ant. Si cultus iste sit absolutus, & in meris panis & vini accidentibus sistatur, conc. si sit *relativus*, & offeratur

ratur Chriſto ſub iiſdem latenti, neg. Hinc Trid. Syn. ſtatuit, adorandum in Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium; ſicut ergo non erant idololatræ prophetæ, qui pecudes mactabant, queis Gentiles latriæ cultum exhibebant, quia non ad res illas creatas, ſed ad Deum omnium creatorem cultum ſuum referebant, ſic nec nos idololatriæ crimen admittimus, *qui per omnem creaturam viſibilem, & non viſibilem omnium auctori Domino latriam exhibemus*, ait Leontius in Dial. cum Jud.

Propositio II. Euchariſtia in templis rite ſervatur, & diligenter cuſtodiri debet.

Prob. I. pars. Id enim negant hæretici, vel quia realem Chriſti præſentiam non admittunt, vel quia eam agnoſcunt tantum in uſu, & actione cœnæ; atqui primum refutavimus cap. 1. ſecundum vero refellitur ex verbis Chriſti, quibus panem conſecravit ſemel ea præferendo, nec illa repetens quando diſtribuit, & ex quo conſecrationis effectus permanens ſit, ut Cyrillus, Aug. aliique PP. tradidere; ergo &c. Prob. II. Ex veteri Eccleſiæ praxi, qua domi a fidelibus, & in eremo a ſolitariis ſervatam fuiſſe Euchariſtiam pro ægrotis ſaniſque teſtantur Tertull. Clemens Alex. Cyprianus, Baſilius, Nazianzenus, Hieronymus &c. recte ergo hanc conſuetudinem commendat Trid. Syn. ſeſſ. 13. c. 6. Prob. III. Ex diſciplina Eccleſiæ, qua ſtatuitur in excerptis Egberti, ut presbyter *Euchariſtiam ſemper habeat paratam ad infirmos, ne ſine communione moriantur.* Idem decernitur in cap. *Officium* tit. 24. Decr. Hanc conſuetudinem antiquiſſimam etiam Nicæna Syn. præſcripſit can. 13. *Quem morem magnopere optabat reſtitutum* Theod. Beza, & Calvinus Inſt. c. 17. de ipſo ait: *Qui ſic faciunt, habent veteris Eccleſiæ exemplum.*

Prob. IV. Ex *turribus* & *columbis*, quæ paſſim inter veterum Eccleſiarum ornamenta numerantur, & in quibus repoſitam fuiſſe Euchariſtiam conſentiunt omnes. Liber pontificalis refert, Conſtanti-

num Basilicæ S. Petri dedisse *patenam cum turre & columba gemmis ornatam*. Turrim auream super altare Ecclesiæ Rhemen. locasse Laudonem Archiep. scribit Flodoardus. In columba Eucharistiam servasse S. Basilium asserit Amphilochius in ejus vita. De eadem columba accipiendus est etiam Chrysostomus hom. 31. ad Populum Antioch. ubi ait. corpus Domini reponi super altare *Spiritu S. convestitum*. Vide auctorem.

Prop. II. pars, ex cap. *Statuimus* 3. Decr. tit. 44. ubi præscribitur Eucharistiam servari clavibus adhibitis. Et can. 20. Later. IV. custos incautus *tribus mensibus ab officio suspenditur, & graviori subjicitur ultioni*, si eius culpa sacrilegium, furtum &c. inde sequatur. Et in Pœnitentiali R. 40. dierum pœnitentia eidem imponitur, si mures comederint *species* reconditas. Sedulo etiam attendendum est, ne species Eucharisticæ diuturniori tempore computrescant, & canone Rothomag. statuitur: *De una dominica in alteram servari* (1).

PROPOSITIO III. Optimo consilio festum Corporis Christi fuit institutum.

Not. I. Quinam primum hoc festum indixerit non est omnino exploratum, fertur tamen ejus institutionem B. Julianæ Leodiensi sanctimoniali divinitus revelatam fuisse, eaque a Cancellario Parisiensi, aliisque Theologis ad examen revocata, Leodiensis episcopus coacta Synodo in sua diœcesi celebrandam indixit. Evectus subinde ad Pontificatum Urbanus IV. cui ea revelatio fuerat patefacta, permotus precibus Leodiens. episcopi, ac etiam insigni miraculo apud Vulsinium patrato, ubi ex fracta hostia

(1) In supra laudatis Constitutionibus Auximanæ Synodi cap. 3. de Sacr. Euchar. statuitur, ut *sacræ particulæ renoventur semel in hebdomada in die Jovis, nisi tamen ob freqnentiam illorum, qui sacram Communionem sumerent, sæpius ista renovatio facienda esset.*

ſtia ab incredulo ſacerdote in ſubjectum corporale (quod Urbeveteri etiamnum ſervatur) prodigioſus ſanguis effluxit, Pontificio diplomate ann. 1264. feſtum extendit ad univerſam Eccleſiam. Hinc Urbanus hujus feſti inſtitutor ab hiſtoricis appellatur. Defuncto Urbano eodem anno, cum nondum executioni mandatum eſſet ejus diploma, confirmatum eſt in Viennen. Concilio a Clem. V. anno 1311. Deinde anno 1316. a Jo. XXII. anno 1429. a Martino V. anno 1433. ab Eug. IV. & anno 1551. a Trid. PP. ſeſſ. 13. c. 5. Vide Raynaudum, Lupum, & Gelaſium Hieber loc. ſup. cit.

Not. II. Cenſuit Papebrochius, *Officium*, quo nunc utitur Eccleſia Romana in hoc feſto, rogatu B. Julianæ a Jo. clerico Leodienſi fuiſſe conſcriptum. Conſtat tamen ex teſtimonio omnium ſcriptorum, illius auctorem eſſe D. Thomam, qui ann. 1246. illud jubente Urbano IV. conſcripſit. Nec obſtat, illud extare in vetuſtiſſ. Antiphonario Leodienſis Eccleſiæ: non enim apparet, hoc Antiphonarium eſſe Urbani temporibus antiquius; jure ergo Nat. Alex. illud D. Thomæ vindicavit Diſſert. 6. ſæcul. XIII. quod conſtat etiam ex Conſt. Sixti IV. His notatis Prob. Prop. I. Congruum eſt, ut quod ex Dei mandato habet ſpecialem dominicæ paſſionis commemorationem, eſtque divinæ charitatis memoriale perenne, peculiari feſto celebretur, ſed hoc fieri nequit feria V. majoris hebdomadæ, in qua Eccleſia in rebus plurimis occupatur; ergo in aliam feriam V. fuit jure translatum.

Prob. II. ex revelatione, & inſigni miraculo Volſinienſi ſupra laudatis, quibus acceſſere Eccleſiarum ſupplicationes, & vota ab Urban. IV. in laud. diplomate indicata. III. Hæc ſolemnitas in Eccleſiæ catholicæ exaltationem & hæreticorum confuſionem conducit, ut ait Trid. ſeſſ. 13. c. 5. Nam Lutherus in proceſſione SS. Sacramenti repentino terrore occupatus contremuit, frigidumque ſudorem emiſit, ut ipſe fatetur apud Aurifabrum. Et Proteſtantes

Augustæ, cum fieret ea processio præsente Carolo V. summa confusione affecti sunt, ejusque indignationem subiere; ergo &c.

Propositio IV. Jure etiam instituta est processio SS. Corporis Christi.

Not. Negant Centuriatores, Schmidel, & Kemnitius, imo ex catholicis Genebrardus, & Juenin, processionem corporis Christi ab Urbano IV. institutam. Verum, licet Urbanus in laud. diplomate non commemoret *processionem*, refert tamen Panvinius noster in Urbano, quod *attonitus Pontifex* (ex Vulsiniano miraculo) *ad se transferri voluit*, corporale, *cum processione Urbemveterem, & illud solemnitate instituta in Ecclesia Urbevetana recondidit:* unde infert, post Serarium, & Lupum Benedictus XIV. Notif. V. n. 6. ex facto saltem Urbani, *processionem* hanc derivasse. Adde Martinum V. supponere, processionem hanc jamdiu institutam, dum indulgentias 180. annorum concessit iis, qui processiones istas secuti fuerint. Tandem nullus profertur illius auctor post Urban. IV. fallitur ergo Genebrardus, qui eam Papiæ institutam narrat contra errores Berengarii; nam Papiæ anno tantum quarto sæc. 15. cœpit obtinere, ut Lupus observat in Diss. cit. Quidquid sit de processionum auctore, eas rite fuisse institutas prob. 1. ex momentis Prop. præced. II. Præsignata videtur hæc processio in circumgestatione Arcæ Jos. 3. & 1. Reg. 4. & Hebr. 9. ubi legitur typicum manna Arcæ inclusum cum illa ubique asportatum. III. Constat ex Hist. Ecclesiastica Eucharistiam delatam ad fideles absentes, ad Titulos, & ad episcopos Suburbicarios a Rom. Pontifice missam ad privatas ædes, ad eremos &c. teste Justino, Eusebio, Basilio, & Ambrosio.

Ob. I. Calvinus: Eucharistia ad solum usum cœnæ instituta est; ergo &c. II. Kemnitius ait, exhibere cultum mero pani est *artolatria;* ergo &c. III. Ex quo arca capta sit, subdit Kemnitius, satis ostendit Dominus cultum hujusmodi a se improbari. IV. Hæc

Hæc processio scripturis, & Ecclesiæ consuetudini adversatur; ergo &c. R. ad I. neg. cons. Non enim tollitur per hanc processionem usus, aut actio cœnæ, imo magis augetur, nam ea incitati fideles frequentius communicant. Ad II. Vid. Prop. I. Ad III. neg. ant. Non enim ob circumgestationem illam Arca capta est, ea enim Eli & majoribus natu Israel annuentibus, Philisthæis terrore perculsis, asportata est, sed ob idololatriam militum ex 1. Reg. 7. Ad IV. neg. ant. Nam id scripturis non adversari constat ex prob. II. licet ergo Ecclesia priscis sæculis ob disciplinam arcani prudenter subtraxerit gentium profanationi sacra mysteria, nunc autem iis jam explanatis, & altissima in luce positis æquum est ea palam ab omnibus coli, & venerari. Instat Kemnitius: cur ergo in sola specie panis offertur Eucharistia, & non etiam sub vini specie? R. quia sub ea specie totum continetur Christi corpus, & in calice esset effusionis periculum.

PROPOSITIO V. Licet aliis etiam temporibus Eucharistiam exponere, & circumferre, servatis tamen servandis.

Prob. I. pars ex Prop. III. & IV. Prob. II. ex consuetudine plurium parochiarum eam processionem faciendi singulis mensibus & Eucharistiam exponendi per horas 40. III. Ex fructibus inde perceptis a populo, quem a ludis, & otio abstrahit, & ad templum trahit; ergo &c. Prob. II. pars. I. enim processiones hujusmodi fieri debent aliqua urgente caussa, annuente episcopo, nec ubique frequenter, ut statuerunt Synodus Farsen. ann. 1623. Neapol. ann. 1699. Cæsenaten. ann. 1693. Spoletana ann. 1688. Mechlinien. ann. 1607. Mediolan. III. & IV. &c. at singulis diebus Eucharistiam super altare non esse exponendam statuit S. R. C. die 4. Mart. ann. 1606. Excipe Octavam corporis Christi in Eccles. Collegiatis, orationem XL. horarum, & processionem menstruam aliquibus in parochiis.

II. Non licet ex decreto Sac. Congr. Concilii quæ ſtatuit: *Non licere etiam Regularibus in eorum eccleſiis Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab ordinario. Ex cauſa autem privata poſſe, dummodo Sacramentum non extrahatur e tabernaculo, & ſit velatum, itaut hoſtia videri non poſſit.* Idem ſtatuit S. Congr. Epiſcoporum & Reg. & Sacr. Rituum, Benedictus XIII. in Syn. Benevent. ann. 1693. & Bened. XIV. in Notif. ann. 1734.

III. Hæc expoſitio fieri debet decenti altaris ornatu, & cereorum ſplendore. Synodus IV. Mediolan. præſcribit cereos *ad ſummum decem, ad minimum vero ſex lampades: item nec plures, quam duodecim nec pauciores quam tres* (1). Decreto S. R. Congr. id pietati facientis expoſitionem remittitur. Expoſito Sacramento duos clericos ſuperpelliceo indutos interdiu adſtare jubet S. Carolus loc. citato, *quorum alter ſaltem diaconus ſit, noctu vere ſaltem unus in ſacris Ordin. conſtitutus.* IV. Tandem una cum Sacramento, *nec reliquiæ, nec imagines exponi debent ſecundum decreta Romæ emanata*, ut habetur in Ceremoniali Auguſtinen. p. 3. c. 9.

Propositio VI. Nulli fas eſt in itinere Euchariſtiam deferre, ſed Rom. Pontificibus decenter præfertur.

Not. Non loquimur de vet. diſciplina, ex qua conſtat fideles ſibi ad *viaticum* Euchariſtiam domum aſportaſſe, ut ex Tertulliano, Cypr. Ambroſio, Hieron.

(1) *Ut populus Chriſtianus per externa ſigna ad hujus Sacramenti venerationem magis excitetur*, in laud. Conſt. Auxim. c. 4. ſtatuitur: *Ut ante Tabernaculum, in qua ſalutaris hoſtia aſſervatur, in Cathedrali Eccleſia tres lampades jugiter ardeant in Collegiatis duæ, & in Parochialibus una, ut latriæ cultus huic Sacramento exhibeatur quammaximus.*

Hieron. evincitur: quod de monachis etiam, de Roberto, & S. Ludovico Franc. Regibus, & Archiepiscopis Beneventanis ex veteribus Mss. est exploratum: verum justis de causis ea consuetudo antiquata est. Prob. I. ex can. 3. Concilii Cæsaraug. & 14. Tolet. I. ann. 380. quibus sub anathemate id interdicitur. Idipsum statuit Benedictus XIV. in Constitutione sæpe laud. supra Græcorum Ritibus, qua vetuit Orientalibus monachis, ne deferant in itinere Eucharistiam collo suspensam. Excipitur tamen Rom. Pontifex, quia tunc Eucharistia defertur honestissimo comitatu. Qua ceremonia monentur fideles, cujus vices gerat ille, qui subsequitur, Maximus episcoporum, & quomodo nil prosit adhærere Christo hujus participatione misterii, nisi mystici corporis capiti Ecclesiæ uniantur. Vide Angelum Rocca in Comm. de hoc arg. t. 1. p. 33.

DISSERTATIO III.

De ministro, subjecto, ac ritibus Sacramenti Eucharistiæ.

De hisce argumentis sex capitibus, eo qui sequitur ordine, pertractabimus.

CAPUT I.

De Eucharistiæ ministro.

Putarunt Valdenses, & Lutherani, penes laicos esse Eucharistiæ conficiendæ potestatem. Marcionitæ vero, & Pepuziani etiam penes mulieres. His accedit Hugo Grotius, qui illis hanc facultatem concedit. *ubi pastores non sunt.* Contra quos sit

Propositio I. Soli sacerdotes Eucharistiam conficere possunt.

Prob. I. Christus enim Apostolis, *quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat*, ex Trid. sess. 22. c. 1. ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, jubens iisdem, ut panem, & vinum consecrarent, &

offerrent. Sed si hoc præceptum, quoad confectionem, & consecrationem Eucharistiæ, omnes fideles obstringeret, omnes tenerentur consecrare, & sacrificare, quod nec hæretici asserunt; ergo &c. II. Accedit canon 18. Conc. Nicæni, quo statuitur, ne diaconi præsumant Eucharistiam dispensare *presbyteris*: *neque enim consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant.* Eadem habet Synodus Ancyrana can. 2., Leodiensis can. 25. & Arelatensis can. 25. Hinc Lateranense IV. statuit: *Hoc Eucharistiæ Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos.* Idipsum decrevit Florentina Synodus, & Trid. loc. cit.

III. Idem evincitur ex SS. PP. Tertullianus de Præscr. hæreticos carpit, eo quod laicis *sacerdotalia munera injungunt.* Epiph. Hær. 79. ait: *Neque diaconis concreditum est peragere sacrificii mysterium:* & in Exp. cath. fidei monachum redarguit, quod *cum laicus esset, sacrificia celebrare nefario ausu est aggressus.* Hieronymus in Dial. negat, apud Luciferianos Ecclesiam esse, ex quo Hilarius, cum esset solum diaconus, de Ecclesia recessit, *neque Eucharistiam conficere potest, episcopos & presbyteros non habens.* IV. Prob. ex Hist. Eccl. monumentis. Ex Actibus Martyrum Alutinensium constat, nunquam celebratam fuisse collectam absque presbytero consecrante. S. Athanasius Apol. 2. impactam calumniam de fracto a se calice ex eo repulit, quod *in privata domo habitans habere non poterat poculum mysticum.* Fulbertus Carnoten. ep. 36. ad Guidonem Bituricen. plectendum ait diaconum, *qui se presbyterum simulavit, Missamque celebrare præsumpsit.*

V. Idem evincitur ex ipso diaconi nomine, διακονέω enim *ministro* ejus munus designat sacerdoti ministrandi, & sacram oblationem gestandi, ut habetur in Liturgiis Græcorum. Hinc Isidorus l. 2. de Eccl. off. c. 8. ait; *In sacerdote consecratio,*

in

in ministro dispensatio est sacramenti. VI. Accedit ratio. Si enim *absente pastore* potest laicus Eucharistiam conficere, cur ex Apol. 2. Justini Eucharistia missa est ad absentes per diaconos? cur ad eremum, & domum eam deferebant Anachoretæ? cur ad carceres martyrum tanto periculo accedebant, ex Cypriano, sacrificaturi presbyteri? Tandem incredibile est, sacrificium omnium figurarum impletivum omnibus laicis in novo Testamento fuisse permissum, cum in veteri solis Levitis concessum sit offerre sacrificia, quod etiam Ozæ, & Sauli interdictum est.

Ob. I. Ex 1. ep. Petri, & Apoc. c. 1. in nova lege omnes dicuntur sacerdotes; ergo &c. II. Tertull. de Exhort. castit. ait: *Nonne & laici sacerdotes sumus? Differentiam inter ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas. Ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis &c.* Confirmatur ex Scopo Tertull., qui est adstruere monogamiæ necessitatem, ex quo bigamini ab altaris ministerio arceantur. III. Ex Can. II. Ancyr. & ex Actis S. Laurentii constat, diaconis jus esse consecrandi; ergo &c. Prob. ant. Ille enim diaconos lapsos interdicit a *sacerdotali ministerio panem vel calicem offerendi*, hæc vero apud Ambrosium l. 1. de Offic. & omnia Mss. habent: *Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem*, non *dispensationem*, ut habet Brev. Romanum. Diaconos calicem offerre asserit etiam Cyprianus de Lapsis: *Offerre* autem ex Grotio idem est ac *benedicere*, & *consecrare*. IV. Frumentius laicus ad Indos profectus itineris socios hortatus est Rom. more *convenire*, & *sacra celebrare* ex Theodoreto l. 2. c. 23. In Græco extat λειτεργίας, sed hoc nomen exprimit veram consecrationem; ergo &c. Item de laico monacho testatur Sophronius in Prato Spirit. c. 25. eum *verbis sanctæ oblationis panes consecrasse.* Milites etiam Caroli V. Francorum regis invicem se se consecrato

pane

pane refeciſſe conſtat ex coævis Script. Idque ex traditione Apoſtolica derivaſſe obſervat Eraſmus. Panem quoque a paſtoribus conſecratum in carnem eſſe converſum narrat Albinus Flaccus apud Lupum. S. Fœminis etiam hoc jus tribuitur ex veteri Martyrologio, ubi legitur de S. Petronilla: *Tertio*, die, *celebratis dominicæ oblationis myſteriis* accepto Chriſti corpore ſpiritum emiſiſſe, quæ verba deſunt in Martyrologio Romano.

R. ad I. diſt. ant. Dicuntur ſacerdotes lato modo, prout preces Deo offerunt &c., conc., ſtricto modo, prout conſecrant, neg. Vide lib. 30. de Sacr. miniſtro. Ad II. R. I. aliqui Tertullianum hæc ſcripſiſſe, poſtquam ad Montaniſtas defecit, & fœminis jus iſtud attribuit. R. II. ut ſupra ad I. Nam cap. 2. ad Scapulam ſcribit; *Sacrificas quomodo præcepit Deus, pura prece.* Et Apologet. 30. *Offer hoſtiam Deo orationem de Spiritu S. profectam.* R. III. Tertullianum accipiendum *de oblatione*, quam perſecutionis tempore a ſacerdotibus conſecratam fideles in cryptas deferebant, eamque aut a majore natu, aut manibus ſuis accipiebant. Reapſe agnoſcit ibi Tertullianus ſpeciale ſacerdotium, quod *conſtituit Eccleſiæ auctoritas, per ordinis conſeſſum ſanctificatus*, quibus verbis intelligitur *inſtitutio* ab Apoſtolis derivata, *& character* impoſitione manuum collatus. Ad confirm. R. Scopum Tertull. eſſe, ut oſtendat, neminem poſſe gratiam mereri oratione & fide, quæ ſunt ſpecies quædam ſacræ oblationis, dum qui orat, & credit (& licet non ſit ſacerdos, agit tamen *pro ſacerdote*) caſtitatis amore non ſe ſe exhibet obeundis Sacramentis idoneum. Vide Albaſpinæum & Petavium.

Ad III. neg. ant. Ad I. prob. diſt. ant. Interdicit a ſacerdotali miniſterio, quod eſt *panem & calicem deferre*, nempe de *Protheſi*, ſeu minore ara portare Pontifici munera conſecranda, conc., habetur enim græce *ἀναφέρειν deferre*, non *προσφέρειν offerre*, hoc eſt panem *offerre*, ſubdiſt., prout *offerre* eſt idem

ac

ac *exhibere*, conc., quo ſenſu ait Cypr. diaconum calicem offerre, prout eſt idem ac *conſecrare*, neg. Nam Nicæna Syn. aperte negat, diaconis poteſtatem eſſe προσφέρειν, *offerendi* ſcilicet, & *conſecrandi*. Ad II. probationem neg. ant. Nam Mſs. antiquiſſima 800. annorum habent *diſpenſationem*, & S. P. Ser. 304. ait: *Laurentium Romæ Chriſti ſanguinem miniſtraſſe*, non *conſecraſſe*. Reſtituerunt quidem *conſecrationem* Maurini in Ambroſiana editione ex pluribus Mſs. ſed utroque vocabulo ſignificatur communione dominici ſanguinis nos ſanctificari, & conſecrari, unde *commixtio*, & *conſecratio* dicitur infuſio particulæ in calice.

Ad IV. neg. min. Theodoretus enim λειτουργίας vocat conventus fidelium ad offerendas Deo preces. Rufinus enim, unde hæc hauſit Theod. ait Frumentium ſociis ſuis perſuaſiſſe, *ut conventicula per loca facerent, ad quæ ritu Romano orationis cauſa confluerent.* Eadem habent Socrates, & Sozomenus; licet ergo Liturgia proprie deſignet miniſterium ſacerdotum, & ſacrificium, ſæpe tamen ſignificat id, quod cum eo habet analogiam: ſic Rom. 15. λειτουργὸς dicitur *ſpiritus contribulatus*, quia ut ſacrificium Deum placat. Adde Frumentium a S. Athanaſio ſacerdotes poſtulaſſe, ut eos in Indiam tranſmitteret; ergo &c. Ex hiſtoria Sophronii, ſi eam velimus admittere, oppoſitum evincitur, legitur enim ibid. a Seniore monachorum fuiſſe ſtatutum: *Ut nullus addiſceret ſanctæ oblationis verba, niſi qui ordinatus ad hoc eſſet.* Paſtorum vero miraculum non verborum virtuti, ſed omnipotentiæ Dei eorum audaciam punientis tribuendum eſt. De militibus Francorum non aliud eruitur ex verbis ab ipſo Grotio productis, niſi eos ſacerdotibus deſtitutos *panis communis particulas S. Sacramenti nomine ſignatas loco communionis accepiſſe.* De S. Petronilla hæc habent acta Ss. Mart. Nerei: & Achill. *Tertio die veniens*

veniens ad eam S. Nicomedes presbyter celebravit mysteria Christi.

Propositio II. Diaconi aliquando dispensarunt Eucharistiam, maxime sub vini *specie*, sed jussu antistitum.

Prob. I. ex Justini Apolog. & ex historia Tarsicii, ex qua constat, per diaconos, imo etiam per accolytos Eucharistiam absentibus missam. II. Ex Tertulliano & Justino, qui scribunt, sumptam Eucharistiam *de manibus præsidentium* & ex Cypriano, qui ait, a diaconis oblatum calicem. III. Ex Act. S. Laurentii supra laudatis. IV. De septem diaconis cecinit Arator, quod *pocula vitæ misceat, & latices cum sanguine porrigat Agni.*

Nota I. Non posse diaconum, presbytero præsente, Eucharistiam ministrare ex can. 15. I. Arelat. II. posse tamen urgente necessitate, & jubente antistite, ex can. 38. IV. Carthaginensis. III. Numquam a diacono posse ministrari presbyteris, ex can. 18. Nycænæ Syn. IV. Infirmos a presbyteris, non a diaconis esse communione reficiendos ex cap. *pervenit* dist. 2. de consecr. V. Ex Trident. Syn. sess. 13. c. 8. statutum esse, ut *laici a sacerdotibus communionem accipiant, sacerdotes seipsos communicent*, idque ex veteri consuetudine.

CAPUT II.

De suscipientibus Eucharistiam, ac I. de communionis præcepto.

Not. I. *Communionis* nomen aliquando consortium fidelium designat, & dicitur communio Ecclesiastica, qua aliquando privantur, qui gravia crimina admittunt, unde excommunicati dicuntur; aliquando Eucharistiæ participationem, aliquando etiam Missæ sacrificium, & *antiphonam*, quæ, dum fideles communicant, cantari solet a clericis. Appellatur etiam *communio laica* pœna illa, qua clerici ob patratum crimen in ordinem plebis redigebantur, & *peregrina*, quæ concedebatur laicis & ecclesiasticis

sticis cum literis commendatitiis, quas *formatas* vocabant extra propriam diœcesim peregrinantibus. Etiam Missæ sacrificium, sumpta parte pro toto, communio improprie dicitur. Proprie tamen communio est ipsa Eucharistiæ perceptio, & dicitur *Dominica communio, seu communio divinorum Sacramentorum.*

Not. II. de hujus communionis necessitate tractaturi duplicem distinguimus necessitatem, *medii* scilicet & *præcepti*, de qua l. 30. actum est. Præter Græcos nonnullos apud Arcud., Calviniani, aliique novatores Eucharistiam necessariam esse *necessitate medii* ex PP. & maxime ex Aug. evinci putant, & ex S. Innoc. Maldonatus. Hinc duplex oritur controversia, prima *dogmatis:* an quis salvari possit absque perceptione Eucharistiæ? altera facti, an id affirmaverit Augustinus? De prima conveniunt omnes, communionem necessariam non esse *necessitate medii*, licet non desint qui eam necessariam putant tantum in voto, circa secundam, falsum est putasse Augustinum parvulos salvari non posse absque actuali Eucharistiæ communione, ut demonstrant Pallavicinus, Bona, Norisius, Desirantius, Piette &c. Sed facile componuntur hæ controversiæ, si distinguamus duplicem corporis Christi comestionem, *realem*, quæ fit sumendo Eucharistiam, & *mysticam*, quæ fit adoptione in mysticum Christi corpus, idest Ecclesiam. De hac loquitur S. P. l. 3. de Pecc. mer. c. 4. ubi docet, parvulos vitam habere non posse, *præter Christi corpus, cui ut incorporento Sacramento baptismatis imbuuntur.*

Hinc S. Fulgentius productis quibusdam Aug. verbis ait: *Nec esse ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur: etiamsi, antequam panem illum comedat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* Ex quibus verbis Card. Bona evinci putat, *perperam accusari Augustinum, quod Eucharistiam parvulis necessa-*

necessariam ad salutem docuerit contra Ecclesiæ definitionem. Eadem scribit Pallavicinus loc. cit., qui non secus ac Norisius, producit etiam ea de re locum Innoc. I. ex ep. ad PP. Milevit., quo Erasmum, Suavem, & Centuriatores refellit, qui ajunt, Innocentium, & Augus. putasse, Eucharistiam esse infantibus necessariam, cum id solum uterque neget posse vitam æternam conferri sine baptismo.

Not. III. Ex his constat, Scholasticos, qui Eucharistiam etiam parvulis necessariam dixere ad salutem, locum illum: *Nisi manducaveritis &c.* de *mystica* comestione cum Augustino & Innocentio accepisse. Quo sensu ait S. Th. q. 73.: *Rem hujus Sacramenti esse unitatem corporis mystici, sine qua non potest esse salus*, cujus rei rationem proferens q. 80. art. 9. ait: *Quia, sicut Aug. scribit Bonifacio, tunc unusquisque fidelium corporis & sanguinis Domini particeps fit spiritualiter, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur.* Ubi nota, S. P. A. contra Pelag. locum illum de mystica comestione accepisse, sed alibi passim de reali usurpasse, ut supra monuimus c. 2. dissert. 2. præced. in Resp. ad II. His prænotatis sit

Propositio I. Eucharistia non est omnibus necessaria necessitate medii.

Prob. I. Parvuli per baptisma fiunt ex Apost. hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ut lib. 31. ostendimus; ergo in baptismali innocentia decedentes absque Eucharistia salvantur. II. Nunquam laici ac mulieres Eucharistiam dispensarunt, licet baptisma conferant in casu necessitatis; ergo hoc, non illa est *absolute* necessaria ad salutem. III. Sublata communione parvulorum nullus PP. scripsit iis sublatum fuisse medium ad salutem necessarium: ergo &c. IV. Ecclesia aliquando eam lapsis negavit, nunquam vero absolutionem Sacram.; ergo &c. V. Trid. Synodus sess. 21. can. 4. statuit, ut, *si quis dixerit parvulis ante annos discretionis necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.*

Op-

Opponunt Novatores verba Chrifti : *Nifi manducaveritis &c.*, fed ea vel de folis adultis, vel de myftica comeftione accipi debent.

Propositio II. Myftica corporis Chrifti comeftio, vel in re, vel in voto eft cuique neceffaria.

Prob. I. Ex quo extra unitatem Ecclefiæ non detur falus. II. S. P. A. l. 1. de Pecc. mer. c. 20. & alibi probat adverfus Pelagianos parvulos a regno excludendos, *nifi manducaverint &c.* Idem docet Innoc. I. loc. cit. Sed neuter accipi debet de comeftione *reali* ex Prob. I.; ergo de myftica. III. S. Thomas 3. p. q. 73. art. 3. ait: *Res hujus Sacramenti eft unitas corporis myftici, fine qua non poteft effe falus: nulli enim patet aditus falutis extra Ecclefiam*; ergo &c.

Propositio III. S. P. Aug. docens communionem corporis Chrifti effe parvulis neceffariam, loquitur de *myftica*, non de communione *reali*.

Prob. I. Ex Trid. Synodo, quæ ait, a PP. diftributam olim parvulis Euchariftiam, fed *nulla neceffitate*, atqui hoc falfum effet, fi Aug. inculcaffet neceffitatem realis comeftionis; ergo &c. II. De myftica comeftione Auguftinum exponunt, præter Theologos cl. fupra laud. S. Fulgentius in Aug. lectione verfatiffimus, aliique; ergo &c. III. S. D. l. 3. de Pecc. mer. c. 4. & alibi paffim docet, parvulos non poffe vitam habere extra corpus Chrifti, *cui ut incorporentur, Sacramento baptifmatis imbuuntur.* Et Tr. 26. in Jo. num. 15. ait: *Hunc cibum & potum focietatem intelligi corporis, & membrorum fuorum, quod eft Ecclefia.* Tandem concludit: *Hoc eft ergo manducare illam efcam, & illum bibere potum, in Chrifto manere, & illum manentem in fe habere*; ergo &c.

R. Adverfarii, Aug. accipiendum de communione Sacramentali; diftinguit enim baptifmum, & comeftionem Chrifti corporis, recte tamen ex verbis illis: *Nifi manducaveritis &c.* Pelagianos confutaffe, quia S. D. Euchariftiam afferebat parvulis neceffa-

riam ad ſalutem, non ex ſua, ſed ex Pelag. hypotheſi. Sed contra eſt: nam S. P. ita docuit, parvulos excludendos a vita æterna, propter verba Chriſti: *Niſi manducaveritis &c.*, ſicuti ait a regno excludendos propter eam: *Niſi quis renatus &c.*, diſtinguebant enim Pelagiani regnum a vita æterna: unde ſic arguebat S. D. Nequit non renatus puer intrare in regnum, nec vita frui, niſi incorporetur Chriſto, ſed ſine baptiſmo decedentes nec ſunt renati, nec ſunt Chriſto incorporati; ergo carent utriſque.

Propositio IV. Sacramentalis communio eſt adultis neceſſaria ex præcepto.

Prob. I. Chriſtus enim Euchariſtiam inſtituens ait Apoſtolis: *Hoc facite &c.* ideſt conſecrate, comedite, diſtribuite; ergo &c. II. Ait Dominus: *Niſi manducaveritis &c.* ſed hæc verba etiam de reali comeſtione a PP. reponuntur; ergo &c. III. Cum caro, & ſanguis Chriſti ſit vere cibus, & potus, vitam faſtidit, qui hoc divinum negligit nutrimentum; ergo &c.

Propositio V. Adulti ſemel in anno tenentur in Paſchate ad Communionem Sacram. ex Eccleſiæ præcepto.

Prob. I. ex c. 21. Conc. Lateran. IV. in quo ſtatuitur: *Omnis utriuſque ſexus Chriſti fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno confiteatur proprio ſacerdoti, ſuſcipiens ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum.* Idem ſtatuit ſeſſ. 13. can. 9. Trid. Synodus; ergo &c.

Quæres I. Quinam ſint *diſcretionis anni*? quinam proprius ſacerdos? quid veniat nomine Paſchatis? & an ſatisfaciat præcepto communicans extra propriam parochiam? R. ad I. cum D. Thom. in 4. diſt. 9. q. 2. cum D. Carolo P. 4. Inſtr. de Sacr. &c. eſſe annos *inter* 10. & 12. quibus adultus non ſolum ratione utitur & in venialia prolabitur, ſed etiam idoneus eſt ad corpus Domini dijudicandum, & divini myſte-

mysterii percipiendam magnitudinem. Unde in perantiquo carmine apud Martene l. 1. de Ant. Rit. c. 4. *Non pueris infra bis quinque manentibus annos des corpus Domini &c.* (1). Accedit praxis Ecclesiæ, quæ horum puerorum confessiones tantum excipit. Ad II. R. quod *proprius sacerdos* est parochus, & quisquis eo jubente Sacramenta dispensat. Ubi nota: non eandem esse de confessione, & de communione rationem, licet in cap. *Omnis &c. proprio sacerdoti* dicatur facienda confessio, & ab eo sumenda communio. Satisfacit enim annuæ confessionis præcepto, qui confitetur regularibus *simpliciter* ab ordinario approbatis, quia episcopus, qui & ipse *proprius sacerdos* est, non excludit, dum iis facultatem largitur, tempus Paschale. Quare rigidiores Theologi, qui oppositum docent, & negant, episcopum proprium esse sacerdotem, revocant ab orco damnatam sententiam Jo. de Poliaco, quæ ea de re a Jo. XXII. proscripta est. Id vero de communione non tenet, quia Rom. Pontifices, maxime Clemens VIII. & X. definiunt, posse utique sæculares regularibus confiteri peccata, dummodo Sacramentum Eucharistiæ in festo Paschatis in propria parochia ab eorum parocho sumatur.

Ad III. R. Eugenius IV. in Const. *Fide digna*, *satisfactum esse canoni, si in hebdomada sancta, vel infra Octavam Paschæ fideles sanctum Eucharistiæ pignus accipiant.* Ad IV. R. negative. Vide R. II. Quæres iterum an habens duo domicilia, communicare queat in utraque parochia, an in Metropolitana, aut Cathedrali, quæ non sit parochialis? R. Ad I. communicandum in ea parochia, in qua tempore Paschali quis habitat. Ad II. R. Benedict. XIV. negative, cum nec Romæ possit quis communicare in Ecclesia Lateranensi.

(1) Idem statuitur in Const. Synod. Auxim. c. 8. de Euch.

Propositio VI. Per commun. sacrilegam non satisfit Eccl. præcepto.

Prob. I. ex Innoc. XI. qui oppositam sententiam proscripsit ann. 1679. Sylvius ergo, qui negat damnandos, *qui partem affirmativam sequuntur*, accipiendus est de scriptoribus, qui ante Innocentium floruere. II. Ecclesia non novum edixit præceptum, sed latum a Domino exposuit adjecta temporis circumstantia; ergo eandem jussit communionem, quam Christus edixit, proficuam nempe, & vivificam. III. *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat &c.* ex 1. Cor. 11. sed qui cibum corporeum sumeret, ut sibi necem inferret, non servaret, sed frangeret præceptum de servando individuo; ergo a pari.

Ob. I. Nequit Ecclesia præscribere actus internos; ergo &c. II. Per confessionem sacrilegam satisfit præcepto Ecclesiastico; ergo & per sacrilegam communionem. III. Ecclesia substantiam actus, non modum præscribit; ergo &c. IV. rite accipitur stipendium per Missam sacrilegam, & rite quis baptizatur, licet simulate baptizetur. Nec peccati macula obstat, quin satisfiat operibus injunctis; ergo &c. V. Frustra datur præceptum, cujus transgressio nec agnosci potest, nec a jubente puniri; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. de quo vide Auctorem lib. 20. cap. 15. Adde, hoc præceptum non esse mere ecclesiasticum, sed etiam divinum. Tandem ex omnium consensu præcipit Ecclesia actus internos, ubi hi cum externis ita conjuncti sunt, ut sine iis haberi nequeat actus virtutis: sic attentionem præcipit in oratione vocali, intentionem in conferente, & suscipiente Sacramenta, vetat accessum ad Ecclesiam ad malum finem &c. ut docent Cajetanus, Soto, Suarez, Lessius, Sylvius, aliique. Ad II. neg. ant. Nam hæc prop. est 14. ab Alex. VII. damnata, adeoque ex ea nostra firmatur assertio. Ad III. neg. ant. Modus enim cadit sub præcepto, quoties sine ipso exerceri nequit actus virtutis. Ad IV. neg. cons.

Nam

Nam ſacrificium Miſſæ ſuum habet valorem ex opere operato, & character imprimitur etiam in ſimulatione, neque ad ſatisfactionem, & alia virtutum officia opus eſt gratia habituali, ut adverſus Bajum alibi monſtratum eſt. Ad V. neg. ant. Non enim inutilia ſunt monita, & conſilia, quæ tamen invitos coercere non poſſunt.

CAPUT III.

De communione ſub utraque ſpecie.

Not. I. ab Eccleſiæ primordiis uſque ad ſæculum 12. Laicos paſſim ſub utraque ſpecie communicaſſe. Quod ingenue fatentur ſcriptores catholici Bellarminus, Tapperus, a Caſtro, Lindanus, Mabillon, Boſſuet, Eſtius, Juenin, aliique: idque probatur ex 1. Corinth. 11. *De pane illo edat, & de calice bibat*, ex 2. Apolog. Juſtini, ubi dicitur, *diſtributum cuique panem, & vinum &c.* Viguiſſe etiam hunc morem Cypriani, & Ambroſii ævo eorum ſcripta demonſtrant. Et S. Leo I. & Gelaſius utramque ſpeciem in publicis Synaxibus præſcribunt. Plura exempla proximorum ſæculorum profert laud. Mabillonius. Conſuetum etiam fuit aliquando ægris, præſertim pueris porrigere *panem intinctum*, de quo ſupra c. 3. hujus libri. Hanc tamen conſuetudinem perpetuo ſervatam, aut neceſſario ſervandam in laicorum communione negamus.

Not. II. Poſtquam ergo vetuſta conſuetudo in deſuetudinem abiit, & ubique fere locorum obtinuit communio ſub una tantum ſpecie, nullo reclamante circa ann. 1414. Petrus Dreſdenſis & Jacobellus Miſnenſis aſſerere cœpere neceſſariam laicis communionem ſub utraque *ſpecie*, ut narrat Æneas Sylvius. Inde errorem hauſit Jo. Hus, & multo poſt Carloſtadius. Lutherus *inter res indifferentes* cenſebat communionem ſub utraque ſpecie, ſed parum ſibi conſtans in Viſit. Saxon. communionem ſub unica ſpecie damnavit. His acceſſere Calvinus, & Hamelmannus. Nec non ex Arcudio, quidam Græci recen-

recentiores, duce Hieremia Patriarcha, qui in epilogo Cenf. communionem unius fpeciei inter abufus enumerat Ecclefiæ Romanæ.

Not. III. Nonnulli catholici fcriptores putarunt, quod licet utraque fpecies ad falutem neceffaria non fit, ex utraque tamen uberior gratia percipiatur. Ita Canus, Uglioa Hifpanienfis, aliique apud Pallavicinum, & poft Alex. de Ales, & Arboreum Vafquefius, qui perperam laudat Cafalium noftrum: is enim imitatur Tridentinos PP. qui tefte Pallavicino noluerunt hanc quæftionis partem definire. Plures etiam in Trid. Synodo nomine fummorum principum poftularunt, ut ad fedandos Bohemorum animos, & anfam præripiendam novatoribus conviciandi Romanam Ecclefiam, reftitueretur cuique ufus calicis a Conftantienfi ann. 1415. fublatus, fed Trid. PP. re mature difcuffa feff. 21. definierunt: I. nulla *neceffitate* præcepti, feu medii, teneri omnes fideles ad utramque fpeciem. II. totum Chriftum fub unica fpecie contineri. III. Ecclefiam juftis de caufis laicis unicam fpeciem conceffiffe. IV. Spectare ad R. Pontificem examinare, an ufus calicis alicui vel nationi, vel regno fit concedendus ob graves rationes, & caritati Chriftianæ conformes. His prænotatis fit

Propositio I. Communio fub utraque fpecie laicis non eft de neceffitate, neque medii, neque præcepti.

Prob. I. Chrifti præceptum fignificant tantum Chrifti verba 1. Corinth. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*, alia enim: *Sumite, bibite &c.* funt potius verba invitantis & porrigentis, quam jubentis, vel fi jubentis, ad folos Apoftolos & facerdotes referuntur, quibus etiam ut confecrent & diftribuant commiffum eft, non laicis: fed iis verbis: *Hoc facite &c.* prolatis poft diftributionem Chrifti corporis non præcipitur utriufque fpeciei diftributio; ergo &c. II. Apoftolus de *fpecie* panis abfolute ait: *Hoc facite*, atqui de vini *fpecie* non abfolute, fed re-
ftrictive

ſtrictive ait: *Quotieſcumque bibetis;* ergo &c. Vide Eſtium diſt. 11. §. 7. Adde, Apoſtolum v. 27. laud. cap. disjunctive loqui: *Quicumque manducaverit vel biberit indigne;* ſupponit ergo comeſtionem a potione ſejungi poſſe. II. Jo. 6. legitur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum: panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita;* ergo una tantum ſpecies neceſſaria eſt ad ſalutem.

III. Urgent Tapperus, Bellarminus, aliique exemplum Chriſti, qui ſub una *ſpecie* fertur diſtribuiſſe Sacramentum duobus diſcipulis Emmauntis. Negant quidem hæretici hanc cœnam fuiſſe Sacramentalem, & Voſſius addit, inde ſequi etiam ſacerdotibus, quales erant illi diſcipuli, poſſe panem ſolum præberi. Sed ſtat argumentum, ſive dicas cum Aug. & Theophylacto cœnam illam fuiſſe *Sacramentalem*, ſive ejus figuram, quod nemo ambigit. Nec obſtat Voſſii argumentum; nam nos etiam fatemur ſacerdotibus non conficientibus unicam ſpeciem ſufficere. Nec inde ſequitur, quod conſecrari poſſit una tantum ſpecies: nam id fecit Chriſtus, non ut immutaret inſtitutionem a ſe factam in ultima cœna, ſed eo exemplo oſtendit unicam tantum *ſpeciem* diſtribui poſſe: nec manducaſſe Chriſtum, ut id diſcipuli facerent, ſicut mandavit Apoſtolis, ut conſecrarent, comederent, & diſtribuerent; ergo &c.

IV. Addunt loca ex Act. 2. & 20. ubi legitur conveniſſe fideles *ad frangendum panem*, quod neque per *Synecdochen* potum includit, quidquid afferant novatores, Chriſtus enim pane porrecto ſtatim evanuit. V. definita eſt catholica veritas a Trid. Synodo ſeſſ. 21. can. 1. VI. Accedit ratio: incredibile eſt enim univerſos Chriſti fideles, doctos & ignaros, laicos & eccleſiaſticos, nemine contradicente, acquieſcere voluiſſe, ut ſibi adimeretur, aut tolleretur, quod ab iis crederetur ſaluti neceſſarium; atqui ſæculo 14. priuſquam Petrus Dreſdenſis utramque *ſpeciem* intruderet, jam ubique obtinebat unica *ſpecies;* nemo utramque poſcebat, imo vigente com-

munione ſub utraque ſpecie cuique perſuaſum erat unam ſufficere; ergo &c.

Propositio II. In Eccleſia Occidentali ante 12. ſæculum frequens erat uſus unius tantum ſpeciei.

Prob. I. Ex Tertull. qui in libro ad Uxorem c. 5. innuit ſolum panem conſecratum fuiſſe domi ſervatum. Idem evincitur ex iis, quæ Ambroſius narrat de obitu Satyri, & quæ de Euchariſtia diu ſervata ſupra protulimus. Hinc Lupus in diſſ. de Actibus S. Leonis IX. ait: *Nullum, qui utramque ſpeciem ſervaret novi laicum, niſi Gorgoniam Nazianzeni germanam.* II. Adminiſtratum parvulis ſanguinem *digito ſacerdotis intincto* conſtat ex vetuſtiſs. Pontificali apud Martene. III. Infirmis unicam ſpeciem porrectam fuiſſe conſtat ex vita Ambroſii a Paulino conſcripta ad Aug. ubi de Honorato Vercellenſi legitur; *Obtulit ſanctum Domini corpus, quo accepto emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens.* Cluniacenſes dabant infirmis ante annos 600. unam *ſpeciem panis*, ſervabantque abſque vini ſpecie quatuor hoſtias *in pyxide. Et in aurea columba* ex Udalrico. Sub una ſpecie communicaſſe ægros Monachos S. Columbani conſtat ex ejus vita. Refert Bona verſus Rodulphi abbatis, quibus monet: *Ne presbyter ægris, aut ſanis tribuat laicis de ſanguine Chriſti, nam fundi poſſet leviter, ſimplexque putaret, quod non ſub ſpecie ſit totus Jeſus utraque.*

IV. Hieronymi ævo virgines abſtemiæ calici non communicabant. Hinc mulieres vinolentæ ajebant: *Abſit ut a Chriſti ſanguine abſtineam.* Si quam autem pallentem videbant, eam *Monacham* vocabant, & *Manichæam.* S. Bernardus in præcipuis ſolemnitatibus unicam ſpeciem diſtribuebat, ut patet ex facto indigni monachi, qui non potuit S. hoſtiam *ad interiora trajicere*, teſte Guilelmo abate in vita S. Bern. Ex antiquo ritu conſecr. epiſcopi in Ordine Romano ei tribuebatur integra hoſtia, cujus reſiduo per dies 40. veſcebatur; adeoque *ſub unica panis ſpecie.* V. Antiquiſſimum fuiſſe in Anglia uſum unius

unius ſpeciei evincitur etiam ex Hiſtoria Ven. Bedæ, ubi narratur, idololatras *panem nitidum* poſtulaſſe ab epiſcopo diſtribuente Euchariſtiam poſt Miſſam, non potum, aut calicem; ergo &c.

Propositio III. Etiam in Orientali Eccleſia obtinuit aliquando communio ſub una ſpecie.

Prob. I. Græci enim ex Arcudio dant recens baptizatis infantibus Euchariſtiam vini guttula eorum linguam imbuentes: micas vero poſt Miſſæ celebrationem reſiduas pueris grammaticorum ex veteri conſuetudine diſtributas narrat Evagrius &c. II. de ægrotis ſtatuit Elias Creten. apud Arcudium, ut communio accommodetur *ad ipſorum infirmitatem*. Et Serapioni in exitu vitæ porrectam exiguam panis particulam *in aqua intinctam* teſtatur Euſebius. III. Euchariſtiam ab unoquoque domi ſumptam in perſecutione, & ab eremi incolis de ſuis manibus utique *ſub una ſpecie* perceptam narrat Baſilius. IV. In Miſſa *Præſanctificatorum*, quam Latini fer. 6. Maj. Hebd. celebrant, Græci ſæpius in Quadrageſima ſolam panis ſpeciem abſumunt; ergo &c. V. Apud Maronitas, alioſque Orientales communicare ſub unica ſpecie ruſticos Paſtores, & ægrotos conſtat ex epiſtolis Abrahami Echellen. & Gabrielis Sionitæ. Idem de Coptis Jacobitis oſtenditur a Sollerio.

Propositio IV. Sub utraque ſpecie continetur totus & integer Chriſtus.

Prob. I. Ex dogmate *Tranſubſtantiationis*. Si enim ſub ſpecie panis eſt corpus Chriſti vivens, & ſuis partibus conſtans, divinitati hypoſtatice conjunctum; nequit ergo alicubi eſſe corpus Domini, nec ibi eſſe ſanguis, anima, & tota Verbi perſona. II. Chriſtus accepto pane ait: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, atqui de vino idem aſſeruit; ergo, ſicut in ultima cœna cum ſuo corpore ſanguinem, & cum ſanguine corpus Chriſtus diſtribuit; ita nunc in ejus commemorationem utrumque ſub quavis ſpecie diſtribuitur. III. Idem ſtatuerunt Conſtantienſe Conc. ſeſſ. 13. Florentinum

in Inſtr. Armen. & Trid. Seſſ. 13. c. 3. ubi ait: *Poſt conſecrationem verum D. N. corpus exiſtere ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum: ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, animamque ſub utraque vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur.* Eadem docet S. Th. q. 76. a. 2.

Propositio V. Communicanti ſub una, vel utraque ſpecie eadem gratia confertur.

Prob. I. Sub una tantum ſpecie continetur ex dictis totus & integer Chriſtus fons & origo gratiarum omnium; ergo &c. II. Tota virtus corporis & ſanguinis Chriſti eſt ab ejus divinitate illis conjuncta hypoſtatice, ſed hæc utrique ſpeciei conjungitur; ergo utrique tota virtus tribuitur. Hinc Jo. 6. modo panis comeſtioni, modo carnis & ſanguinis vita æterna tribuitur. III. Symbola Euchariſtica cauſant gratiam ratione rei, quam continent, ſed in una vel utraque ſpecie eadem res confertur; ergo & eadem gratia.

Dices: in utraque ſpecie bis eadem res diſtribuitur, & duo ſpecies habent rationem, ſignificationemque diverſam; ergo &c. R. neg. conſ. Nam in bina illa abſumptione fit una eademque communio, ut fit a ſacerdote, dum poſt hoſtiam plures abſumit particulas, quo in caſu uberiorem gratiam non recipit, niſi ex opere operantis, & ob repetitos devotionis actus, quod etiam in communione unius ſpeciei poteſt contingere. Licet autem duæ ſpecies diverſam habeant rationem, cum tamen ad eandem rem referantur, ejuſdem ſunt efficaciæ: virtus enim hujus Sacramenti ex re, non e ſignis repetitur.

Propositio VI. Jure optimo laicis uſus calicis ſublatus eſt.

Prob. I. Uſus calicis non eſt ad ſalutem neceſſarius, ut conſtat ex ſcripturis, ex Conciliis, & Eccleſiæ conſuetudine, qua factum eſt, ut parvulis, ægris &c. communio præberetur ſub una ſpecie.

Aliunde

Aliunde eo abusi sunt Novatores, ut dicerent sub una *specie* non esse integrum, nec totum Christum; ergo jure optimo fuit ab Ecclesia hæc disciplina abrogata. Id vero non absolute, sed ob prædictum abusum peractum esse patet, quod tempore Concilii Constantiensis, & paulo post omnes ministri altaris communicabant *sub specie utraque* ex Tappero & Vossio: & post Synodum Basileæ Rom. Pontifex aliquando *sub utraque specie* laicos communicavit, teste Cusano Card. Deinde Ecclesia Romana nunquam id vitio vertit Græcis, aliisque Orientalibus, & Trid. Synodus ait, id spectare ad Rom. Pontificem illam, si expediat, permittere. Unde Basileen. Synodus eam concessit Moravis, Bohemisque ea lege: *Ut sub qualibet specie totum adesse Christum* faterentur: & ex arbitrio episcoporum illam Germanis indulsit Pius IV. Cum ergo usus iste ab Ecclesia haberetur indifferens, nonnisi ex hæreticorum abusu interdictus est. His accessit hujus ritus desuetudo 300. circiter annorum, abstemiorum multitudo, effusionis periculum, difficultas servandi speciem vini, & omnium catholicorum consensus.

Propositio VII. Non expedit iterum laicis permittere usum calicis.

Prob. I. Id enim nil conferret ad protestantium conversionem, qui non ex sola ritus abolitione a Romana Ecclesia scissi sunt, sed ex pravitate doctrinæ, qua negant, Christum sub una specie contineri. II. Novatores vel ritum suum necessarium putant ad salutem, vel indifferentem; si illud, cur iis in tanto errore assentiamur? si hoc, cur potius ipsi ad Ecclesiæ unitatem non redeunt, eique non obtemperant? III. Cum Rom. Pontifices Martinus V. & Pius IV. quibusdam laicis calicem indulsissent, ita nonnulli eorum indulgentia abusi sunt, ut vel ab iis suscitata fuerit Jacobelliana hæresis, vel a Pontifice probatam esse gloriarentur: quod impulit ipsum Martinum V. & Pium V. ut hanc concessionem revocarent. IV. Licet non omnes in hunc errorem descenderent,

possent

possent tamen hæretici gloriari, Rom. Ecclesiam suam retractasse sententiam, adeoque non esse infallibilem. His permoti oratores illi, qui in Trid. Synodo pro usu calicis instabant, a petitione recesserunt.

Ob. I. Hæretici: Jo. 6. legitur: *Nisi manducaveritis &c. & biberitis &c.* atqui particula *&* utrumque, idest præceptum, & symbolum exprimit; ergo &c. II. Uti Christus panem porrigens ait: *Accipite & comedite*, ita calicem præbens ait: *Bibite ex hoc omnes;* ergo etiam laici. Prob. conf. Nam Apostoli in ultima cœna universam exhibebant Ecclesiam. III. Paulus de pane & vino ait Corinth. 11. v. 24. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et v. 26. *Quotiescumque manducabitis panem, hunc, & calicem bibetis &c.* Et 28. *De pane illo edat, & de calice bibat;* ergo &c. Ibid. c. 10. ait: *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum*, ubi omnes fideles arcet ab idololatria argumento ex communione calicis deprompto; ergo &c.

R. I. Frustra a novatoribus nobis opponi caput 6. Jo. quod de spiritali comestione non de *reali* a Calvino, aliisque Sacramentariis exponitur. R. II. neg. min. Effectus enim, qui utrique *speciei* adscribitur, etiam uni tantum tribuitur ex Trid. sess. 21. c. 1. Unde in alio textu particula *Et* potest accipi disjunctive ob contextus ejusdem cap. 6. licet etiam copulative accepta recte dici possit, quod manducans carnem, & *panem vivum* sumat etiam sanguinem, & sub una specie totum Christum contineri firmissime credat.

Ad II. neg. conf. Ad prob. dist. ant. Exhibebant ut optimates rempublicam, conc. ut plebs & populus, neg. Non ergo omnia, quæ Christus instituit, ad omnes æqualiter attinent, alias omnes essent doctores, & pastores, nec ait Christus: *Distribuite calicem*, sed: *Hoc facite in meam commemorationem;* ergo τὸ *bibite ex eo omnes* ad Apostolos attinet, ut ipsi sumerent, non ut omnibus propinarent. Hinc

Syria-

Syriaca, Arabica, atque Æthiopica verſio habet: *Bibite ex eo omnes vos.* Obſervat Maldonatus, ideo in fractione panis non dixiſſe Chriſtum: *Accipite omnes*, quia ipſe panem ſingillatim cuique diſtribuit; contra dixiſſe: *Bibite ex eo omnes*, quia calicem uni tantum tradidit, ut is proximiori, iſte alteri in finem uſque porrigeret, unde Luc. 22. habetur: *Dividite inter vos.* Ad III. neg. conſ. Non enim ibi juſſit Apoſtolus, ut quiſque calicem biberet, ſed ut *quotieſcumque biberit, faciat in ſui commemorationem.* Sic v. 2. jubet, ut Sacramenta digne ſumantur. Et c. 10. vult tantum, quod nemo ſervire poſſit idolis, & participare S. myſteria, nec ſpectare ſimul poſſit ad ſatanæ conventum, & myſticum Chriſti corpus, cujus unitas monſtratur participatione unius ſymboli dicens: *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus &c.*

Ob. II. Communio ex Ap. fit *in commemorationem* paſſionis Chriſti, ſed in ſola communione panis non habetur commemoratio paſſionis Chriſti, hæc enim exhibetur per ſolum panem, qui non repræſentat effuſionem Chriſti ſanguinis; ergo &c. II. hæc effuſio dicitur *Teſtamentum* Luc. 22. ſed hoc ſpectat ad omnes; ergo & ſanguinis participatio. R. diſt. min. Non habetur commemoratio paſſionis, ideſt immolatio myſtica, ſive imitatio cruentæ immolationis ad ſacrificium ſpectans, conc. ideſt ſignum corporisChriſti crucifixi, & immolati, quod ſat eſt ad rationem Sacramenti, neg. Ad II. diſt. maj. Dicitur teſtamentum, quia per eam firmatur teſtamentum, conc. quia ſeorſim a corpore ſit omnibus tribuendus, neg. Servanda eſt enim teſtatoris voluntas, & eorum, ad quos pertinet teſtamentum, neceſſitas, & conditio.

Ob. III. Ex traditione conſtat, ſervatum hunc ritum per annos pluſquam mille ab Eccleſia univerſa, teſte Juſtino, Cypriano, & Chryſoſtomo; ergo &c. II. Gelaſius ſtatuit apud Gratianum Cap. *Comperimus* diſt. 2. n. 12. *Diviſionem unius ejuſdemque my-*

ſterii

ſterii ſine grandi ſacrilegio provenire non poſſe; ergo &c. Paſchaſius l. de corp. Domini, poſt verba: *Accipite & bibite*, addit: *Tam miniſtri, quam reliqui credentes*: ubi fruſtra Jo. a Lovanio, & Bellarminus pro *bibite* ponunt *edite*.

R. neg. conſ. Non deſunt enim exempla vetuſtatis, quibus etiam ſub una ſpecie communio commendatur. Nec dicant hæretici, hanc fuiſſe privatam & extraordinariam; I. enim privatus conventus non fuit, quo in Actibus Ap. conveniebant fideles ad frangendum panem, quove ſub una ſpecie celebrabant ſynaxim Angli ante Bedam, Monachi Bernardi ævo, & ante Jacobellum plures Eccleſiæ. II. vel illa extraordinaria communio erat *ſacramentalis*, vel non. Si hoc; ergo crudelis fuit antiquitas, quæ nec in mortis articulo Sacramentum dedit ægrotis, ſi illud; ergo neceſſaria non eſt ſub utraque ſpecie communio. Ad II. neg. conſ. Damnat enim ibi Gelaſius quoſdam ſacerdotes, qui ſumpto corpore abſtinebant a ſanguine: unde apud Ivonem, Micrologum, & Gratianum hic ei decreto præfigitur titulus: *Corpus Chriſti ſine ejus ſanguine ſacerdos non debet accipere.*

R. II. alii: decretum Gelaſii latum fuiſſe adverſus Manichæos, qui a vino abſtinebant, ut eo indicio deprehenderentur. Ad III. R. Eſtius, Paſchaſium accommodaſſe ea verba: *Bibite &c.* ad uſum ſui temporis. Probabile eſt tamen Paſchaſii codicem fuiſſe interpolatum. Chriſtus enim porrigens calicem non ait: *Accipite & bibite ex hoc omnes*, ſed de pane duntaxat ait: *Accipite & comedite*; ita ergo ob textus germanitatem in Paſchaſio legendum eſt: vel ſi retinendum eſt τὸ *bibite*, id accipi debet de latente ſanguine *ſub panis ſpecie*.

Ob. IV. Euchariſtia eſt Chriſti convivium, ſed hoc cibo & potu conſtat ſejunctim; ergo &c. R. diſt. min. Convivium inſtitutum ac corporis nutrimentum conſtat cibo &c., tranſeat, convivium paratum ad alimoniam ſpiritus, neg. Rectius ergo panis

nis & vinum in Euchariſtia dicuntur *ſpecies* ſacri convivii, quam *partes*, cum utraque ſpecies etiam ſejuncta ſit plenum convivium, & ex Trid. conſtat, tantundem ſub alterutra, ac ſub utraque ſpecie contineri.

CAPUT IV.

De iis, quibus communio Euchariſtica exhiberi debet, aut denegari.

Cum Euchariſtia ſit Sacramentum vivorum, atque ad animæ noſtræ alimoniam inſtitutum, quæritur quibuſnam præberi debeat, quibuſnam ſubtrahi hoc ſpiritale alimentum. Sit itaque

Propositio I. Publicis peccatoribus (1) denegari debet Euchariſtia, non vero occultis, ſi publice petant.

Not. Malos etiam & ſceleroſos reipſa *ſacramentaliter* manducare Chriſti carnem, licet oppoſitum veteres nonnulli tenuerint, quos ſequitur, ex Th. Waldenſi, Wicleſus. Nam de Apoſtolis, nec proditore Juda excepto, habetur Marci 14. *Et biberunt ex illo omnes.* Et 1. Corinth. 11. *Qui manducat & bibit indigne*, dicitur *reus corporis*, & *ſanguinis Domini.* Hinc S. P. A. l. 5. de Bapt. c. 8. ait: *Indigne ſumens Sacramentum non efficit, ut quia non ad ſalutem accipit, nihil acceperit.* Nec obſtat Cap. *Qui diſcordat* diſt. 2. n. 65. ubi legitur: *Qui diſcordat Chriſto, nec manducat carnem ejus, nec ſanguinem bibit.* Illud enim exponi debet de comeſtione ſpiritali, & quoad effectum, non vero de ſacramentali, & quoad rem, ſeu ſubſtantiam. His prænotatis

Prob. I. pars. Ex Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus &c.* ſed canes, ex Chryſoſtomo hom. 24. in Matth. *ſunt in impietate viventes, porci vero in luto luxuriæ*; ergo &c. II. Ex Cap. *Pro dilectione* ſumpto

(1) Vide Conſt. Synod. Auxim. c. 13. & 14. de Sacr. Euch.

pto ex ep. 61. S. Cypr. ad Eucratium neganda est Eucharistia histrionibus, qui in artis suæ dedecore versantur. Idem dicendum de publicis usurariis, meretricibus, concubinariis, excommunicatis, & mulieribus ad eam accedentibus lascivo habitu. Et ratio est, quia publicus peccator nullum jus habet ad Sacramenta, quæ exigunt probitatem. Est autem publicus peccator, cujus crimen notorium est, aut evidentia facti, aut sæculari, vel ecclesiastico judicio.

Prob. II. pars. I. enim: *In facie Ecclesiæ non constat, ipsum amisisse jus suum*, ut ait S. Thom. in 4. dist. 9. art. 5. qu. 1. II. Idem docuit Christus, qui Judæ corpus suum non denegavit. III. Legitur in vita S. Bernardi a Guillelmo Ab. conscripta, S. D. ab altari noluisse fratrem repellere, quem ab communione suspenderat, *quoniam causa latens erat.* Si vero peccator privatim petat, ei deneganda est, quia nulla ei fit injuria, nec irrogatur infamia. Excipe tamen casum, quando crimen notum est sacerdoti per solam confessionem. Nam Eugenius Papa Cap. *Si sacerdos* de Off. judicis ordinarii statuit, sacerdotem, *non posse nominatim aliquem removere a communione, licet etiam ei confessus sit, & sciat eum esse reum, quia non ut judex scit, sed ut Deus, sed debet eum admonere ne se ingerat, quia nec Christus Judam communione removit.*

Adde confessionis sigillum, & curam summam, ne confessio in contemptum invidiamque trahatur. Licet autem D. Thomas loco cit. doceat oppositum; ab hac tamen sententia, quam junior adoptaverat, recessisse conjicitur ex art. 6. q. 80. ubi probat Aug. regulam: *Nos a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in judicio convictum.* Sed hæc regula est de peccatoribus occultis, qui publice petunt; ergo &c. Nota, non posse sacerdotem peccatori occulto dare hostiam non consecratam. Nec fas esse eum repellere propter scandalum aliorum. Sic enim sacerdos, quantum

tum in ſe eſt, eum induceret ad idololatriam, nec ſunt facienda mala, *ne alius gravius malum faciat*, ut ait S. P. q. 42. in Geneſ. II. quia ſic non impeditur ſacrilegium animo accedentis patratum. III. quia id ſtatuitur in cap. *De homine* lib. 3. Decr. tit. 41.

Propositio II. Licet pueris aliquando conceſſa ſit Euchariſtia; non eſt tamen neceſſaria ad ſalutem, nec mos ille improbandus.

Prob. I. pars, ex Prop. 2. & 3. cap. præc. Prob. II. pars ex Prop. I. cap. II. Cum enim a 12. ſæculo deſierit vetuſta conſuetudo, teſte Hug. Vict., & ſæc. 13. invaluerit opinio negans pueris Euchariſtiam, id tamen in Occidentali Eccleſia ſervandum eſt. Prob. III. pars: Græci enim, Syri, & Copti priorem adhuc retinent diſciplinam, ob quam immerito a quibuſdam redargui oſtendit Auctor de Re Sacramentaria. Non enim reprehendi debet, quod per plura ſæcula obtinuit, & permittit Eccleſia Romana: nec fovenda ſunt ſchiſmata ob variabilem diſciplinam, quæ pluribus de cauſis abolita eſt apud Latinos. I. Quia pueri non percipiunt quid ſumant, adeoque in re ad ſalutem non neceſſaria præponi debet reverentia ſacramenti illi augmento gratiæ, cujus defectu nullum iis damnum accedit. II. Quia pueri ſpeciem panis non valent digerere; & vini ſpeciem evomunt. De amentibus rationis uſu carentibus idem ac de pueris judicium eſto. Si tamen aliquando uſum rationis exhibeant, & devotionem ergo hoc Sacramentum habuerint, non debent in morte privari viatico ex can. 76. Carth. IV.

Propositio III. Energumenis porrigenda eſt communio, niſi actu agitentur a dæmone.

Prob. I. pars. Ex Conc. I. Arauſ. can. 14. *Energumeni jam baptizati, ſi ſe ſollicitudini clericorum tradunt, omnimodis communicent, Sacramenti virtute vel muniendi ab incurſu dæmonii, vel purgandi.* II. in Coll. 7. Cap. c. 29. opponenti Germano illud Evang. *Nolite ſanctum dare canibus* reſpondit Serenus: *Communionem iis, energumenis, a ſenioribus*

 noſtris

noſtris nunquam interdictam, *Evangelii* vero *ſententiam* : *Nolite &c. incongrue huic ſenſui coaptari.* Addit curatum hoc modo abbatem Andronicum. Puellam quoque Arabam particula Chriſti corporis liberatam narrat S. Proſper &c.

Propositio IV. denegata eſt olim Euchariſtia morte plectendis, ſed modo jure conceditur.

Prob. I. pars ex Dom. Soto, qui ſcribit olim id in Hiſpania obtinuiſſe, ſed modo obtinere contrarium uſum teſtatur Sylvius, & nuper Guerrerus. Cujus vetuſtæ conſuetudinis hanc rationem proferunt Merbeſius, & Juenin: quia furciferi plerumque ſcelera deteſtantur timore ſupplicii. II. quia ut plurimum ſunt adeo perditi, ut neque Deum, nec homines revereantur. III. quia accepto mortis nuntio ita conſternantur, ut deſtituti appareant rationis uſu. IV. injurioſum eſt Chriſto illum in corpus conjicere omnibus ſceleribus inquinatum: turpiſſimum vero eſt tortoris manu ignominioſe tractari corpus illud, quod nuper ſupremum Regem excepit.

Prob. II. pars ex cap. *Quæſitum eſt* diſt. 13. q. 2. ubi furciferis decernitur communio, *ſecundum canonicum juſſum.* Idem habetur in can. 27. Conc. Mogunt. & in can. 80. Vormacien. & 31. Triburien. ubi communionis nomine non intelligunt laud. canones abſolutionem Sacramentalem, ut cenſet Juenin, ſed *Euchariſtiam & communionem viatici*, ut ait Mogunt. Synodus : & Triburienſis, præter *communionis gratiam*, addit juvandos eſſe *ſacroſanctis myſteriis.* Vormacienſis autem profert latronis exemplum, ut oſtendat, *nullum pietatis officium negandum eſſe morienti.* Accedit conſuetudo in Italia, in Hiſpania, in Gallia, nec non exemplum Theodoſii, cui, antequam juſſu Phocæ necaretur, data eſt Euchariſtia ex Cedreno *in Phoca.* Adde conſtitutionem Caroli V. & edicta Belgica. Nec obſtat contraria conſuetudo, quæ nimis probat, nempe denegandam quoque ſacramentalem abſolutionem, quæ olim furciferis ex Morino negata eſt. Tandem

ex

ex Conft. Pii V. *Cum ficut accepimus* §. 21. facultas conceditur cappellanoConfraternitatis ad confortandos fupplicio afficiendos, ut poffit *Euchariftiæ Sacramentum iis miniftrare.*

Ad oppofita argumenta R. ad I. Poffe Deum timore perculfis contritionis gratiam largiri, & *quotiefcumque peccata donantur*, tribui debere *dominici corporis Sacramentum* ex Ambrofio l. 2 de Pœn. c. 3. Ad II. R. Baptifmi, aut pœnitentiæ lavacro *fuper nivem* dealbari. Ad III. R. ideo iis tribui Euchariftiam, ut in fortitudine cibi illius poffint cum morte luctari. Ad IV. R. exiguo temporis intervallo fpecies Euchariftiæ mutari. Laudat tamen S. Carolus pios judices, qui ad diem fequentem fententiam executioni mandari jubent.

Propositio V. Quibufvis, etiam fceleftiffimis in exitu mortis pœnitentibus non negatur Euchariftia.

Sequitur ex dictis in Prop. IV. & licet aliquibus in extrema vitæ periodo fuerit aliquando negata, eam tamen indulfit Nicænus canon 12. quo ftatuitur: *Cuilibet in exitu pofito, & pofcenti fibi communionis gratiam tribui, epifcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* II. Concilium Agathen. can. 15. ait: *Viaticum omnibus in morte pofitis non eft negandum.* Et Carthag. III. *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur, & infundatur ori ejus Euchariftia.* Idem ftatuunt Rom. Pontifices Greg. III. & Innoc. III. ergo &c.

Propositio VI. Ori defunctorum non eft ingerenda Euchariftia.

Not. Id olim factum fuiffe conftat ex Amphilochio *in vita S. Bafilii* ed. Combefifii pag. 244. ubi ait: *Teftamento fepeliri fanxit cum tertia portione a Domino datæ fibi communionis:* quæ lectio ad regios codices emendata, & notis a laud. Combefifio illuftrata germanum Amphil. opus habetur ab eruditis, licet eam illi abjudicarint, nedum Rob. Cocus, Blondellus, & Rivetus, fed etiam Baronius,

& Bellarminus. II. Sepultam juſſu S. Benedicti Eucharistiam ſupra pectus monachi, cujus corpus tumulatum extra tumulum repertum eſt die ſequenti, narrat Mabillonius, eumque non violaſſe canones, qui vetant communionem mortuis porrectam, non vero ſupra eorum pectora collocatam, demonſtrat Menardus ex Beda, & Amalario Fortunato; fruſtra ergo de hiſce hiſtoriis dubitat Juenin. Originem vero hujuſce conſuetudinis inde repetit Lupus I. ne cadavera e ſepulcro ejicerentur, II. ne dæmones in ea inſævirent.

III. Ut qui vivi Euchariſtiam non perceperant, ſaltem ea juvarentur poſt mortem. Id confirmatur ex Theodoro Balſamone in eundem can. Addit Baſilius Poncius quartam cauſam, nempe ut hoc ritu avocarentur homines a ſuſpertitione gentilium, qui obolum imponebant ori defunctorum pro ratis naulo Acheronti ſolvendo. Quæcumque tamen ſit illius ritus origo, ſtatuit cit. canon, ut *nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet.* Alios canones profert Poncius, & Lupus loco cit. Obſolevit etiam mos collocandi Euchariſtiam ſupra pectora defunctorum, quorum quieti conſultum eſt benedictione cœmeteriorum, *ne dæmon accedat &c.* Vid. Pontificale R. p. 2. tit. 6.

CAPUT V.

De diſpoſitionibus, frequentia, & utilitate Sacramenti communionis.

Diſpoſitiones Sacramenti communionis aliæ extrinſecæ ſunt, & ad corpus ſpectant, ut jejunium, caſtitas, habitus &c., aliæ intrinſecæ, quæ animo conveniunt, ut recta conſcientia, pax, & aliæ virtutes. Sit itaque

PROPOSITIO I. Communicantes debent eſſe jejuni, non ex divino præcepto, ſed ex traditione Apoſtolica.

Prob. I. pars. Ex Auguſtino, qui in ep. 118. ad Jan. nunc 54. c. 6. ait: *Liquido apparet, quando*

primo

primo acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non accepisse jejunos. Reapse nullum extat Dei præceptum, ut nonnisi jejuni communicent. Prob. II. pars. I. Ex Tertull. qui scribit, sumi Eucharistiam *antelucanis cœtibus:* & l. 2. ad Uxorem c. 5. *Ante omnem cibum.* Idem tradunt S. Cyprianus, Basilius, Chrysostomus &c.

II. S. P. A. loco cit. ait, jure institutum jejunium, *ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi:* quam rationem profert Magister, D. Thomas, & Scholastici omnes. III. S. D. ostendit, non repugnare exemplum Christi, is enim, ut *vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus discipulorum.* Cyprianus autem loco cit. ait: *Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii veteris Testamenti ostenderet occasum.* Et Paschasius l. de corp. Dom. c. 20. ait, voluisse Christum prius pascha typicum complere, ut inde ad verum Paschæ Sacramentum transiret.

IV. Licet ab hac laudabili consuetudine quidam Ægyptii recesserint apud Sozomen., necnon quædam Ecclesiæ Africanæ ipso Aug. ævo, ut notarunt Schelestratius, & Lupus; *hoc tamen arbitror institutum*, ait S. D., *quia plures ea die lavare consueverunt: & quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, qui jejunia simul, & lavacra tolerare non possunt; ad vesperam autem propter jejunantes.* At Trullanus canon 29. referens III. Carthag. Syn. canonem 29. quo statuitur, ut Eucharistia a sobriis sumatur, excepta fer. 5. in cœna Domini, eam consuetudinem reprobavit dicens: *Statuimus Apostolicas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesimæ postrema septimana quinta feria jejunium solvere.* V. Excipiuntur tamen ægroti, & sacerdotes, qui peracta consecratione meminerint, se non esse jejunos, vel ab iis consumandum esset sacrificium alterius subito morbo cor-

 repti,

repti, de quibus vide Suarez, Sylvium, Toletum, Alexandrum &c. VI. Jejunium hujusmodi dicitur *naturale*, eoque statuitur; ex can. 2. Conc. Tolet. VII., ne percipiatur communio *post cibum potumque etiam minimum;* adeoque excluditur etiam pharmacum valetudinis causa: non vero ea, quæ per modum cibi, aut potus non trajiciuntur, ut sudor, & saliva, post gustatum condimenti alicujus saporem, si statim expuatur, pulvis, aut fumigium *tabaci:* licet Limensi Synodo vetitum sit sub mortali, ne *tabacum* mandant, aut fumidum glutiant ante rem sacram. Vide Henno disp. 8. Vanroy, Monacellum &c.

Propositio II. Requiritur etiam ad communionem carnis mundities.

Prob. I. Ex 1. Reg. 21. ubi legitur, *panes propositionis* datos tantummodo mundis *a mulieribus*, quo exemplo utitur S. Hieronymus ep. 50. n. 30. ut probet, *panem cœli* non esse tangendum ab iis, *qui paulo ante conjugalibus hæsere complexibus*, Æquum est enim, ut pani purissimo e purissima Virg. nato purissimum exhibeamus habitaculum. II. Ut vir abstineat ab uxore *tribus aut quatuor aut octo diebus.* Monet etiam caput: *Omnis homo* de consecr. dist. 2. & Catechismus Rom. p. 2. c. 4. *ut aliquot dies a concubitu uxorum abstineant*, quod quidem de consilio est, non de præcepto, ut habetur cap. *Vir* c. 33. q. 4. III. S. Franciscus Salesius p. 2. Philoth. docet, a communicaturo debitum non esse petendum, sed reddendum. Nam ex Aug. in Ps. 149. *Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur uxori.*

IV. Nec obstat, ex Greg. M. ex Theona, Isidoro &c. effusio τȣ σπέρματος, *cum ex naturæ superfluitate, vel infirmitate evenerit*, secus si ex causa libera, & voluntaria. V. Merito damnata est a Card. Thoma de Tournon superstitio Sinensium, qui a Sacramentis arcent menstruatas mulieres. Quam superstitionem prædamnaverat Gregor. M. in laud. epist.

epift. ad Aug. & Cap. *Ad ejus* dift. 5. n. 4. ubi habetur: *S. communionis myfterium in iis diebus* (menftruatis) *percipere non debet prohiberi: fi autem non præfumit, laudanda eft, fed fi percipiat, non judicanda.*

Propositio III. Requiritur in commun. honeftus corporis cultus.

Prob. I. Ex veteri confuetudine. Nam antiqui Tabennenfes monachi, ex Gazæo ovinam pellem deponebant. Alii balneo utebantur, & S. Wilfridus nocturnis horis luftrali aqua fe fe mundabat ex Mabillonio & Menardo. II. Debent mares ex D. Carolo reverenter accedere manibus pectori admotis, depofitis armis, humili habitu, fed non fordido. Mulieres non fumptuofis veftibus, non intortis crinibus, non picto vultu, aut nudo pectore, vel translucido velo obtecto, fed modefto habitu, demiffoque denfo velo fuper faciem (1).

Propositio IV. Neceffaria eft quoque gratia fanctificans.

Prob. I. ex Ap. I. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indigne judicium fibi manducat &c.* Præmittenda eft ergo Sacramentalis confeffio iis omnibus, *quos confcientia peccati mortalis gravat*, ut ftatuit feff. 13. Trid. Syn. II. Si facerdos ex neceffitate celebrare cogatur abfque prævia confeffione, jubet S. Synodus loc. cit. c. 7. *Ut quamprimum confiteatur*, quod quidem *præceptum* effe non *confilium* declaravit Alex. VII. damnando prop. 38. & 39. III. Curare debet communicaturus, ut irato fratri fuo reconcilietur ex Matth. 5. fic enim præclare monet S. P. A. Tr. 26. in

(1) Hanc habitus modeftiam præfcribunt etiam laud. Conft. Auximanæ c. 10. de Sacr. Euch. his verbis: *Mulieres fucatæ, & quæ margaritas, monilia, capitis comas petulanter compofitas &c. deferre non erubefcunt, ad communionem non admittantur, fed modefto veftitu, & velato capite accedant cum timore & tremor.*

in Jo. *Securus accede, panis est, non venenum, sed vide si dimittis, nam si non dimittis, mentiris ei, quem fallere non potes.* IV. Ad virtutes omnes excitantur fideles in hoc Sacramento: nam fidem exigit altitudo mysterii, spem sanguinis pretium, charitatem Dei benignitas, timorem ipse judex vivorum & mortuorum. Vide auctorem.

Propositio V. Frequentissima Ecclesiæ nascentis exordio fuit communio Sacramentalis, eamque PP. nonnulli suadent.

Prob. I. pars ex Act. Ap. c. 2. ubi dicitur fideles convenisse *ad frangendum panem.* Et S. Justinus in Apologia ad Antonin. scribit, omnes in unum convenisse ex agris & oppidis, conclusisque precibus percepisse Eucharistiam *die, qui solis dicitur.* Addit Tertullianus, & Epiphanius feriam 4. & 6. in quibus convenisse docent fideles ad *sacram Synaxim:* qua voce participationem Eucharistiæ significari apud Græcos testatur Pachymeres in adnot. ad Dionysium: idque perperam negat Arnaldus l. de freq. Commun. c. 9. Adde fidelium conventus vix olim fieri consuevisse sine communione Eucharistica. II. At frigescente devotione communio primum coarctata est ad dies dominicos, in quibus olim non omissam scribit Auctor sermonis 25. inter Ambrosio adscriptos, & l. de Deo off. c. 120. Jo. Beleth, ubi notat, in Græcia etiamnum excommunicari eum, *qui a tribus diebus Dominicis non communicaverit,* atque hoc etiam in desuetudinem abeunte indicta est, ex eodem Beletho, *in tribus solemnitatibus, nimirum Paschate, Pentecoste, & Natali.* At Lateranen. Conc. coarctavit communionis præceptum ad Pascha resurrectionis, ut supra dictum est. III. Monachi vero ad Eucharistiam accedebant semel in hebdomada, & vivente S. Benedicto in solemnioribus diebus communicabant ex Mabillon, quod in Constitutionibus etiam Ordinis nostris sancitum est. Et quidem ut *monachi* 1. *Dom. mensis semper communicent* statuit Clem. V.

Prob.

Prob. II. pars ex teſtimoniis Cypriani, Baſilii, & Chryſoſtomi apud Nat. Alex. Accedit Trid. Syn. S. Greg. VII. Theodulphus. Virgines præſertim, ex Saleſio, debent frequentius ad communionem accedere. II. D. Hieronymus ep. 30. alias 50. ad Pammach. ait: *Scio Romæ eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat.* Et S. P. Aug. ep. 54. ad Jan. c. 3. ait: *Faciat unuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus Domini, ſi Sacramentum certatim honorare contendunt.* Neque litigaverunt Zachæus, & Centurio, quorum alter gaudens fuſcepit Dominum, alter ait: *Domine non ſum dignus &c.* III. Ex PP. illis a communione abſtinendum eſt, qui habent adhuc voluntatem peccandi, quique eadem die utuntur uxoris amplexibus, tandem qui in eadem peccata quotidie labuntur, & ſceleſte vivunt ex cap. *Qui ſcelerate* de Conſ. d. 2. n. 24. Qua de re circa frequentem communionem ſequentes regulæ ſervari debent. I. Eſt Saleſii loco cit. ut culpa vacans, & Euchariſtiæ deſiderio flagrans ad eam ſingulis Dominicis diebus accedat. II. eſt D. Bonaventuræ in 4. diſt. 12. p. 2. q. 3. ut qui innocenter vivit, & naſcentis Eccleſiæ pietatem imitari ſtudet, arbitrio prudentis confeſſarii etiam quotidie communicet. III. eſt Ludovici de Ponte, ut qui cœlibem vitam agit, & valde proficit in virtutum exercitio, juxta morem a Baſilio ſupra laudatum, *ter aut quater communicet in hebdomada.*

IV. Eſt laudatum Saleſii monitum, ut conjugati, niſi queant frequentius, 15. *die* communicent. V. eſt, ut quiſque ſequatur prudentis, & docti confeſſarii conſilia, qui fideles monere debet, ut *colligat unuſquiſque, quantum ſufficit ad veſcendum,* Exod. 16. VI. Meminerit etiam rigidus confeſſarius, proſcriptas eſſe ab Alex. VIII. ann. 1690. has duas propoſitiones: I. *Sacrilegi ſunt, qui jus ad communionem prætendunt,*

tendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. II. *Arcendi sunt a communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.* Quod spectat ad communionis effectus, hos omnes his versibus complexus est Richardus in 4. dist. 9. art. 1. q. 1. *Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget hostia, spem reficit, purgat, vitam dat, & unit, confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit,* delet deinde venialia peccata, servatque a futuris, & *pignus futuræ gloriæ largitur.*

CAPUT VI.

De variis ritibus olim in sacramentali communione servatis?

De his consulendi sunt Vicecomes, Menardus, Lupus, Martene, Benedictus XIV. quibuscum sit

Propositio I. Circa ritus communionis notatione digna sunt fractio panis, distributio, formula &c.

Prob. I. quoad panis *fractionem.* Tradunt Rabini, azymos panes coqui solitos *incisionibus in particulas plures signatos*, ut ad esum opus sit solum frangere. Reapse Christum panem fregisse innuit Evangelista. Solent autem Græci, & Æthiopes oblationem partiri ferro, quod λόγχην; idest *lanceam* dicunt, ut notat Cabasilas, & Humbertus Card. At Romana Ecclesia utitur exilibus *particulis*, ut sciamus, quod *non satietati, sed sanctimoniæ deservit.* Vid. Prop. 4. c. 4. l. 33. II. De distributione notandum est, panem Eucharisticum in manus laicorum tradi consuevisse ex Nazianz. Cyrillo Jerosl. Chrysost. Hieron. & Aug. Et de Novato narrat Eusebius l. 6. H. E. c. 43. eum apprehensis manibus fidelium, quibus adhuc tenebant Eucharistiam, dixisse: *Jura mihi per corpus, & sanguinem D. N. J. C. te numquam me deserturum &c.* Et Cyprianus

nus refert iniquum quemdam pro Euchariſtia apertis manibus cinerem inveniſſe.

At Syn. Antiſiodorenſis can. 36. ſtatuit: *Non licere mulieri nuda manu Euchariſtiam ſumere.* Et can. 42. ſtatuit, ut eam accipiat mundo linteo, quod vocat *Dominicale.* De his plura Martenius, Menardus, Lupus, qui in can. 101. Trull. profert quoſdam ſacram. communionem excepiſſe vaſculis aureis, quod damnat Trullana Synodus. Immerito ergo præſenti Eccleſiæ conſuetudini veterem præferunt Hoſpinianus, Beza, & Voſſius: illa enim ex neceſſitate, et urgentibus perſecutionibus orta eſt. Deinde etiam Græci eam improbarunt inducto more ſumendi Euchariſtiam cochleari, non manu. Tandem hic ritus ante Greg. M. tempora obtinuit. Porro miniſtrabatur Euchariſtia ex ſublimi loco, quem *ſoleam* Græci dixere, & ad quem accedebant communicandi *conjunctis manibus*, ſtantes & corpore proni in *adorationis ſignum*, ex Cyrillo, ac *demiſſis oculis*, ex Chryſoſtomo, atque *ad inſtar ſeraphim* expandebant alas caritatis, ex eodem Hom. in Seraph.

III. Utebantur etiam diſpenſantes aliqua formula. Gregorii ævo ajebant: *Corpus D. N. J. C. conſervet animam tuam.* Apud Alcuinum hæc habetur: *Corpus D. N. J. C. cuſtodiat te in vitam æternam.* Illyrici hac utuntur: *Corpus, & ſanguis D. N. J. C. proſit tibi in remiſſionem peccatorum &c.* In Galliis olim hæc obtinuit: *Corpus D. N. J. C. ſit tibi ſalus animæ & corporis.* Græci hac utuntur: *Impertior tibi S. Corpus Domini, Dei, & Salvatoris J. C. in remiſſionem &c. Amen.* pronuntiabatur olim a ſuſcipientibus, ut alibi dictum eſt. Mos fuit pervetuſtus ut communicaturi proferrent verba Centurionis: *Domine non ſum dignus*, teſte Duranto, & Card. Bona. Mos olim fuit, dum ſacra agebatur ſynaxis, pſalmum canere, & præſertim: *Benedicam Dominum in omni tempore*, qui eſt de panibus propoſitionis, & ut recte ait Micrologus, *Euchariſtiæ*

accom-

accommodatur, cujus loco antiphona Miſſæ *Communio* appellatur, ut ſupra dictum eſt. Ex his conſtat, *poſt communionem celebrantis ante* ipſius *purificationem* communionem eſſe faciendam, ut monet Trid. Syn. ſeſſ. 22. c. 6. necnon Brancacius, Le Brun, laudati a Benedicto XIV. &c. qui tamen ſacrificio peracto adminiſtrandam docet, ſi magnus ſit communicantium numerus, ne adſtantes tædio afficiantur, quod docet etiam Gavantus. Quibuſcum ſit

PROPOSITIO II. Etiam poſt Miſſam, & in Agenda defunctorum poteſt adminiſtrari ſacra communio.

Prob. I. pars ex Conc. V. Mediolanen. in quo ſtatuitur T. 15. pag. 587. ut ſacerdos, ſi communicare velit peracta jam Miſſa, *caſulam, & manipulum deponat*, Permittitur eadem communio decreto ſacræ Viſit. Ap. ea lege, ut *nec planetam, nec manipulum deponat*. Prob. II. pars. Ex auctoritate Bened. XIV. loc. cit. ex Merato, aliiſque. II. Jubet Trid. Syn. ut in *ſingulis Miſſis* fideles communicent. III. In Miſſa defunctorum habetur etiam: *Ut quotquot ex hac altaris participatione &c.* IV. in Rubr. Miſſæ defunct. legitur: *Si qui ſunt communicandi, eos communicet, antequam ſe purificet.*

Quæres I. an communio adminiſtrari poſſit in nocte Nativitatis Domini, & feria 6. ac ſabbato majoris hebdomadæ? R. Ad I. id fieri, quoad clericos non ſacerdotes in Vaticana Baſilica, idque in uſu fuiſſe apud Carthuſianos, & antiquos monachos. Sed decreto Sac. Rituum Cong. ſancitum eſt, ne poſt decantatam Miſſam aliæ celebrentur, & in eis communio miniſtretur. R. ad II. affirmative, quoad *ſolos infirmos*. Ad III. negative, ex uſu vetuſtiſſimo, quo nec cantatur antiphona, quæ dicitur *Communio*.

Quæres II. An in *Cœna Domini* fieri debeat ſolemnis totius cleri communio? R. affirmative ex vet. conſuetudine, quam laudant Theodulphus, Ordo Romanus &c. eamque ſervari a Græcis tradit Allatius. Antiqui monachi communionem ſumebant de manu abbatis ex Martene, & ex Decr. S. R. C. omnes

de

de clero etiam canonici ſumere debent de manu celebrantis. Epiſcopus per ſe ipſum miniſtrari debet. Sacramentale Ambroſ. jubet, ut communio prius maribus miniſtretur, tum fœminis, nullo habito conditionis diſcrimine, ſed loco aliquantulum ab altari remoto. Decreto Concilii cautum eſt, ne uni major, alteri minor hoſtia præbeatur: cum idem Dominus etiam ſub minima contineatur. De Viatico (1) dictum ſupra c. 10. *In decenti habitu* (ideſt *ſuperpelliceo cum ſtola* ex Gonzalez) *mundo velamine cum omni reverentia & lumine præcedenti* deferendam eſſe ſtatuit Honorius III. cap. *Sane.* Ad ægrotos autem, qui nequeunt Euchariſtiam percipere, nullatenus deferenda eſt.

Quæres III. Cur Romanus Pontifex, in ſolio Pontificali ſumat dimidium *hoſtiæ*, diſtributa parte altera inter Card. Diaconum & Subdiaconum, ſugitque pretioſum ſanguinem aurea fiſtula? R. Id forte factum eſſe, quod Pontifex in altari Symbolum gerit Redemptoris, prout in ultima cœna Euchariſtiam fregit, & conſecravit; in ſolio vero communicans facie ad omnes converſa gerit typum Chriſti palam in cruce immolati, & fiſtula utitur in memoriam calami, quo Chriſtus guſtavit fel & acetum. Vide Innocentium III. Durandum, Roccam &c.

DISSERTATIO IV.

De incruento Miſſæ ſacrificio.

De Euchariſtia prout ſacrificium eſt, quæremus I. an ſit verum & proprium ſacrificium. II. An ſit ſacrificium propitiatorium. III. An liceat Miſſas privatas celebrare. IV. De aliis ad Miſſam ſpectantibus ſermo fiet.

CAPUT

(1) Vid. Conſt. Syn. Auxim. c. 15. & ſeq. de Euch. ubi *pro decenti SS. Sacram. ad infirmos delatione* plura ſanciuntur.

CAPUT I.

An in Missa offeratur verum ac proprium sacrificium.

Not. præter Albigenses & Petrobrussianos, qui omnia substulerunt sacrificia, Lutherus, & Oecolampadius Missæ oblationem vocant, *Abominationem*, & altaria, *Impias lapidum congeries.* Et quamvis in Confess. Aug. edita an. 1530. & 1540. scripserint Novatores: *Retineri apud se Missam, & summa reverentia celebrari*; cum tamen velint, homines sola in Christum fiducia justificari, qui obtulit semetipsum oblationem pro peccatis totius mundi, injuriosum Christi passioni esse ajunt, si alia repetatur oblatio; adeoque Missam fieri putant tantum, ut mortis Christi commemoratione & fiducia excitata, Eucharistia fidelibus porrigatur. Negant proinde hæretici, Missam esse verum sacrificium: hinc Lutherus in sua Missæ formula omnes Liturgiæ partes delevit, quæ spectant ad oblationem. Idem statuit Calvinus, Zuinglius, & Confessio Aug. supra citata.

Not. II. Sacrificii nomine non accipimus lato modo cum Aug. l. 10. de C. D. c. 6. nempe: *Omne opus bonum, quod agitur ut sancta societate inhæreatur Deo;* sed stricto modo ac proprie intelligimus externum religionis officium, quo Deo, tamquam supremo universorum Domino, fit aliqua sensibilis oblatio, puta frugum, pecudum &c. Definitur etiam: *Externa oblatio a legitimo ministro facta soli Deo, qua in ejus cultum, & supremum dominii argumentum res aliqua sensibilis ritu mystico consecratur, & immutatur.* Dicitur externa, ad exclusionem interioris voluntatis, dicitur a solo ministro, ut excludatur populus, cui vetitum est proprium sacrificium offerre: dicitur & res immolata immutari, idest aut ignis absumptione, aut partium divisione, aut liquidorum effusione, ut secernatur ab oblatione. His prænotatis sit

PRO-

Propositio I. Chriſtus Euchariſtiam inſtituens obtulit verum ſacrificium.

Prob. Prop. ex iis, quæ dicta ſunt l. 27. c. 7. quorum hæc ſumma eſt. Chriſtus Pſ. 109. & Hebr. 7. dicitur: *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*, quia ex Patribus obtulit ſacrificium juxta ritum ſacerdotis Melchiſedech, qui Gen. 14. dicitur: *Sacerdos Dei altiſſimi;* ſicut ergo Melchiſedech *obtulit panem & vinum* ſymbolum Euchariſtiæ; ita Chriſtus ſacerdotio functus Euchariſtiam ſub *ſpeciebus panis, & vini* conſecravit, & obtulit. Vide auctorem tom. 5. pag. 337. ed. Romanæ.

Propositio II. Chriſtus Euchariſtiam inſtituens juſſit Apoſtolis, ut eam in ſacrificium offerrent.

Prob. I. Luc. 22. ait Chriſtus: *Hoc facite in meam commemorationem*, ſed ipſe obtulit ſacrificium, ut alibi dictum eſt; ergo &c. Hinc Trid. Synodus ſeſſ. 22. ait: *Corpus, & ſanguinem ſuum Deo Patri obtulit, ac Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, tradidit, & eiſdem ut offerrent præcepit per hæc verba; Hoc facite* &c. Prob. II. ex Patribus. Cyprianus ep. 63. ad Cæcilium ait, *ſi Chriſtus ſacrificium Patri ſeipſum obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit; utique ille ſacerdos vice Chriſti vere fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur.* Irenæus l. 4. c. 32. *Novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens offert Deo.* Chryſoſtomus hom. 24. in 1. ad Cor. de Euchariſtia & da pane loquens, ait: *Pro cæde brutorum Chriſtus ſeipſum juſſit offerri, ipſumque ſacrificium mutavit.* Euſebius Cæſar. l. 1. Dem. Ev. c. 10. ait, Chriſtum hoſtiam, patri ſacrificando immolaſſe *memoriam nobis tradendo, ut nos vice cruenti ſacrificii eandem in perpetuum ſacrificemus.* Eadem habet Oecumenius, Theodoretus, & Ambroſius in Pſ. 38. dicens: *Sequimur principem ſacerdotum ut poſſumus ſacerdotes, ut offeramus pro populo ſacrificium: quia etſi Chriſtus nunc non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur*, Hieronymus

ronymus l. 3. Dial. adv. Pelag. tom. 4. ait: *Sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio audeant loqui &c.* Aug. in Ps. 33. *Erat sacrificium Judæorum secundum ordinem Aaron in victimis pecorum. Nondum erat sacrificium corporis, & sanguinis Domini, quod nunc diffusum est toto orbe terrarum;* ergo &c.

Propositio III. Sacrificium a Christo institutum non est sola ejus corporis distributio, sed verum, & proprium.

Prob. I. Malach. c. 2. habetur: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda,* sed hæc oblatio facta Deo ubique locorum est Missæ sacrificium; ergo &c. Prob. min. ex Justino, Irenæo, Chrysost. Hieron. Aug. Damasceno, apud Lindanum, & Bellarm. Adde, veteres Rabbinos apud Galatinum hunc locum de vero sacrificio incruento exposuisse: nam vox hebraica מנחה מהורה *minchah meorà oblatio munda* significat *oblationem similæ*, & molitæ farinæ. Eadem est vis Græci textus, θυσία καθαρὰ *sacrificium mundum:* unde Drusius Tom. 4. Crit. Angl. pag. 801. ita interpretatur: *Munus quod offertur ex farina mundissima*, & Grotius tom. 1. Commen. *Oblationes fidelium, ex quibus Eucharistia fiebat.* Hinc Jerem. 33. prænuntiantur sacerdotes, & levitæ alterius generis ab Aaronicis. Item Ps. 71. ubi Vulgata habet: *Erit firmamentum in terra in summis montium*, Hebræus pro *firmamento* habet: פיסת בר *pissath bar, placenta frumenti*, & Chaldæus legit: *Erit sacrificium frumenti in terra in capite montium Ecclesiæ;* ubi Prænunciatum esse sacrificium Messiæ *in placenta frumenti* tradunt antiqui Rabbini apud Martinium, sed hoc est verum & proprium sacrificium; ergo &c.

II. Eucharistiam Apostolis traditam in ult. cœna, & ab Ecclesia frequentatam fatentur hæretici ex Paulo & ex Act. Apost. sed hæc commendant verum Eucharistiæ sacrificium; ergo &c. Prob. min.

Christus

Chriſtus enim in ſua cœna manducavit Paſcha, ſed hoc eſt verum ſacrificium ex 1. Corinth. 5. ergo &c. Deinde Chriſtus ſumens Euchariſtiam, ut fieri ſolebat in ſacrificiis pacificis, diſtribuit eam diſcumbentibus. Unde Cyrus Theod. Prodr. in Matth. p. 119. canit: *Tu qui ſacrificium es, ſacrificas, qui panis es, panem frangis: utrumque enim es, & ſacerdos, & hoſtia.* Act. 13. legitur: *Miniſtrantibus autem illis Domino &c.* ubi græce habetur, λειτȣργȣντων *ſacrificantibus*, ſive ut vertit Eraſmus: *Operantibus ſacra*, & H. Stephanus: *Dantibus operam rebus divinis.* Habetur in Syriaco משנשכין *methchaſchipin exercentes actionem, qua vel ſacrificent, vel preces concipiant*, & in Bibliis Roberti Steph. habetur: *Sacrificantibus;* recte ergo hoc teſtimonio utuntur catholici adverſus Hæreticos. Apoſtolus 1. Cor. 10. ait: *Videte Iſrael, nonne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris? ſed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo . . . Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*, quorum verborum hic ſenſus eſt: Iſraelitæ, ut ſacrificii participes fierent, admittebantur ad comedendum de hoſtiis Deo oblatis, hinc gentes comedentes victimas dæmoniis mactatas iis communicant; vos autem, qui menſæ Domini eſtis participes, & communicatis ſacrificio, quo Domino offertur, non poteſtis manducare, quod immolatur idolis, quin communicetis eorum ſacrificiis; ſupponit ergo Apoſtolus in menſa Euchariſtica ſumi ſacra munera jam ſacrificio immolata; ergo, &c. Hinc Trid. Syn. ſeſſ. 22. c. 1. de Miſſ. ſacrif. ait: *Et hæc illa munda oblatio eſt, quam innuit Apoſtolus, cum dicit: non poſſe eos, qui participatione menſæ dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Domini participes fieri.*

III. Nicæna Syn. cap. 18. vetat, ne diaconi ſacramentum porrigant ſacerdotibus: *Cum nec regula, nec conſuetudo tradiderit, ut hi, qui poteſtatem non habent offerendi his, qui offerunt, dent Chriſti corpus:*

pus: ubi aperte communio, ab oblatione fecernitur. Juftinus in Apolog. 97. ait, prius deferri panem & vinum, deinde offerri *Patri univerforum*, tandem panem diftribui cuique præfentium: ubi *oblatio* populi, *facrificium & communio* aperte diftinguuntur. Hinc Auguft. l. 2. q. Evang. 33. de epulis filio prodigo a patre paratis ait: *Epulæ iftæ nunc celebrantur per orbem terrarum. Vitulus enim ille in corpore & fanguine Dominico & offertur Patri, & pafcit totam domum.* IV. Idem evincitur ex Liturgiis. In Miffa Chryfoftomi habetur: *Tua ex tuis*, donis, *tibi offerimus;* fimilia extant in Armeniorum Liturgia. In Miffa Syriaca, & Æthiopica: *Offerimus tibi hunc panem, & hunc calicem.* In Maronitica: *Sufcipe oblationes iftas.* Quamvis autem effentia facrificii non in oblatione, fed in ipfa confecratione confiftat, ut infra explicabimus, cum tamen Liturgiæ omnes illam oblationem, & confecrationem præfcribant, quam confequitur oblatio verbis expreffa, quave Ecclefia offert, oratque ut acceptabile fiat facrificium eadem confecratione immolatum, apparet hæreticorum audacia, qui Liturgias mutilarunt.

V. Id etiam evincunt altaria ab exordio Ecclefiæ pro facrificiis erecta. Hæc autem commemoravit Apoftolus Heb. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent poteftatem, qui tabernaculo deferviunt.* Ubi in Græco habetur θυσιαςήριον *altare* pro facrificio: θυσία enim eft *facrificium, hoftia, victima.* Horum altarium vetuftatem comprobant facra antiquæ Romæ monumenta; extat enim in *catacumbis* altare lapideum vetuftiffimum, aliud extat in titulo equitii, ubi facrificabat S. Silvefter: aliud confecratum ab eodem Pontifice habetur, ex Mff. Archivii Lateran. Extructa etiam altaria fupra martyrum fepulcra narrat S. P. A. ferm. 313. S. Paulinus, aliique apud Bofium, Aringhium &c. Sed ficut altaria pro facrificiis eriguntur, *ita omnis Pontifex ad offerendum*

rendum munera, & *hostias constituitur* ex Heb. 8. atqui semper exstitere veri Pontifices, & sacerdotes; ergo &c.

VI. In Missa est *minister legitimus*, nempe verus sacerdos, offertur Deo res sensibilis, idest Christi corpus & sanguis sub speciebus panis & vini: adest *mystica* quædam mactatio & effusio sanguinis, dum calix consecratur sejunctim ab alio symbolo. Unde Luc. 22. legitur: *Quod pro vobis funditur*, quod cum sit præsentis temporis refertur ad *poculum*, non ad verba: *In sanguine meo.* Tandem in sacrificio Missæ est etiam rei oblatæ consumptio, quæ fit a sacerdote: nec obstat, ex oblatis servari ad communionem fidelium, nam & de victima oblata servari poterat in diem alteram.

Ob. I. Missa ab homine, non a Christo est instituta; ergo &c. Prob. ant. Nam sacrificii ordinem primi edidere Jacobus & Marcus; sed horum Liturgia vel apocrypha, vel dubia est ex Balsamone, & Bellarmino, qui in Jacobea precum additamenta notavit. Idem de Liturgiis Chrysostomi, & Basilii judicium esto, quæ Proclo Archiep. Constantinopolitano ab aliquibus tribuuntur. Græci tandem circa formam a nobis dissentiunt, ergo &c. R. neg. ant. ad Prob. neg. min. Licet enim Apostolorum successores preces addiderint, aut ritus mutaverint, non tamen sequitur vivificum sacrificium in mensa Domini non fuisse peractum, cum oppositum doceant scripturæ, ac Patrum omnium consensio. Quemcumque autem auctorem habeant liturgiæ illæ, vetustissimæ sunt, & quarto sæculo obtinebant; tunc ergo Missæ sacrificium obtinebat. Meminit etiam Liturgiæ Jacobi & Basilii Canon Trullanus 32. Dici etiam potest, Apostolos quemdam ritum instituisse, in quo orationem Dominicam contineri scribit Hieronymus lib. 8. Dial. contra Pelag. Jacobum, aliosque alias preces pro suis Ecclesiis addidisse, deinde Basilium, Chrysostomum, & etiam Proclum ex variis Liturgis unam collegisse; ita prior origo Litur-

giæ fuit ex Apoſtolis, ampliatio, & collectio ex Baſilio, aliiſque SS. epiſcopis. De Græcorum forma dictum ſupra.

Ob. II. Falſo putant Catholici Chriſtum in ſua cœna conſecraſſe corpus ſuum ſub ſpeciebus panis & vini; conſtat enim ex Evangelio, Chriſtum in ea fregiſſe panem & diſtribuiſſe diſcumbentibus, non autem ſacrificaſſe; ergo &c.

R. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Quamvis enim non legeretur in Evangelio, Chriſtum ſacrificaſſe; cum tamen in novo & veteri Teſtamento legatur, eum eſſe ſacerdotem, *ſecundum ordinem Melchiſedech*, & eum calicem conſecraſſe ſeorſim a pane, illumque appellaſſe calicem ſanguinis ſui, id ſufficit ad ſacrificium comprobandum. Nos enim eſſentiam ſacrificii in conſecratione ſtatuimus. Etenim eo ipſo, quod Chriſti ſanguis exhibetur, ut ſeparatus a corpore, *myſtice* mactatur, immolatur; ideoque in ea ſeparata conſecratione ſita eſt ratio ſacrificii, & oblatio, non verbis expreſſa, ſed in *actu exercito*: ſicut mactatio victimarum erat *oblatio* ſacrificii, licet Levita non diceret: *Offero, macto*, &c. Vide Eſtium, Juenin, Bellarm. &c.

Ob. III. Euchariſtia eſt Sacramentum; ergo non eſt ſacrificium: hoc enim Deo offertur, illud nobis datur; ergo &c.

R. neg. conſ. Ad prob. neg. conſ. Nil enim obſtat quod idem ſub diverſo reſpectu ſit ſimul Sacramentum, prout eſt ſignum efficax noſtræ ſalutis, & ſacrificium, prout Deo offertur. Sic Agnus Paſchalis Sacramentum erat, ut Chriſtum præſignabat, & ſacrificium, ut Deo immolabatur. Et Chriſti corpus per adverſarios a nobis comeditur in Euchariſtia, & fuit immolatum in Cruce. Nequit autem Deo offerri, quod ab eo datum non ſit.

Ob. IV. Unum eſt Chriſti ſacrificium in cruce oblatum; ergo &c. Prob. ant. Ex Hebr. 7. *Plures facti ſunt ſacerdotes*, in veteri Teſtamento, *quod morte prohiberentur permanere: hic autem* (nempe Chriſtus) *eo*

quod

quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium; sicut ergo nullus est sacerdos, præter Christum, nullus est etiam minister legitimus, qui offerat sacrificium. II. Addit Apostolus: *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo*, sed qui incruentum sacrificium propugnant, maximam sacrificio crucis injuriam faciunt, quasi fuerit aut sacerdotis peccato obnoxii, qui prius pro se obtulerit, aut exigui meriti, qui unico sacrificio non valuerit totius populi expiare delicta; ergo &c. III. Et cap. 9. ait: *Introivit semel in sancta, semel per hostiam suam apparuit, semel oblatus est;* ergo Apostolo adversantur, & inutilia sunt quotidiana sacrificia.

R. neg. conf. Ad prob. neg. conf. Loquitur enim Apostolis de summis sacerdotibus, ut patet ex iis verbis: *Quod morte prohiberentur permanere:* sacerdotes enim alii summo sacerdoti subjecti plures simul ministrabant. Unde Syriaca lectio habet: *Multi fuerunt Pontifices*, & Grotius, qui in hunc locum scripsit: *Sacerdotes*, idest *per excellentiam* ἀρχιερεῖς הגדולים כהנים *chohenim hagadolim Pontifices magni.* Ex quo autem Christus successores non habeat, non sequitur, plures non habere ministros, atque inter istos unum cæteris sublimiorem. Deinde, ex quo Christi sacerdotium sit æternum nostra firmatur assertio: *Neque enim de ea, quæ semel a Deo facta est oblatio, dixisset in æternum, sed respiciens ad præsentes ministros, per quos medios Christus sacrificat, & sacrificatur*, ait Oecumenius in epist. ad Hebr. pag. 348. Ad II. neg. min. *Semel* enim Christus seipsum obtulit in cruce, & ea oblatio efficax fuit ad omnium peccatorum remissionem; sed hinc non sequitur, inutilem esse oblationem aliam, per quam nobis applicetur effectus illius primæ oblationis, nec cedit hæc in illius injuriam, cum in ejus

commemorationem fiat: quis enim principem injuria afficit ejus insignia opera celebrando? Ad III. eadem esto responsio.

Dices: si in novo Testamento iteratur sacrificium, tollitur distinctio Pauli inter utrumque Testamentum, inde petita, ex quo Christus unam, Aaronici sacerdotes plures hostias obtulerint; ergo &c. R. neg. ant. Levitæ enim non offerebant eandem numero hostiam, & sæpe mactabant victimam diversi generis, vitulum, ovem &c. Nec una victima sat erat ad expianda omnia peccata, neque per se vim habebat remittendi peccata. Ex adverso immolatur semper eadem numero *Hostia*, qua sola omnia peccata delentur, & per quam, *semel* in cruce oblatam vim habent quotidianæ oblationes, quibus applicatur fidelibus virtus dominicæ passionis.

Ob. V. Jo. 4. habetur: *Eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare;* ergo in Evangelica lege nullum offerendum est sacrificium externum. R. neg. cons. Significat enim his verbis Christus Dominus, quod sublato Samaritanorum errore, qui sacrificabant in monte Garizim, & ablatis cruentis victimis, quæ Hierosolymis mactabantur, offerenda erat ubique locorum *oblatio munda in spiritu & veritate:* non in figura & typo, sed in fide, & devotione; non excluso tamen loco, vel externa actione, vel oblatione rei sensibilis, quæ visibili congregationi fidelium sunt necessaria. Adde, sacrificium nostrum spiritale esse, quia sub aspectabilibus signis immolatur victima, quæ non videtur, sed creditur.

Ob. VI. Hostia sacrificii debet occidi, sed Christus in Eucharistia non occiditur; ergo in ea non offertur sacrificium. R. 1. neg. maj. Licet enim in sacrificiis cruentis effunderetur victimarum sanguis, plura tamen fuere sacrificia incruenta, quale fuit sacrificium Melchisedech, cujus *ordinem* oblatio nostra imitatur. Hinc Cyrillus Jeros. Catech. 5. Mystag. *Spiritale sacrificium cultumque incruentum* appellat.

pellat. Et Chrysostomus ait: *Est etiam sacrificium sine sanguine.* Eadem habet Nazianz. carm. 12.

R. II. Fundi etiam sanguinem in Eucharistiæ sacrificio *mystice*, dum calix separatim consecratur: sic enim *vi verborum* ponitur, *ut a corpore effusus*, ut supra dictum est. Habetur etiam immutatio victimæ in specierum adsumptione, quæ est incruenti sacrificii pars integralis, & complementum.

CAPUT II.

Ostenditur, Missam esse sacrificium propitiatorium.

Not. I. Sacrificia alia fuisse ratione legis, alia ratione rei oblatæ vel ritus, alia ratione finis. Ratione legis alia fuere *legis naturæ*, puta ab Abel, Enos, Noe oblata; alia *legis scriptæ* ab Aaron, & filiis ejus oblata: alia *legis novæ*, de quibus sermo est. Ratione rei oblatæ, aliud est *Hostia*, seu victima, quæ est oblatio rei animatæ ut ovis, hircus &c. aliud *Immolatio*, quæ erat rei inanimatæ ac solidæ oblatio, ut similæ, hordei, farris &c. aliud *Libamen*, seu liquidorum oblatio, ex. gr. vini, olei, sanguinis &c. Ratione ritus, aliud erat *Holocaustum* ab ὁλὸν, *totum*, & καίω, *uro*, in quo tota victima comburebatur. Vid. cap. 1. Levit., aliud *Hostia pacificorum*, in qua pars igne absumebatur pars in usum sacerdotis, vel offerentis cedebat. Ratione finis sacrificium, vel est *Latreuticum*, quod spectat Dei cultum, vel *Eucharisticum*, quod in gratiarum actionem offertur, vel *impetratorium* pro beneficiis obtinendis, vel *propitiatorium* ad peccata delenda.

Not. II. Novatores in Apolog. Confessionis August. fatentur quidem, admitti posse sacrificium *Eucharisticum*, & *Latreuticum*; non vero *propitiatorium*, & *imperatorium*: licet proprie nullum sacrificium admittant, cum nullam agnoscant oblationem Deo factam: atque in Eucharistia laudari Deum, eique reddi grates solummodo arbitrentur. His itaque prænotatis sit

Propositio I. Incruentum Missæ sacrificium est vere propitiatorium.

Prob. I. Ex Lucæ 22. *Hic est calix novi Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Addit Matth. 26. *In remissionem peccatorum*, sed ea verba ob participium præsentis temporis ἐκχυνόμενον refertur ad poculum Eucharisticum; ergo &c. II. Trid. Syn. sess. 22. can. 3. ait: *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis &c. non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis pro peccatis, pœnis &c. offerri debere, anathema sit.* III. Idem statuunt PP. Græci: nam Cyrillus Jeros. Catech. 3. illud appellat: *Hostiam propitiationis*, Chrysostomus l. 6. de Sacerd. ait, sacerdotem *legatum esse apud Deum, ut propitius fiat.* Ex Latinis Ambrosius in Exhort. ad Virg. c. 14. Eucharistiam appellat: *Hostiam salutarem, per quam peccatum aboletur.* S. P. A. in Enchir. c. 110. ait: *Pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis*, defunctis, *propitiationes sunt.* Cujus rei rationem reddens notat, quod sacrificia veteris legis erant *propitiatoria;* ergo *a fortiori* tale est *unum hoc sacrificium*, Eucharisticum, in iis præfiguratum, *in quo vera fit remissio peccatorum.*

Propositio II. Sacrificium Eucharisticum tam pro vivis, quam pro pie defunctis offerri debet.

Prob. I. Ex 2. Mach. c. 12. ubi habetur Judam pro iis, qui prælio ceciderant, obtulisse sacrificium, qua de re alibi. Sed, *etsi nusquam in scripturis vet. legeretur*, ait S. P. A. l. de Cur. pro mort. ger. c. 1. *non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas.* Unde prob. II. ex Liturgiis, ex quibus illa evincitur consuetudo. In Basiliana, & Chrysostomi habetur: *Memor esto omnium dormientium in spe &c.* Et infra orat sacerdos *pro quiete, & remissione animæ servi tui N.* In Liturgia Syrorum legitur: *Memento Domine eorum omnium, qui transierunt de hoc mundo: erue ipsos ex tenebris &c.* III. Accedunt *Diptycha*, in quibus etiam nomina

mina defunctorum, qui in communione decesserant, recensebantur, ut ostendit Allatius. IV. Idem confirmant exempla. Nam in funere Constantini, episcopos & sacerdotes preces & ceremonias peregisse, ut ille populo Dei in Ecclesia sociaretur &c. narrat Eusebius l. 4. c. 71. vitæ ejus. Ambrosius pro anima fratris sui Satyri obtulit sacrificium, & de obitu Valentin. n. 56. *Date*, inquit, *manibus sancta mysteria; pio requiem ejus poscamus affectu &c.* S. P. A. de S. Matre Monica l. 9. Confess. c. ult. ait: *Non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit.* Neque id *vetulæ mulieris simplicitati* tribuendum est, ut Calvinus effutiit; nam ipse Augustinus legentes orat, ut ad altare Monicæ, & Patricii parentum suorum reminiscantur. Imo pro ipso Augustino defuncto oblatum fuisse sacrificium testatur Possidius c. 31. vitæ ejus.

V. Probatur etiam ex PP. Græcis. Cyrillus Catech. 5. *Pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio S. & tremendi sacrificii.* Epiphanius hær. 57. inter errores Arii, enumerat, quod negaret sacrificia pro mortuis. Chrysostomus hom. 3. in ep. ad Philipp. ait, ab Apostolis legem constitutam, *ut in venerandis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt.* Theophylactus in c. 12. Luc. ait, plures e gehenna erui, *propter factas pro mortuis oblationes.* Prob. VI. ex PP. Latinis. Tertull. de Corona Mil. c. 3. ait: *Oblationes pro mortuis annua die facimus.* Cyprianus refert ab episcopis statutum, ne sacrificium pro *dormitione ejus* celebraretur, qui ad curam vel tutelam clericos nominaverit. S. P. A. Enchir. c. 110. ait: *Defunctorum animas pietate viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur.* Prob. VII. ratione Augustini. Nam animæ piorum defunctorum spectant ad Christi regnum, *neque separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi*; ergo &c.

Propositio III. Neque pro damnatis, nec pro SS. cum Christo regnantibus offerri debet sacrificium propitiatorium.

Prob. I. pars. Ex Aug. de Orig. An. c. 9.: *Quis offerat corpus Christi, nisi pro iis, qui membra sunt Christi?* II. Ex Christi exemplo, qui licet pro omnibus sanguinem fuderit, ex eod. Aug., non tamen pro iis mortuus est, qui secundum eorum impoenitens cor jam in parte diaboli computantur.

III. Accedit ratio. Damnatis enim applicari nequit fructus passionis Christi, qui ad eos tantum extenditur, qui vel uniti sunt, vel ei uniri possunt, ut l. 17. & 28. dictum est. Prob. II. pars. Ex Aug. serm. 159. *Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Et tract. 84. in Jo. ait: *Eos commemoramus, ut orent ipsi pro nobis.* Et ratio est, quia beati nullam habent peccati maculam, nullaque premuntur miseria; ergo &c. Vide auct. l. 3. c. 9. & l. 10. c. 17. Offertur tamen sacrificium in memoriam sanctorum ex Trid. Syn. sess. 22. ut de illorum victoriis Deo gratias agamus, ut patrocinium imploremus, & intercessionem. Eadem habet Cyrillus Catech. 5. S. P. A. l. 22. de C. D. Cyprianus ep. 43. & Catechismus Rom. p. 2. c. 4.

Infertur ex dictis I. Sacrificium non offerri sanctis, sed Deo. Non enim dicimus, ait S. P. A. l. 8. de C. D. c. 27. *Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule &c. cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos martyres fecit &c.* Errant proinde hæretici, qui sacrificia in honorem B. M. V. oblata iis comparant, de quibus Jerem. c. 7. ait: *Ut faciant placentas Reginæ cœli, & libent diis alienis.*

II. Sacrificium propitiatorium pro omnibus viventibus, etiam pro scelestissimis, & pro infidelibus offerendum est: quippe vel uniti sunt, vel uniri possuntChristo, qui pro omnibus mortuus est; ideoque pro omnibus orari jussit Apostolus. Hinc sacrificia legimus oblata pro Nabuchodonosor, pro Heliodoro, & pro omnibus orat Ecclesia in Parasceve,

ſceve. III. Pro excommunicatis *nominatim*, *&* *publica oratione* offerre nefas eſt, licet tamen *privatim* pro iis orare, ut redeant ad unitatem. Ita Soto, Suarez, Sylvius, Gotti &c. IV. Pro Catechumenis, ſi ſint ex numero *Competentium*, & deceſſerint cum voto baptiſmi, offerendum eſt, ſecus ſi ſint in claſſe *Audientium*, & illum neglexerint. V. Pro excommunicato, *ſi manifeſta pœnitentiæ ſigna præceſſerint*, offerendum ſacrificium jubet Innoc. III. ſed priuſquam pro eo *publica oblatio* fiat, debet ei etiam defuncto beneficium abſolutionis impendi, quod conſtat exemplo duarum monialium, quas D. Benedictus poſt mortem abſolvit ex Greg. l. 2. Dial. c. 23. VI. Sacrificium, quod eſt aliquibus *propitiatorium*, poteſt eſſe etiam iis impetratorium, puta infirmis, peregrinis, & ad famem, peſtem, & alia mala avertenda. Sicuti Euchariſticum, nempe pro ſanctis oblatum, ut Deo gratias agamus de eorum gloria ac triumpho, poteſt pro nobis eſſe propitiatorium, & veniam impetrari ſanctorum interceſſionibus.

CAPUT III.

De Miſſis privatis, quæ aguntur ſine adſtantium communione.

Miſſa privata proprie nulla eſt, cum ſit publicum & commune ſacrificium pro omnibus fidelibus oblatum; invaluit tamen uſus ut privatæ Miſſæ dicerentur, in quibus ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat, quæque ſine miniſtrorum comitatu, aut ſolemnitate celebrantur. Dicuntur etiam Miſſæ *ſolitariæ*, *&* *peculiares*. Has damnant communiter novatores, Miſſam enim eo tantum fine inſtitutam putant, ut porrigatur Sacramentum his, qui petunt, adeoque privatas Miſſas, nonniſi quæſtus gratia inductas eſſe criminantur in Confeſſ. Aug. art. 3. Lutherus etiam *de abroganda Miſſa privata librum ſcripſit*, eumque alii novatores ſecuti ſunt. Sed hos refellit Coclæus, Bellarminus, Veranus, Bona, Eſtius, Sylvius, aliique. Sit ergo

PRO-

Propositio I. Missæ privatæ nullo argumento illicitæ ostendi possunt.

Prob. Vel enim forent illicitæ, quia iis violaretur Christi præceptum, aut vetustissima consuetudo, aut Ecclesiasticum ministerium. Sed non ita se res habet; ergo &c. Prob. I. pars. Nullum extat in sacris literis præceptum, ut sacerdotes publice tantum sacrificent, sive ut a communione ipsi abstineant, ubi nemo laicorum eam percipit. Et licet Apostolis mandatum sit, ut etiam non consecrantibus eam porrigant, non tamen præceptum est ut semper distribuant: imo vetitum est, ne dent *sancta canibus*; ipsorum ergo est dispensandæ Eucharistiæ dijudicare locum, tempus, & opportunitatem.

Prob. II. pars. Sicut enim liberum cuique fuit ad communionem accedere, vel ab ea abstinere, ita liberum fuit non urgente necessitate publice, aut privatim offerre. Hinc Marcellum Papam in domo Lucinæ rem divinam fecisse ejus acta testantur. Nazianzenus in cubiculo, Ambrosius in quadam domo trans Tiberim, S. Paulinus in altari ante lectulum, Theodoretus in cellula Maris monachi sacrificia celebrarunt; in iis ergo absque cœtu fidelium, & sæpe solo sacerdote communicante Missa celebrata est.

II. Ex Chrysostomo hom. 17. in ep. ad Hebr. *Multi hujus sacrificii sunt participes semel toto anno, alii autem bis, alii vero sæpe*, atqui ex eodem hom. 3. in ep. ad Ephes. multi sacerdotes quotidie sacrificabant, ait enim: *Frustra est quotidianam sacrificium: frustra adstamus altari: nemo est qui participet*; ergo &c. Quotidie pariter sacrificasse S. Goar anachor. S. Geremarum, Licinium, aliosque demonstrat Mabillonius. Adde locum B. Jo. Eleemosynarii apud LeontiumCyprium in ejus vita: *Ego propter vos descendo in S. Ecclesiam, nam poteram facere mihimet Missas in episcopio.* Item ann. 506. Concilium Agathen. can. 18. jussit, ut sæculares communicarent ter in anno in die *Nativitatis*, *Paschatis & Pentecoste*; can. autem 47. mandavit, *ut singulis diebus Domi-*

Dominicis ipſi ſæculares Miſſam audirent; ergo ſingulis Dominicis paſtores Miſſas celebrare poterant, licet nemo laicorum Sacramentum perciperet.

Prob. III. pars. Quamvis nullus laicus myſteria ſacra percipiat, offertur Deo perfectum ſacrificium, quo redditur ei cultus, celebratur ſanctorum memoria, fidelibus vivis & defunctis pax, venia, & requies impetratur ex capite præcedent.; ergo non profanatur, ſed honore afficitur. Merito ergo articulus 3. Confeſſionis Auguſt a Carolo V. proſcriptus eſt.

Propositio II. Impie commendant hæretici unam tantum Miſſam communem, aliis improbatis.

Prob. I. Ex vetuſta Eccleſiæ conſuetudine, qua ingentem fuiſſe numerum ſacerdotum oſtenditur. Nam in ſola C. P. Eccleſia 950. *Decani* ſunt conſtituti ex cod. Juſtin. tit. de Sacroſ. Eccl. l. *Non plures.* Et in Eccleſia Romana initio ſchiſmatis Novatiani numerabantur *presbyteri* 40. exceptis clericis, ut ſcribit Cornelius apud Euſeb. l. 6. H. E. c. 43. Item Eccleſiæ initio mos fuit alios, præter parochos ad ſacerdotium promovere, ſed hæc ſacerdotum copia & promotio fruſtranea fuiſſet, niſi præter communem Miſſam celebratæ fuiſſent Miſſæ ſolitariæ & privatæ abſque collecta, & ſynaxi; ergo &c.

II. Idem evincitur ex privatis Oratoriis, quorum duo in monte Caſſino extruxit S. Benedictus, quatuor S. Maurus, alia plura laudat Jonas Aurelianen. aliique apud Bonam. III. Idem evincit laud. auctor ex Conſtitutionibus Angelberti abbatis ex antiquitatibus Fuldenſium, ex multitudine altarium in eadem Eccleſia &c.

Propositio III. Fruſtra calumniantur hæretici plures Miſſas privatas pravo fine introductas.

Prob. Vitio vertunt catholicis novatores, quod Miſſas celebrent pro quotidianis delictis, pro defunctorum ſuffragiis, & quæſtus gratia, ſed priora duo ſupra refutata ſunt, tertium vero fruſtra opponitur;

nitur; ergo &c. Prob. min. Nam ſtipendium accipere, non ut pretium ſacrificii, ſed ratione *propriæ ſubſtentationis*, res eſt Apoſtoli teſtimoniis, & Eccleſiæ praxi probata. Nam Apoſt. 1. Cor. 9. ait: *Qui altari deſerviunt cum altari participant.* II. Hæc ſtipendia ſucceſſere oblationibus, quæ initio Eccleſiæ fiebant a fidelibus. III. Conſtat a Francorum Regibus villas & territoria legata monaſteriis & parochiis pro Miſſis agendis, ex Bona, Mabillonio, du Cangio &c. IV. Ratio poſtulat, ut qui ſpiritalia miniſtrat, temporalia recipiat, quod legibus etiam Imperatorum ſancitum eſt; ergo &c.

Ob. I. Chriſtus ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, ſed quando conſecravit diſtribuit; ergo &c. II. Apoſtolus Cor. 10. panem, quem frangimus, vocat: *Participationem corporis Domini*, dicens *cœnam dominicam* manducari, ubi in unum plures conveniunt; ergo non manducatur hæc cœna, ubi non conveniunt manducantes. III. Idem innuunt verba illa: *Ut quotquot ex hac altaris participatione &c.* IV. Orientales numquam ſine communicantibus Miſſas agunt. V. Can. 10. Apoſt. privat communione fideles, qui intrant Eccleſiam nec ſacram communionem percipiunt. VI. Chryſ. Hom. 3. in ep. ad Epheſ. ait: *Fruſtra* fieri quotidianum ſacrificium, *ſi nemo ſit, qui participet.* VII. S. Franciſcus in epiſt. ad Fratres ſui Ordinis monet, ut ubi *morantur fratres, una tantum Miſſa celebretur in die, ſecundum formam Sanctæ Rom. Eccleſiæ.* VIII. Strabo de Reb. Eccl. c. 22. & Humbertus Card. docent, legitimam eſſe Miſſam, in qua eſt fractio, diſtributio, offerens, reſpondens, & communicans; ergo &c. IX. ad eſum agni plures conveniebant; ergo & ad Euchariſtiam convenire debent.

R. ad I. diſt. ant. Ait: *Hoc facite*, quoad ſubſtantiam ſacrificii, nempe, ut agantur Deo gratiæ, ut benedicantur, & conſecrentur oblata, & de his participet ſacrificans aliique, ſi velint & adſint, conc. quoad modum & circumſtantias, nempe ut populus inter-

interſit, & communicet ſub una, vel ſub utraque ſpecie &c. neg. Hoc enim paſtorum judicio relictum eſt. Nam, ſi omnia, quæ Chriſtus geſſit, caderent ſub præcepto, poſt cœnam ſumenda eſſet Euchariſtia ſemel in anno a diſcumbentibus, excluſiſque fœminis, quæ eſt abſurdum.

R. II. Chriſtum ibi non ſolum diſtribuiſſe Euchariſtiam, ſed etiam inſtituiſſe; juſſit ergo id fieri in ſui memoriam, ſed non juſſit utrumque ſimul; poteſt ergo communio diſtribui, & ſacrificii tempore, & extra. Sicut ergo populus ſæpe percipit non offerente ſacerdote, ſic poteſt ſacerdos offerre, licet nullus e populo communicet. Ad II. neg. conſ. Cœna enim Dominica communis dicitur, qui pro omnibus eſt inſtituta, omnibus legitime petentibus miniſtratur, omneſque eundem panem participant, non quod fideles nuſquam privatim, & abſque conventu eam manducaverint.

Ad III. neg. ant. Nam verba illa pluraliter efferuntur, quia ſæpe multi de altari participant, vel ſpiritaliter communicant, & ſacerdos ſuo & fidelium ore offert & orat. Ad IV. retorq. argum. Græci enim ex Allatio l. 3. Conſ. c. 15. *Ut plurimum nulla interveniente communione, tum privatim, tum publice celebrant.* Ad V. diſt. ant. Privat ob communionem non perceptam, neg. ob ſcandalum & perturbationem, conc. Sic enim græce extat cit. canon: *Quicumque Eccleſiam ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque uſque ad preces & S. communionem permanent, eos tamquam qui ordinis in Eccleſia perturbationem inducant, a communione arceri oportet.* Unde Voſſius diſp. 22. theſi 2. concludit: *Itaque ſententia canonis erit, non ut quiſque, quoties adeſt, communicet, ſed ne necdum peracta communione diſcedat.* Ad VI. retorq. argum. Nam S. Doctor quotidie ſacrificabat, etſi nemo participaret; ergo putabat illicitum non eſſe ſolitarium ſacrificium. Vide Prop. 1. num. 2. R. II. neg. conſ. Reprehendit enim ibi S. D. negligentiam eorum, qui perraro communicabant.

nicabant. Nam hom. 17. in ep. ad Hebr. ait: neminem a se compelli, ad quotidianam synaxim, & id unum optare, ut accedant, qui mundo sunt corde, secus ut numquam id audeant.

Ad VII. R. I. Echius, & Bellarm. eam epistolam non esse S. Francisci, vel de feria quinta majoris hebdomadæ esse accipiendam, vel de Missa conventuali, ut exponit Wadingus. R. II. Card. Bona dist. ant. *Secundum formam*, idest ritum *Rom. Ecclesiæ*, conc. idest consuetudinem, neg. Ostendit enim Vicecomes S. Francisci ævo plures Missas privatas fuisse celebratas. R. III. cum eodem, S. Franciscum hortatum esse fratres suos, ut morem aliorum cœnobitarum, qui unam tantum Missam celebrabant, non aliorum presbyterorum servarent. Ad VIII. neg. cons. In Missa enim, etiam seclusa distributione, continetur quidquid spectat ad essentiam sacrificii in cœna instituti, & repræsentatur quidquid Christus pro nostra redemptione peregit. Ad IX. neg. cons. Agnus enim non poterat ab uno manducari, at Christus integer a singulis sumitur. II. Cœna Paschalis non erat communis, sed fiebat per singulas domos; ergo &c.

Quæres: an Missam *privatim* celebrans teneatur laicis petentibus Eucharistiam distribuere? R. negative, nisi celebrans sit parochus. Ita Bellarminus l. 2. de Miss. c. 10. & clarius Sylvius in 3. p. q. 83. art. 5. de presbyteris non parochis ait: *Hi poterant celebrare, neque tamen obligati erant populum fidelem communicare.* Et Benedictus XIV. die 13. Novembris 1742. statuit I. Missas privatas, seu *solitarias* ex Decreto Trid. Synodi jure celebrari. II. Convenire veteri disciplinæ, nec non institutioni, & exemplo Christi, si fideles in singulis Missis quibus adstant, nedum spiritaliter, sed etiam sacramentaliter communicent, prout se optare ait Trid. Synodus sess. 22. can. 6. III. Veterem disciplinam non esse necessario servandam, sed cuncta in Ecclesia ordinate disponenda esse, ut ex una parte non fraudetur fidelium

lium pietas, ex alia vitetur occasio perturbationis & scandali. IV. concludit nullam injuriam fidelibus fieri, si juxta disciplinam, quæ modo viget, in tanta Missarum multiplicitate non semper ministretur communio, nec importune insistendum, ut ministretur in iis circumstantiis, quas Ecclesiarum pastores excipiendas esse declarant. Hæc Benedictus XIV.

CAPUT IV.

Ubi nonnulla ad Missæ sacrificium spectantia expenduntur.

Quæri solet imprimis, unde Missæ vocabulum sit derivatum? quod quidem alii Hebraicum putant cum Baronio, Reuclino, Pamelio, Genebrardo &c. atque a verbo מסה *missat*, quod significat *oblationem* liberali animo factam, Missam derivari propugnant. Alii Græcum putant a vocabulo μύησις, *initiatio*, *mysterium*, sive a μυέω, *doceo*, *instituo*: unde & *musa*. Alii latinum censent, quibuscum sit

Propositio I. Missæ vocabulum latinum est a missione, vel dimissione derivatum.

Prob. I. Ideo enim incruento sacrificio hoc nomen tributum est, quod lecto Evangelio dimitterentur catechumeni: hinc Victorinus l. 2. de Eccl. off. c. 41. ait: *Dicit diaconus: ite missa est, quasi revertimini ad propria. Ab hac missione, idest dimissione missam dicunt appellari.* II. Utraque opinio præcedens falsa est: prior, quia nec apud Syros, nec apud Græcos extat Missæ vocabulum, altera levissima est conjectura, & ex ipsa scribendi ratione refellitur. Nullibi enim *Myssam* aut *musam* scriptum invenies. III. Missæ nomen sæpe apud Cassianum Avitum. Luitprandum usurpatur pro dimissione ab Ecclesia peracto officio; ergo &c.

Propositio II. Plura sunt Missæ nomina tam latina, cum græca.

Prob. I. pars. Dicitur enim *Oblatio* a Tertulliano, Cypriano, Optato, Augustino, Ennodio, Anastasio, in Capitularibus Caroli M. & in Ordine Rom. Dicitur etiam *Communio*, de qua supra diss. 3. c. 2. lib. hujus. Dicitur *Collecta*, quia populus, ut sacrificio intersit, simul colligitur. Plura de his Lupus noster. Dicitur etiam *Dominicum* a Cypriano, ab Aug. & in Actibus S. Saturnini. Item *Sacrum* idest mysticum sacrificium. *Agenda* dicitur in Antiphonario S. Gregorii, & alibi, quia veteres solebant dicere: *Missas agere*, & quia sacrificare Deo *actio* quædam est singularis, & præstantissima. *Agenda* absque addito apud Bedam, Durandum, & Anastasium Biblioth. Missam pro defunctis significat. Plura de his Bona, Vicecomes, Du-Cangius &c.

Prob. II. pars. Vocatur enim a Græcis *Liturgia* Act. 13. & Luc. 1. necnon in Pandectis, & Novellis Justiniani, & publicum ministerium, oblatumque Deo sacrificium designat. Vocatur etiam *Mystagogia*, seu actio mystica, & *Hierurgia* actio sacra. Dicitur *Synaxis* a græco συνάγω *congrego*, & idem sonat ac latine *Collecta*. Item *Thysia sacrificium* a θύω *macto, sacrifico*. Unde a Nazianz. dicitur ἀνίμακτος θυσία *sacrificium incruentum*. *Thelete* a θελέο perficio *consecrationem* significat, qua sacrificium completur. De his, aliisque Græcis vocabulis plura Durantus, Bona, Goarius, Du Mortier &c.

Propositio III. Plura sunt etiam Missarum genera.

Prob. Nam præter eas quæ appellationem habent a tempore, ut *Missa ferialis, Dominicalis &c.* vel a ritu, ut *Latina, Ambrosiana, Illyrica, Mozarabica;* vel ab Auctore, ut *Missa Jacobi, Basilii &c.* vel a modo, ut *Solemnis, Privata &c.* Est etiam Missa I. *Catechumenorum*, quæ erat liturgiæ nostræ pars complectens epistolas, & Evangelia, quibus recitatis *Audientes* dimittebantur: *Competentibus* vero tradebatur symbolum, atque ita clamante Levita:

vita: *Si quis Catechumenus remansit, exeat*, omnes exibant. Missæ catechumenorum, & præsertim concionibus Episcopi, quæ liturgiæ præmittebantur, etiam hæretici adesse poterant, & Judæi, cum nulli prædicationis gratia neganda sit. Missam catechumenorum etiam a Diaconis celebratam narrat Cassianus. At quæ sequebatur dimissis catechumenis, complectens *sacram Actionem*, dicebatur *Missa fidelium*, seu *Sacramentorum*.

II. Extat Missa *Præsanctificatorum*, quæ vetustissima est ex can. 52. Trull. in quo præscribitur: *Ut in omnibus Quadragesimæ jejunii diebus fiat sacrum Præsanctificatorum mysterium.* Michael C. P. & Simon Thessalonicen. repetunt illius originem a temporibus Apostolorum; sed nil certi ea de re statui potest: fuisse tamen in usu, quando omnes quotidie communicabant, colligit ex ejus liturgia Leo Allatius. In Ecclesia Latina longe ante tempora Gregorii, & ab Apostolorum ætate quovis die Quadragesimæ *divina mysteria* celebrabantur, exceptis diebus Parasceves, & Sabbati sancti: unde Innocentius I. in ep. ad Decentium ann. 416. ait, ex traditione Ecclesiæ *isto biduo Sacramenta non celebrari.* Cum ergo Missa Sabbati S. quæ agebatur in nocte, fiat modo ante meridiem, sequitur Missam *Præsanctificatorum* ex vetustissima traditione celebrari solo die Parasceves. In hac autem Missa nullam fieri consecrationem, eo quod vinum præsanctificato panis symbolo superinfundatur, dictum supra Diss. 3. c. 3. Prop. 3. unde a Bona appellatur *æquivoce dicta*, *nautica*, vel *sicca*, in qua nulla fit consecratio. Vide Allatium, Goarium, Bona, Lupum &c.

III. Extat etiam *Missa sicca*, vel *nautica*, quam male Vicecomes, aliique cum Missa *Præsanctificatorum* confundunt. Nam Echius Missam *siccam* ait esse: *Missæ simulationem, cum Introitu, Epistola, Collecta, Evang. &c. quia tamen sacerdos non vult communicare, non consecrat:* itaut Missa sit sine corpore, & sanguine Domini. At in Missa *Præsancti-*

ctificatorum est verum corpus Christi, & vera communio. *Nautica* vero dicta est, quod aliquando ob fluctuum agitationem in navibus celebrata sit. Censet Genebrardus, Durandus, aliique licitam esse, & jussu S. Ludovici celebratam: sed jure fuisse abrogatam *provida episcoporum cura* demonstrat Echius, & Lupus, qui eam *histrionalem simulationem* appellant. In ea enim sacerdos sacris indumentis ornatus ad sacrificii locum accedit, ritus liturgiæ servat, orationes præmittit, aut postponit, in quibus peractæ communionis fit mentio: ergo simulat. II. Reprobavit hanc Missam *siccam* Innoc. III. cap. *De homine* in 3. Decretal. tit. 41. c. 7. necnon Concilium Parisien. ann. 1212. can. 12. item Serisberiense, Iprense, Cameracense &c. Nec obstant quorundam piorum exempla, nec ritualia quarundam Ecclesiarum &c. nec Dionysii loca de Eccl. Hier. c. 7. ubi ait catechumenis præsentibus pro defunctis fieri solemne sacrum. Laudamus enim SS. virorum pietatem, & quarundam Ecclesiarum consuetudines; sed iis præferendam esse ducimus disciplinam veritati consonam, & ab universa Ecclesia receptam. Dionysium autem eo loci non de Missa, sed de aliis precibus instituisse sermonem nonnulli opinantur: vel ex ejus verbis evinci, Missam quoque pro defunctis *formatam* esse, non *siccam*.

IV. Erant etiam *Bifaciatæ*, & *Trifaciatæ* Missæ, ita dictæ, quasi multiplicem habentes faciem, in quibus improbi quidam sacerdotes, ut pro uno sacrificio stipendia plura reciperent, plures Missas, e. g. de Sancto, pro mortuis, & votivam celebrabant usque ad offertorum: deinde tot secretas recitabant, quot Missas incœperant: ac semel recitato canone, una consecratione, & communione peracta totidem addebant collectas, quot initio præmiserant; jure ergo ut *detestabiles abusus*, & ut *monstruosas* has Missas execrantur Durandus, Bona, Petrus Cantor, aliique.

PRO-

Propositio IV. Persecutionis tempore in quolibet loco Missæ celebratæ sunt, subinde vero in templis & Basilicis.

Prob. I. pars. Ex Dionysio Alex. apud Euseb. l. 7. H. E. c. 22. qui ait: *In agris, in solitudine, in navibus, in carceribus, in diversoriis* fuisse celebratas. Eligebantur tamen *privatæ fidelium domus*, eorumque partes oculis infidelium imperviæ. Carceres item, ubi Confessores detrusi erant, ex Cypr. ep. 5. ad Presb. & Diac. Cryptæ denique & catacumbæ, de quibus supra, ubi de Missis solitariis, & de titulis S. Evaristi.

Prob. II. pars. Ut enim in templis, oratoriis, Basilicis, non vero promiscue in omnibus locis divina peragerentur officia, præcipiunt canones a Gratiano collecti de Consecr. dist. 1. ideſt Concilium Toletanum XVI. ann. 698. c. 8. Romanum ann. 826. excerpta Egberti c. 9. Capitularia Theodulphi Aurelianen. &c. His accedunt principum constitutiones, Novella 57. Justiniani, capitularia Caroli M., & Regum Franc. Adstipulatur ratio: cum enim certa loca ad judicia, & ad publica munia deputentur, congruit ut ad divinum cultum & ad rem sacram loca deputentur, ubi fideles in uno religionis nomine colligantur; ergo &c.

Propositio V. Decet sacras ædes ab episcopis consecratione dicari.

Prob. I. Nam 3. Reg. 8. Templi Salomonis dedicatio describitur: unde Ecclesiarum nostrarum (ubi sacrificium immolatur longe præstantius) commendat Honorius Fortunatus Carm. 6. l. 3. Romæ in Exquiliis a D. Petro consecratam Ecclesiam, nec non Ss. Praxedis, & Pudentianæ domos in Ecclesias consecratas ex Eccles. H. notum est. Cæcilia *triduanas* postulavit *inducias*, ut S. Urbanus domum suam *Ecclesiæ* nomine consecraret. Lucinæ ædes dedicavit Marcellus. Eusebius l. 10. H. E. c. 3. refert, festivitates *dedicationum oratoriorum recens per urbes structorum*: & l. 4. Vitæ Constantini narrat,

rat, dedicationem Ecclesiæ Jerosol., ad quam Imperator invitavit omnes episcopos, qui ad Syn. Tyri convenerant. Athanasius in Apol. commendat dedicationem Ecclesiarum ab Alexandro, aliisque PP. factarum. Accedit ratio ex cap. *Tabernaculum* de Consecr. dist. 1. n. 2.: *Si Judæi loca habebant ad offerendum sacrificium; quanto magis nos habere convenit, quibus veritas patefacta est?* Et S. Thomas ait, Ecclesias ex consecratione *acquirere spiritalem quamdam virtutem*, quia Deus in iis peculiariter præsens est preces exaudiens, & peccata dimittens: ut constat ex Ambrosio de Exhort. Virg. num. 94. & ex officio dedicationis Ecclesiæ. Tandem solemni consecratione loca Deo sacra purgantur. Nam Greg. l. 3. Dialog. c. 30. narrat, in dedicatione Ecclesiæ S. Agathæ *in Suburra* dæmones, sub porcorum imagine exiisse. Eadem de Basilica Fausti scribit Victor Viten. l. 2. de Pers. Vandalica; ergo &c.

Propositio VI. Pluribus de causis Ecclesia consecrata violari potest, sed nonnisi per episcopum reconciliari debet.

Prob. I. pars. Nam Jureconsulti in tit. 40. l. 3. Decr. enumerant I. *violentam ac voluntariam sanguinis effusionem.* Si vero effusio *voluntaria* non sit, ut si fiat ab homine furioso, Ecclesia non polluitur. Idem dicito, si effusio levis sit, neque ex ea magna effluat sanguinis copia, ut in rixa puerorum. Violaretur tamen, si jussu tiranni in ea martyr occideretur, aut in Ecclesia vulneratus foris sanguinem funderet. Secus, si extra Ecclesiam sanguinem fundat, & in Ecclesia expiraret. Nec violatur, si quis ex ipsa lapidem, aut telum emittens alium occidat; violatur contra, si extra emissus intra positum interficit. Polluitur etiam Ecclesia *voluntario homicidio*, etiamsi absque sanguinis effusione patrato, sive a se, vel ab alio, etiam prævia sententia judicis. Secus, si fiat extra januam, & in ipso limine,

mine, in ſacrario, turri, cœmeterio &c. Vide Gonzalez, Barboſa, Navarrum, Cabaſſutium &c.

II. Polluitur Eccleſia *voluntaria humani ſeminis effuſione.* Sed ſi occulta ſit, ſacrilegium erit, non *canonica* templi violatio. Idem dicendum de mutuo duorum conjugum concubitu, quo templum violari putant Navarrus, Vivaldus, Sylvius, Turrecremata, Sanchez, Gonzalez &c., negant Gloſſa, Amicus, Arriaga, & noſter Poncius. Quod enim citra peccatum committitur, neque notorium eſt, nullam infert canonicam violationem.

III. Polluitur Eccleſia, *ſi in ea ſepeliatur notorie excommunicatus*, ex cap. *Conſuluiſti* de Conſecr. tit. 40. n. 7. Item, ſi in ea ſepeliantur corpora infidelium, vel puer non baptizatus, ſive natus, ſive ab utero extractus: ſecus, ſi non ſit extractus, ſic enim ei ſepulturæ beneficium tamquam perſonæ diſtinctæ non impenditur, quod fieret, ſi extractus puer iterum materno utero includeretur. Sic enim, auctore Sylvio, Eccleſia violaretur.

Quæres: an polluatur templum *quando Eccleſia conſecratur per epiſcopum excommunicatum?* Affirmant veteres Tabiena, Paludanus, Panormitanus, aliique, quibus accedunt Sylvius, Cabaſſutius, Barboſa &c., qui docent eam ſententiam regulis juris eſſe conſentaneam. Negant Gibalinus, Henno, Ugolinus, Gonzalez, qui tamen fatetur, ſe non inveniſſe auctores aliquos ſibi conſentientes, quod argumentum eſt falſitatis. Unde non leve dubium exoritur, quo ſtante optimum conſilium eſt, ſi Eccleſia reconcilietur. Indubium eſt enim, iterum conſecrandas Eccleſias ab hæreticis occupatas ex cap. *Eccleſias*, & C. *Arianorum* de Conſ. diſt. 1. n. 21. Sed eadem eſt ratio de excommunicatis, ac de hæreticis; ergo &c. Prob. II. pars. Ex reſcripto Greg. IX. cap. *Aqua* de Conſ. Eccl. 9. Si vero Eccleſia conſecrata non fuerit, reconciliari poteſt, annuente epiſcopo, per ſimplicem ſacerdotem ex cap. *Si Eccleſia* ejuſdem tituli. Verum delegatione Rom.

Pontificis posse a singulis presbyteris Ecclesias reconciliari alibi dictum est.

Propositio VII. Privatis in domibus, & extra Ecclesiam, sive oratoria *ad Dei cultum dicata* Missæ celebrari non possunt.

Prob. I. ex Canonibus supra relatis Prop. IV. Queis accedit decretum Trid. Synodi sess. 22. quo revocatur facultas, quam olim habebant Episcopi, largiendi licentiam, ut in privatis oratoriis agantur Missæ. Possunt tamen episcopi in suis ædibus privata oratoria habere ad sacrificandum, sed ut erigantur in privatis aliorum domibus petenda est ab Apostolica sede facultas, quæ tamen eam concedendo ex can. 21. Syn. Agathen. excipit dies solemniores *Nativitatis Domini*, *Epiphaniæ*, *Fer. 5. in cœna Domini*, *Paschatis*, *Pentecostes*, *Annunciationis*, & *Assumptionis B. M. V. SS. Petri & Pauli*, & *omnium Ss.* Item in aliis locis *cum altare portatili* celebrari potest Missæ sacrificium *urgente necessitate*. In castris, sub dio, in agro, in litore maris, & etiam in navi in malacia & tranquillitate maris (licet ob fluctuum inconstantiam id abnuant nonnulli) cujus rei plura afferuntur vetustatis exempla. Nunc autem, *ex privilegio tantum Apostolicæ Sedis*, peragi posse unanimiter tradunt Pignatellus, Card. Petra, Rotarius, Meratus, & Bened. XIV. qui ostendunt, tranquillo cælo in navibus Indicis Missas celebratas ex privilegio Clementis VIII. & Pauli V. & triremibus Ordinis Jerosolym. id concessum fuisse a Clem. XI.

Propositio VIII. Altaria ad sacrificandum debent consecrari, & plura etiam mobilia erigi possunt.

Not. Altaria ab Hebræis appellantur מזבח *mizbeach* a radicali זבח *zabach sacrificavit*. Græci vocant θυσιαστήριον, *Thysiastirion* a θυσιάζω *sacrifico*. Latini *altare*, aut ab alendo igne, aut ab ejus altitudine dixere. In vetere lege alia erant lapidea, alia terrea, ænea, vel aurea. Æneum creman⸗

mandæ hostiæ serviebat, aureum erat pro adolendo thymiamate: unde θυμιατήριον a Græcis dicitur. De his plura noster eruditissimus Schaccus in Myrothecio 2. II. In nova lege quædam altaria lignea fuisse constat ex Athanasio, & August. Romæ etiam servatur ligneum altare, ubi Petrus sacrificasse fertur. Aliud consecrasse Silvestrum narrat Turrecremata in Basilica Lateranensi, licet Silvestri ævo altare lapideum in usu esset.

Prob. I. pars ex variis canonibus apud Gratianum de Cons. dist. 1. & in 3. Decr. tit. 40. Accedit ratio: oportet enim, ut sacer sit non solum locus remotus sacrificii, sed etiam proximus, in quo ipsum peragitur sacrificium: unde Jacob Gen. 28. lapidem erexit in titulum *fundens oleum desuper*, ut nempe consecraretur: quare locum ipsum vocavit Bethel, idest *domum Dei*, & in ea unctione *figuratum aliquid, quod ad magnum pertineat Sacramentum*, ait S. P. A. l. 16. de C. D. c. 38. & Naz. or. 34. Id etiam evincitur ex altarium expiatione, & dedicatione Levit. 16. Exod. 40. & 1. Mac. c. 4. Adde in altarium consecratione adhiberi reliquias SS. ex cap. *Placuit ut altaria* de Conf. dist. 1. n. 26. ex Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Paulino &c.

Prob. II. pars ex Gregorio l. 5. ep. 43. ad Pallad. ubi *tredecim* ejusdem Ecclesiæ altaria commemorat, & Paulinus Natal. 9. ait: *Spectant de superis altaria &c.* Nec obstat locus Hieronymi in c. 2. Os. ubi ait habere Ecclesiam *unum altare*, hæreticos *plurima*; nam ibi S. D. loquitur de fide, & communione, ait enim ib. hæreticos habere *tot altaria quot schismata*: unde phrasis usitata apud Cyprianum, Optatum, & Aug. qua dicitur: *Erigere altare contra altare*, qui ab unitate recedit.

Prob. III. pars. Demonstrat enim Card. Bona ex capitulis Hincmari *Altare portatile* (quod *Altare viaticum* appellat Durandus, *tabulam itinerariam* Ordo R. *Altare gestatorium* S. Anselmus, & *lapidem portatilem* alii apud Mabillonium) olim in usu

 fuisse,

fuiſſe, cum celebrandum eſſet in altaribus fixis, nondum conſecratis, aut in oratoriis privatis, in his enim non erant olim altaria *conſecrato lapide* ornata. Altaris *viatici* privilegium conceſſum eſt quibuſdam regularibus, quibus revocatum fuiſſe declaravit Clem. XI. ex cap. *In his* in 5. Decr. tit. 33. de Privil. n. 30. item epiſcopis omnibus ex cap. *Quoniam* in 6. tit. 33. n. 12. In his *viaticis aris* includendas eſſe reliquias SS. ſtatuit S. Rituum Congr. ann. 1612.

Quæres I. Quænam ſint præcipua altaris ornamenta ad ſacrificium ſpectantia? R. eſſe lintea, Crucem, & cerea lumina. Lintea enim, quas *mappas* etiam, & tobaleas, ſeu ſindones vocant, apponi ex more vetuſtiſſimo conſtat ex Optato Milev. l. 2. n. 2. ubi ait: *Altaria in peragendis myſteriis linteamine cooperiri.* Tribus mappis una oblonga, brevioribus aliis, vel una duplicata altaria eſſe cooperienda infertur ex cap. *Si per negligentiam* de Conſ. diſt. 2. n. 27. De Cruce Amalarius, aliique omnes, qui de S. myſteriis pertractarunt, ajunt eam ante nos locari: *Ut Chriſtum quaſi pendentem in ea mente teneamus.* Addit Sedulius l. 5. Oper. Paſchalis: *Neve quis ignoret ſpeciem crucis eſſe colendam.* Hinc ſequitur in altari, dum agitur Miſſa, crucem eſſe apponendam, licet ibi ſit expoſitum SS. Sacramentum, ex decreto S. R. C. ann. 1707. ſecus, ſi ibidem adſit *magna ſtatua SS. Crucifixi*, ex alio decr. ann. 1663. De cereis dictum ſupra Prop. V. c. 5. Diſſ. 2. libri hujus. Adde Trid. Concilii decretum ſeſſ. 22. vetans *candelarum certum numerum, qui magis a ſuperſtitioſo cultu inventus eſt.*

Quæres II. Quibus potiſſimum ſacris indumentis uti debeant presbyteri ſacrum peragentes? R. Indumenta ſacra, quibus uti debent, eſſe amictum, albam, cingulum, manipulum, ſtolam, planetam. Amictus, ait Bona, dicitur etiam *ſuperhumerale, Ambolagium, Anobolarium*, quæ duo græce ſignificent

ſcent ornamentum, quo humeri proteguntur, & *Ephod* ab אפד *aphad ligavit*. Ex Brunone Signien. de Veſt. epiſc. *interioris hominis caſtitatem deſignat*.

Vetat S. R. C. ſacrum facere *cum cæſarie ficta*, imo Tournelyus, indecorum putat, ſi ſiat hærente in capite amictu, viget tamen hic mos in Eccleſia Pariſienſi, in Polonia, & apud Sinas, ubi detectio capitis non eſt honoris ſignum. Albam vocant nonnulli etiam *camiſiam*, *veſtem talarem*, *lineam dalmaticam*, & a Græco ποδηρὴν *poderem*: quia demittitur uſque ad pedes. Ejus meminit Hieronymus, Gregorius M. & Conc. Carthagin. Eaque deſignari vitæ innocentiam, ornamenta virtutum, & veſtem albam, qua Herodes illuſit Chriſto, oſtendit l. 3. Ration. c. 2. Mimaten. epiſcopus. Cingulum, quod *Baltheum*, ac *Zonam* appellant, eſſe caſtitatis indicium docent Innocentius III. Rabanus, aliique. Quare in can. 20. Conc. Aurelianen. in quo dicitur: *Monacho Zonas habere non licet*, pro *Zonas* legendum eſt *Tzangas*, ideſt cothurnos, quos & in Urbe ſingulis vetat Codex Theodoſii. *Manipulum* dictum invenimus etiam *Fanonem*, *Mappulam &c.* eoque ſignificari pœnitentiam, ait Honorius Auguſtodun. patientiam, & humilitatem S. Bonaventura, Balſamon vincula Chriſti manibus implicata, Latina Eccleſia fletum, & dolorem, cui copioſa merces rependitur.

Stola dicitur a ϛέλλω *orno*, & ſumitur a Latinis pro veſte muliebri talari, a Græcis etiam pro virili. Frequentius uſurpatur ad ſignificandum ſplendidum ornamentum: unde Joſephum, Aaronem, Mardochæum ſtola indutos legimus; communiter tamen ſignificat veſtem anguſtam in modum faſciæ, quam diaconi ac presbyteri in humeris geſtant, & veteres *Orarium* dixere. S. Antoninus ſtolam putat ſignum eſſe juriſdictionis, unde ſemper eam geſtat Rom. Pontifex. Amalarius, aliique *miniſterium Evangelicæ prædicationis* per eam deſignari putant:

at

at ex oratione: *Redde mihi Domine ſtolam &c.* conſtat ſymbolum eſſe *immortalitatis*, quam S. P. A. & Bernardus *ſtolam* appellat. *Planetam*, quod totum hominem olim ambiret veluti parva caſa, *caſula* dicta eſt. Græci φιλόνιον, vocant, quæ vox extat c. 4. ad Tim. 4. & noſter vertit *penulam*, de qua plura ſunt eruditorum diſſidia. Vide Auctorem. Extat *planeta* nomen apud Rabanum, Ivonem &c. φιλόνιον legimus ap Græcos, *caſulam* denique in libris Alcuini, Ruperti &c. Hæc olim ſuper brachia complicabatur, unde Latini ad facilius operandum cœperunt paulatim eam ad latera ſcindere. Quidam in caſula veterem & novam Eccleſiam, alii duo caritatis præcepta, aut veſtem inconſutilem deſignari putant. De hac vide Durantum.

Quæres III. Quænam vaſa præcipue occurrant in Euchariſtiæ miniſterio? R. *Calicem, patenam, corporale, hamulas, & campanulam.* Calicem a calida potione dictum putant nonnulli. Iſidorus a κᾶλον *lignum*, quod olim lignei eſſent calices. Priſcianus a κύλιξ, quod *torno* fit. Hi vero nedum lignei, ſed vitrei etiam, & ſtannei fuere ex Bona, aliiſque. Fervente etiam perſecutione argentea vaſa pro ſacrificiis in cœmeteriis inventa fuiſſe conſtat ex Prudentii hymno 2. *de Coronis*, ubi deſcribit Urbis præfectum a Laurentio petentem Eccleſiæ theſauros. Stannei calices ſunt vetuſtiſſimi, quorum unus in Eccleſia SS. Coſmæ & Dam. & alter in Baſilica Lateran. ſervatur. Calicem in quo Chriſtus conſecravit fuiſſe argenteum, aut ex achate, vel onychino lapide quidam opinati ſunt: at Chryſoſtomus hom. 60. ad Pop. Ant. ait, nihil in cœna, *præter S. myſteria*, pretioſum interfuiſſe.

Concilium Triburien. ait, Zephirinum ſtatuiſſe, ut Miſſæ celebrarentur *patenis vitreis*. Urbanum autem *miniſteria ſacra feciſſe argentea*, eaque *ſi non ex auro, omnino ex argento* fieri ſtatuit idem concilium; ſi quis autem pauperrimus eſt, *ſaltem ſtanneum*

neum calicem habeat, de ære aut auricalcho non fiat, *quia facit æruginem*, *& vomitum provocat*, nemo *in ligneo, aut vitreo calice præſumat agere*. Erant etiam *calices miniſtrales* aliis ampliores, in quos paululum ſanguinis infundebat Archidiaconus ad *complementum communionis* laicorum. Falluntur ergo qui putant in iis, factam conſecrationem, & oblationem. Vitreæ patenæ extant in cœmeteriis Calixti, Priſcillæ &c. a profanis diſtinctæ, utpote anguſtiores, Chriſti, & Apoſtolorum imagines referentes. Aureas & argenteas commemorat Anaſtaſius, Alcuinus &c. Calix & patena ab epiſcopo conſecrari debet.

Corporale dicitur etiam a ſcriptoribus Eccleſiaſticis *palla*, ac *pallium*, *quo ſacra munera conteguntur*. Sed Concilium Melden. *pallam* a *corporali* diſtinguit. Hoc in *burſa* recondi ex veteri conſuetudine conſtat ex adinventa in S. Berini tumulo filis aureis contexta. Ex Hildeberto Cenomanen. calix crucem, tumulumque ſignificat, lapidem ſuperpoſitum patena, ſindonem corporale. Hamulas argenteas legimus, ſed vitrearum communior uſus, & ad vinum ab aqua ſecernendum magis idoneus. Aliquando *Gemelliones* ob formæ ſimilitudinem dictæ ſunt, ſed communiter *ampullæ*. Gregorium IX. inſtituiſſe, ut *campanula* pulſaretur, *dum conficitur corpus Domini*, ſcribit auctor ejus vitæ. Sed Bona, Mabillonius &c. oſtendunt, morem hunc fuiſſe Gregorio vetuſtiorem.

Propositio IX. Miſſæ ſacrificium opportuno tempore peragendum eſt.

Prob. Quamvis enim metu perſecutionum olim noctu peragerentur fidelium conventus, quos *antelucanos* vocat Tertull. de Corona Mil. unde *latebroſa*, & *lucifugax natio* a gentilibus dicti ſunt, cenſebant tamen, ubi fieri poſſet, celebrandos diurnos cœtus, opponebatque ipſe Tertullianus Valentinianis *nocturnas initiationes*. Peculiariter pernoctabant in Paſchæ ſolemniis, ex Tertull. & Lactan-

tio

tio l. 7. cap. 19. Verum pace Ecclesiæ restituta agebantur publicæ Missæ hora 3. 6. & 9. excepta die Nativitatis Domini, Sabbati sancti, & S. Jo. Baptistæ. Agebatur Missa hora 9. diebus jejunii ob jejunantium communionem, ex Conc. Mogunt. apud Ivon. ceteris diebus ante meridiem, ut fideles sacro peracto domum ad prandendum adirent. Privatæ Missæ *ab ineunte aurora usque ad meridiem* sunt peragendæ, nam vespertinas vetuit ann. 1565. S. Pius V. In quibusdam Ecclesiis dominii Venetiarum in vigilia Nativitatis fiunt sub noctis initia ex indulto Apost. Sedis. Regularibus causa itineris fas est celebrare integra hora ante diluculum, duabus circiter horis ante solis ortum.

Propositio X. Non licet sacerdoti plures in die Missas celebrare, excepta die Nativitatis Domini.

Prob. I. pars ex decreto Alexandri II. Honorii III. Innocentii III. Prob. II. pars ex vetusta Ecclesiæ consuetudine II. sæculo e Telesphoro instituta, teste Valefrido, tum ex Hom. 8. S. Gregorii, qui ait: *Quia largiente Domino missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus &c.* In aliis diebus nulla de causa, neque ob viaticum infirmorum, non licet pluries celebrare. In regno Aragoniæ in die omnium defunctorum sæculares presbyteri celebrant Missas duas, regulares tres celebrant ex Julii III. vel Pauli III. indulto, quod etiam frustra petiit sub Clem. XI. Pragensis Archiepiscopus ann. 1711. De stipendio Missæ dictum supra.

Notandum tamen I. *Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii &c. si eleemosynas pro aliis Missis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* II. *Esse contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & unum offerre.* III. *Sacerdotem non posse per alium satisfacere collato illi minori stipendio.* IV. *A sacerdote tot Missas celebrandas, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.* V. Illicitum esse *anticipate sacrificium applicare pro eo, qui postea daturus est*

eſt eleemoſynam. Ita Urbanus VIII. Alex. VII. Innoc. XII. & Paulus V.

Quæres. Quænam ſint præcipuæ Miſſæ partes, quidve in iis lateat myſterii? R. Prima Miſſæ pars, confeſſione præmiſſa eſt *Introitus*, ex vet. conſuetudine, qua ante ſacrificium Pſalmi Davidis canebantur, quibus per horas canonicas diſtributis ſelecti ſunt verſiculi ad excitandam devotionem idonei: proinde *introitus* a pſalmis non deprompti dicuntur *irregulares*, iique deſignant prophetarum oracula, patrum vota, & Chriſti adventum. II. Sequitur, *Kyrie eleiſon*, non ex inſtitutione S. Gregorii, ſed ex conſuetudine vetuſtiori, quam laudat Conc. Vaſenſe ann. 529. Græca verba ſunt, & ſignificant: *Domine miſerere*, iiſque non ſecus ac Hebræis vocibus utimur, ut pateat, undique eſſe collectam Eccleſiam. Novies repetitur, ut a tribus divinis perſonis ter miſericordia imploretur, *adverſus triplicem miſeriam, ignorantiæ, culpæ, pœnæ*, ait D. Thomas.

III. Additur hymnus Angelicus *Gloria &c. Is memorat, quæ Salvatoris in ortu gaudia paſtores angelus edocuit*, ait Hildebertus. Quidam Teleſphoro, alii Symmacho, ac Hilario tribuunt, ex Conc. Tolet. IV. *Reliqua, quæ ibi ſequuntur*, poſt verba, *quæ angeli cecinerant*, Eccleſiaſtici doctores compoſuerunt.

IV. Orationi præmittitur *Dominus vobiſcum*, quæ eſt populi ſalutatio, & ad preces invitamentum. Epiſcopus dicit: *Pax vobis*, quod non opponitur canoni 3. Bracaren. jubenti, *ne populos aliter epiſcopi, aliter presbyteri ſalutarent*, is enim perſtringit Priſcillianum contendentem ſemper dicendum eſſe ab epiſcopo *Pax vobis*, & a presbytero *Dominus vobiſcum.* V. Poſt *Collectas*, ſeu orationes recitatur epiſtola, tum *Graduale*, *Alleluja*, vel *Tractus*. Olim in Miſſis ſcripturas fuiſſe lectas colligitur ex Juſtino, Tertulliano &c. Ubi nota, propheticam lectionem olim Paulinæ præmiſſam: illa ad lectorem,

hæc ad ſubdiaconum ſpectat ex can. 4. Remenſis Conc. *Graduale* ita dictum eſt, quia canebatur, dum per gradus diaconus in *Ambonem* lecturus Evangelium conſcenderet. *Alleluja* ſignificat *Laudate Deum*, & ſpiritalis exultationis eſt ſignum.

VI. Evangelium ex primæva inſtitutione legi in Miſſa oſtendit Bona, ex vet. monumentis. Legitur autem *in ſiniſtra, & Aquilonem verſus*, ut pateat Evangelii lucem gentibus affulſiſſe fruſtra contranitente diabolo. De ſymbolo, oblatione, & aqua alibi dictum eſt. VII. Præfatio, quæ dicitur *immolatio* & conteſtatio Miſſæ, eaque populi affectus excitatur, commendatur a Cypriano, a Cyrillo Jeroſol., ab Auguſtin. Chryſoſtomo, Anaſtaſio Synaita &c. eique adnectitur triſagion *ſanctus, ſanctus &c.* quod ἐπινίκιον, ſeu *triumphale carmen* Græci vocant, eoque diſtinctionem Trinitatis, & divinitatis unitatem prædicari docet Ambroſius l. 3. de Spir. S.

VIII. *Canon* idem ſonat ac *regula*, & ritum complectitur, ſeu regulam ſacrificii peragendi: dicitur etiam *Actio*, *Legitimum*, & *Miſſæ ſecretum.* Inſtitutum eſſe multis ante ſæculis docet ſeſſ. 22. Trid. Synodus, quod conſtat, ex quo veteres tantum martyres in eo memorentur, ejuſque meminerint Ambroſius, Ordo Romanus &c. Recitari debet ſubmiſſa voce ob myſteriorem dignitatem, ut docet Baſilius, & exemplo Chriſti, qui exceptis ſeptem verbis, ſeipſum offerens oravit in ſilentio. IX. *Orationem Dominicam* in ſuis liturgiis habent omnes Chriſtiani, & ex Chriſti & Apoſtolorum inſtitutione *in ſacrificio Dominici corporis* recitari ſcribit l. 3. adverſ. Pelag. Hieronymus. De hac plura vide lib. 23. Vetuſtiſſima eſt etiam *fractio hoſtiæ* ex Clemente Alex. Nazianzeno, Chryſoſt. &c. cujus ſignificatio his verſibus exponitur: *Tres partes factæ de Chriſti corpore ſignant, prima ſuam carnem, ſanctoſque ſecunda ſepultos, tertia viventes, hæc eſt in ſanguine tincta.*

X. Tem-

X. Tempore *confractionis Dominici corporis* dicitur: *Agnus Dei &c.* ex antiqua institutione, quæ evincitur ex Græcorum liturgiis. Ea tamen verba: *Dona nobis &c.* addita esse ad Ecclesiæ schismata tollenda scribit Innoc. III. l. 5. de myst. Miss. c. 6. & deesse in antiquis missalibus Basilicæ Lateranen. testatur Em. Bona l. 2. c. 16. De *Communione, Collectis*, ac dimissione populi dictum supra. Hæc sunt, quæ de SS. Eucharistiæ Sacramento ex auctore delibavimus. Ubi si quid ex ignorantia erravimus, illum enixe cum Avito rogamus: *Tu Christe veterem exutos formamque virumque in vitæ novitate tuum fac sumere corpus, & sacrum æterni calicis potare cruorem.*

APPENDIX POSTREMI CAP. PRÆCED.

In quo plura ad Missæ sacrificium spectantia expenduntur.

Cum in Missæ sacrificio opus nostræ salutis exerceatur, *illiusque cruentæ hostiæ semel in cruce oblatæ per hoc incruentum sacrificium uberrimi fructus ad nos manent, maxime curandum est ut singulari pietate & religione celebretur.* Ut optime monent Constitutiones Synodales Auximanæ de SS. Missæ sacrific. c. 1. & seq. Qua de re stricte præcipitur ibid. c. 2. *Sacerdotes qui sanctissimam Hostiam sunt immolaturi, ut puriores ad rem divinam faciendam accedant, serventque præceptum prophetæ dicentis: mundamini, qui fertis vasa Domini: saltem semel in hebdomada peccata sua confiteantur: ne accedendo ad altare manibus pollutis, corde impuro Christum iterum crucifigant &c.*

Quod vero, circa interiorem cordis animique munditiem, rite præscribunt laud. Constitutiones Auximanæ, idipsum, quoad exteriorem, servari jussit S. Congreg. S. Officii die 14. Maji an. 1075. Proposito enim dubio

dubio a Carmelitis Discalceatis missionariis in Perside: *An presbyteris Armenis conjugatis moderandum sit tempus abstinentiæ ab uxoribus, quadraginta scilicet dierum ante, & totidem post Missæ celebrationem ab eorum ritu præfixum?* Respondet S. Congregatio: *Nihil esse innovandum, & episcopus curet, ut presbyteri conjugati catholici Armeni ritum suum observent.* Pro Græco-Italis Clemens VIII., ac postea Benedictus XIV. hæc habent: *Presbyter Græcus conjugatus, antequam ad Missam celebrandam accedat, vel per hebdomadam, vel per triduum ab uxore curet abstinere.* Idipsum *a sanctissimo Patriarcha Luca de hoc interrogato synodaliter fuisse pronunciatum* Balsamon auctor est, nimirum, *tribus ante diebus a corporali congressu abstinere debere conjuges, qui sunt divinorum Sacramentorum futuri participes.* Ex quibus constat, juxta Orientalis Ecclesiæ disciplinam, Presbyterum ad minus tribus diebus ante celebrationem a conjugali congressu abstinere debere, ut licite celebret, quam abstinentiam illius Ecclesiæ canones etiam in laicis olim exigebant. Hinc Balsamon ipse notat in expositione alterius canonis, compati non posse uxoris usum, cum quotidiana sacra celebratione secundum Orientalis Ecclesiæ Canones.

In iisdem Constitutionibus Synodalibus Cap. *de SS. Missæ sacrificio* præcipitur *omnibus sacerdotibus ut in celebratione hujus Ss. sacrificii servent ad unguem cæremonias a S. R. Ecclesia institutas, quæ rubricis generalibus Missalis continentur &c.* Hinc oritur quæstio. An sacerdos carens Missali lingua sui ritus exarato, alterius linguæ Missali uti possit, proprio tamen ritu servato? Sed respondetur id nullo modo licitum esse. Etenim eadem obligatione, qua propriæ Ecclesiæ ritum sequi quilibet tenetur, tenetur etiam servare in sacrificii celebratione linguam sui ritus. Qua de re S. Congr. de P. F. ann. 1631. Missionariis Georgiæ

giæ petentibus facultatem celebrandi Missam ritu Latino in idiomate Georgiano, vel Armeno respondit: *Illam pro nunc concedendam non esse, nisi esset medium ad convertendos Georgianos potissimum.* Hinc patet, nefas esse sine Apost. Sedis dispensatione, aliena lingua sacrum celebrare. Quam dispensationem *Fratribus Carmelitis Discalceatis* benigne concessit *Urbanus Papa VIII.*, *ut sacerdotibus sui Ordinis, qui in regno Perside existunt liceat Missam in lingua Arabica celebrare . . . ad consolationem populorum, qui in eo regno catholicam fidem susceperunt cum infrascriptis conditionibus, videlicet, ut ritus Latinus retineatur, ut Missale Romanum in lingua Arabica literali translatum in Urbe prius approbetur, & ut semel tantum singulis diebus in unaquaque illius Regni Ecclesia in prædicta lingua celebrare liceat.* Ita S. Congreg. de Prop. Fid. die 17. April. 1624.

LIBER XXXIV.

De Sacramento Pœnitentiæ, ac de pœnitentis actibus.

PIISSIMUS ac misericors Dominus recordatus quoniam pulvis sumus *illis etiam*, ut ajebant PP. Trid. Syn. *vitæ remedium contulit, qui se in peccati servitutem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* De hoc itaque tam salutari remedio trina dissertatione pertractabimus. Ac I. de institutione Pœnitentiæ & de contritione, II. de Confessione III. de satisfactione sermo fiet.

DISSERTATIO I.

De institutione pœnitentiæ, & contritione.

Pœnitentiæ nomine intelligunt Grammatici ipsum pœnitendi actum, quo aliquem facti pœnitet.

Quidam a pœna, alii a *puniendo* dictam putant. Theologi tamen pœnitentiæ nomine tria ſignificant. I. intimum doloris ſenſum, ob patratum aliquod crimen, cum vitæ male actæ expiatione, quæ ſi fiat in compenſationem injuriæ Deo illatæ, conſtituit peculiarem virtutem; II. externum S. ritum, quo per miniſterium clavium peccata ſolvuntur; III. pœnam ipſam, & injunctam reſipiſcentibus ſatisfactionem. Græci vocant μετάνοιαν *metaniam*, ideſt *reſipiſcentiam*, ἐξομολόγησιν *exomologeſim*, ſeu *confeſſionem*, præſertim Sacramentalem, & ἐπιτίμιον *epitimion*, ideſt pœnam, ſeu *multam* peccatis debitam, ideſt peccati animadverſionem. Pœnitentiam theologice acceptam tripliciter hoc loco ſpectabimus I. Prout virtus eſt, II. prout eſt ſacramentum, III. prout eſt pars Sacramenti præcipua.

CAPUT I.

De pœnitentia, prout virtus eſt.

Definitur pœnitentia communiter: *Virtus, qua commiſſa a nobis ſcelera deteſtamur, ac prævia firma illa emendandi voluntate, ea ſponte vindicamus in compenſationem injuriæ Deo illatæ.* Novatores, qui ſola fiducia in Chriſtum juſtificari impium putant, nil ultra ad veram pœnitentiam requiri putant, præter melioris vitæ propoſitum: ac melius *reſipiſcentiam* dici, quam pœnitentiam. Verum ex ſacris literis pœnitentia, præter melioris vitæ propoſitum, etiam culpæ deteſtationem, animi amaritudinem, & culpæ punitionem importat. Nam Iſ. 38. habetur: *Recogitabo tibi omnes anno meos in amaritudine animæ meæ.* Joelis 2. *Convertimini ad me . . . in jejunio, & fletu &c.* Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Hinc gemitus Davidis, jejunia Ninivitarum, lacrymæ peccatricis mulieris, publicani humilitas, Petri amarus fletus. Ex PP. Nazianzenus Or. 39. pœnitentiam vocat *lacrymarum baptiſmum*, & S. P. A. ep. 153. ait: *Quem veraciter pœnitet,*

tet, quod mali fecit, impunitum esse non sinit. His prænotatis sit

Propositio. Pœnitentia est vera virtus divinitus inspirata, & a Sacramento diversa.

Prob. I. Matth. 3. & Act. 3. habetur: *Pœnitentiam agite, ut deleantur peccata vestra;* atqui Dei lex, cum sit sancta, præscribit tantum actus virtutis; ergo &c. II. Virtus a D. Thoma 3. p. q. 85. art. 1. definitur: *Habitus electivus secundum rectam rationem;* sed valde rationi congruit detestari peccata, de iis dolere &c. ergo &c. III. Vel pœnitentia oritur ex injuria Deo illata, quam compensare quis satagit, & ita ex D. Thoma loc. cit. ad justitiam pertinet, vel concipitur ob offensam Dei summopere diligendi, & sic juxta alios ad caritatem spectat; ergo &c.

Dices. Ex Aug. *Virtus est ordo amoris*, sed pœnitentiam sæpe in nobis excitat timor gehennæ; ergo &c. R. dist. maj. est ordo amoris; prout caritas debet virtutibus dare *formam* ac perfectionem, illas ad finem suum dirigendo, ne recto ordine careant, conc. quia absque caritate virtutes non sunt, & absque illa actus suos bonos non exerunt, neg. Ostendit enim cl. Auctor Tom. 4. ed. Rom. pag. 205. *Dari plures virtutum supernaturalium habitus absque caritate*: & l. 23. c. 10. veram & supernaturalem fidem remanere in impio; & c. 12. timorem servilem bonum esse & donum Dei. Sic pœnitentia, prout oritur ex Dei amore, & odit peccatum ei contrarium, spectat ad caritatem, & ab ea fluit; prout oritur ex timore, constituit specialem virtutem, quatenus nititur injuriam Deo illatam compensare. Sed cujusvis generis sit, ut habeat virtutis formam, & sit recta undequaque, idest tum in se, tum ex parte ejus quem pœnitet, debet a caritate dirigi in finem suum. Idem docet S. Th. q. 85. art. 2.

Prob. II. pars. Licet enim ex parte nostri requiratur motus arbitrii, & dispositiones fidei, timoris, spei, ac dilectionis, non sine gratia præveniente a nobis præmittendæ ut justificemur ex Trid. Syn.

seff. 6. c. 5. & 6. Pœnitentiam tamen ex Deo esse evincitur ex Pf. 84. *Converte nos Deus*, & Jer. 31. *Converte me, & convertar &c.* Idem evincitur ex orationibus Ecclesiæ, quibus Deum rogamus: *Ut ad veram pœnitentiam nos perducere dignetur.* III. ex definitione Trid. Syn. seff. 6. c. 3. ubi confirmat quidquid de necessitate gratiæ ad omnia opera salutaria adversus Pelagianos, & Semipelagianos producta sunt.

Opp. Zachar. 1. legitur: *Convertimini ad me, ait Dominus, & convertar ad vos*; ergo &c. R. hoc loco etiam Pelagianos apud August. l. de Gr. & arb. c. 5. abusos esse, quibus respondet S. D. *Nisi donum Dei esset ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur: Deus virtutum converte nos, Deus tu convertens &c. Converte nos Deus.* Locus ergo Zach. 1. libertatem commendat, non evertit Dei gratiam, qua fatemur nos *a Deo præveniri.*

Prob. III. pars: Pœnitentia enim, prout virtus est, tota se tenet ex parte pœnitentis, ut patet ex ejus definitione: ex adverso pœnitentia, prout est Sacramentum novæ legis: *Est Sacramentum a Christo institutum, quo fidelibus post baptismum lapsis & confessis, vi clavium, absolutio sacerdotalis impenditur*: unde exigit necessario sacerdotis potestate præditi absolutionem. Illa ait, S. Thom. q. 89. art. 1. est gratiæ prævenientis effectus, istud *causa* effectrix gratiæ sanctificantis, quæ quidem omnia ex mox dicendis plana fient.

CAPUT II.

Ostenditur pœnitentiam esse verum Sacramentum a Christo institutum.

Not. I. Inter eos, qui primitus Sacramentum pœnitentiæ negarunt, recenset Bellarminus, aliique Scholastici, Montanistas, & Novatianos: eos tamen ab hoc errore immunes fuisse censent Juenin, Le-Droit, aliique recentiores, ex quo Tertullianus l. de Pudic. c. 2. afferat mundari delicta, *quæ quis*

quis in fratrem, non in Deum admiſerit. Et c. 19. diſtinguit inter *peccata graviora, quæ veniam non capiunt*, ut homicidium, idololatriam, & leviora peccata *quotidianæ incurſionis*, ut iracundiam, detractionem &c. Et de Novatianis ſcribit Ambroſius l. 1. de Pœn. c. 3. *Ajunt ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus.* Verum, cum Epiphanius Hær. 59. S. Philaſtrius Hær. 82. S. Eulogius, Hieronymus, & Ambroſius ipſe cap. 2. unanimiter doceant, Novatianos *omnia peccata paribus æſtimaſſe menſuris, & æque eum, qui gallum gallinaceum, atque illum, qui patrem ſuffocaverit, perpetuo damnandum*, dicendum, Montaniſtas, & Novatianos nimis odioſam agnoſcentes illam criminum æqualitatem ab ea receſſiſſe: unde Ambroſius poſt verba c. 3. laud. ait: *Non hoc quidem Novatianus, qui nemini dandam pœnitentiam putavit.* Falluntur ergo recentiores, qui ajunt, ante ſæculum XVI. neminem hoc Sacramentum impugnaſſe. De Valdenſibus autem, Wicleſiſtis, & Huſſitis dicimus cum Boſſueto l. 11. Hiſt. Variationum, numquam ab iis hoc Sacramentum fuiſſe negatum, licet improbos ſacerdotes poteſtate ſacramenta miniſtrandi carere affirmarent. Idem ſentiunt Juenin, Tournelyus, Witaſſe &c.

Not. II. Negarunt tamen præfracte hoc Sacramentum Zuinglius, Calvinus, Kemnitius, Illyricus &c. Lutherus, & Melancthon ancipites fuere, ſed ubi pœnitentiam Sacramentum videntur agnoſcere, negant abſolutionem actum eſſe judicialem: ſed ajunt eſſe declarationem extrinſecam, qua abſolutus excitatur ad fidem, credens a Deo ſibi remiſſa peccata. Eadem habet Confeſſio Auguſtana, quæ negat, pœnitenti neceſſarium eſſe enumerare peccata, modo *ex Evangelio, ſeu abſolutione credat propter Chriſtum remitti peccata.* His prænotatis ſit

Propositio I. Pœnitentia eſt verum & proprium novæ legis Sacramentum, quo judiciaria poteſtate peccata ſolvuntur.

Prob. I. pars. Christus enim contulit sacerdotibus facultatem remittendi peccata, sed sacerdotes hoc præstant per verum & proprium Sacramentum pœnitentiæ; ergo &c. Prob. maj. Matt. 16. Petro ait Christus: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis*: quam facultatem contulit etiam aliis Apostolis. Jo. 20. dicens: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c.* ergo &c. Prob. min. Verum Sacramentum exigit, ut sit a Deo institutum, ut externo signo gratiam significet, & producat, sed in laud. verbis habetur expresse divina institutio, tum ritus externus & gratiæ symbolum; nam ut sacerdos solvat peccata pœnitentis debet exteriori signo judicium proferre, quo constet quibusnam remittat, quibus vero retineat. Exhibet etiam signum rei sacræ ipse pœnitens ad sacerdotis pedes provolutus, & sui ipsius accusator effectus. Hinc sequitur gratiæ collatio, sine qua neque peccati macula abstergitur, neque renovamur Spiritu S. ergo &c. Idem docet Trid. Synodus sess. 14. c. 1. ubi ait: *Dominus Sacramentum pœnitentiæ tunc instituit, cum insufflavit in discipulos dicens: accipite Spiritum S. &c. Quo insigni facto potestatem remittendi, & retinendi peccata Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam PP. consensus semper intellexit.*

Prob. II. ex PP. Tertullianus l. de Pœn. c. 7. ait: *Hæc venena* (peccata nempe post baptismum commissa) *prævidens Deus collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam &c.* Ne quis vero accipiat hanc pœnitentiam secundam pro sola resipiscentia ait: *Hujus pœnitentiæ secundæ quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur.* S. Cyprianus l. de Laps. p. 383. commendat *remissionem factam per sacerdotes.* Et ep. 67. conqueritur a Marciano Arelaten. pacem denegatam fuisse *servis Dei pœnitentibus, & Ecclesiam lacrymis, & dolore*

lore pulſantibus. Et ep. 68. Pupianum rogat, ut *ſententiam dicat, ne tantus fidelium numerus ſine ſpe ſalutis & pacis exiſſe videatur.* Chryſoſtomus l. 3. de Sacerd. c. 5. ſummam ſacerdotum dignitatem commendat, ex quo iis, non angelis &c. dixerit Chriſtus: *Quæcumque alligaveritis &c.* & *Quorum remiſeritis &c.* Unde infert, eos plus poſſe, quam reges, qui tantum corporis vincula ſolvunt; ſacerdotes vero *ipſam animam* ſolvunt. Imo ait plus poſſe, quam Judæorum ſacerdotes, cum ipſis *non corporis lepram, verum animæ ſordes purgare conceſſum ſit.*

Eadem habet Theophylactus, aliique PP. Græci. Ambroſius l. 1. de Pœnit. c. 3. ait: *Deus miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.* Hieronymus l. 1. Dial. pag. 504. ait, hominem redimi a peccato ſanguine Salvatoris, aut *in domo baptiſmatis, aut in pœnitentia, quæ imitatur baptiſmatis gratiam.* Et ep. ad Demetriad. p. 790. pœnitentiam appellat: *Secundam poſt naufragium tabulam.* S. P. A. in Ench. n. 17. ait: *In Eccleſia remitti peccata: ipſam ideo Eccleſiam Spiritum S. pignus accepiſſe, ſine quo non remitterentur ulla peccata.* Et Tr. 49. in ea verba: *Solvite illum &c.* comparans reconciliationem peccatoris reſurrectioni Lazari, ait: *Quid eſt ſolvite, & ſinite abire: Quæ ſolveritis in terra erunt ſoluta & in cælis.* Victor Viten. l. 2. de Perſ. Vand. n. 11. inducit fidelium turbas ante martyrum veſtigia ita clamantes: *Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt: Quæcumque ſolveritis &c.* Sed ex his teſtimoniis illa nobis pœnitentia deſcribitur, quæ includit *exomologeſim*, qua ſacerdotis miniſterio pœnitentibus Eccleſia pacem largitur, & per quam ſacri miniſtri animarum maculas purgant, ſolvunt, remittunt &c. ergo &c.

Prob. III. Ex perpetua Ecclesiæ consuetudine. I. enim nequeunt hæretici ostendere, quinam primus hoc Sacramentum, sive apud Orientales, sive apud Occidentales invexerit, qui unanimiter sacramentalem absolutionem pœnitentium agnoscunt, ejusque varias exhibent formulas in Ritualibus libris a Morino, Martenio, aliisque collectas. II. Perpetuam hanc Orientalium fidem testantur Jobus Monachus, Simeon Thessalon. Jo. Palæologus, Hieremias Patr. C. P. aliique, & plura momenta apud Allatium. III. Apud Jacobitas etiam, & Cophtos perpetuo obtinuisse, saltem in Ecclesiis catholicorum, demonstrant Bernatus, Vanslebius, & Naironus apud Solerium. IV. Lutherus ipse, cui Melanchthon subscribit, inter Sacramenta *baptismum*, *pœnitentiam*, *& panem* recenset: unde in Confess. Augustana a. 11. legitur: *De confessione docent, quod absolutio privata retinenda sit.* Tandem retinuit hoc Sacramentum ipse etiam Henricus VIII. factus apostata. Constat ergo ex sacris litteris, ex consensu Ecclesiarum, ex PP. & ratione, *pœnitentiam esse vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, a Christo institutum*, ut definit Trid. Syn. can. 1. de Pœnit.

Ob. I. Marci 2. legitur: *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* ergo &c. II. In veteri lege nullum tale extitit Sacramentum, licet tunc etiam necessaria fuerit peccatoribus pœnitentia ex Trid. sess. 14. c. 1. ergo neque in nova. III. Sacræ litteræ Ps. 50. & Ezech. 18. remissionem peccatorum tribuunt soli *impiorum conversioni*, & resipiscentiæ; ergo &c. IV. ad Sacramentum certa verborum forma requiritur, sed hæc necessaria non est ad remissionem peccati, quod sola voluntate dimittitur; ergo &c. V. Locus Matth. 18. *Quæcunque ligaveritis &c.* accipi debet de injuriis invicem condonandis, teste Aug. serm. 16. de Verbis Dom. Ita etiam exponit Theophylactus in Matth. Jo. vero c. 20. loquitur de remissione facta per baptisma; ergo &c.

R. ad

R. ad I. Hoc argumentum urgeri etiam a Novatianis, quibus respondet S. Ambrosius l. 1. de Pœn. cap. 2. jus quidem Spiritus S. esse solvere & ligare &c. sed munus Spiritus S. esse officium sacerdotis, & l. 3. de Spiritu S. ait: *Per Spiritum S. peccata donantur, homines autem in remissionem &c. ministerium suum exhibent, non jus potestatis exercent.* R. II. cum Chrysost. dist. ant. Nemo potest dimittere auctoritate suprema, & propria virtute, conc. Spiritus S. munere, ministerio, & officio, neg. Id explicat S. D. exemplo regis & præfecti, qui non sua, sed regis potestate reos solvere potest, & vinculis alligare. Ad II. neg. cons. Ex quo enim necessaria semper fuerit pœnitentia, prout virtus est, non infertur non debuisse institui pœnitentiam, prout est Sacramentum ad facilius assequendam remissionem, quam *ex opere operato* producit.

Ad III. neg. cons. Sicut enim per novatores cordis conversio fidem non excludit, ita nec pœnitentiam. Nam vere pœnitens contemnere nequit sibi præstituta remedia. Ad IV. neg. min. Cum enim remissio illa fiat judiciaria potestate, opus est certa verborum forma. Ad V. dist. ant. Accipi debet relate ad fideles, qui debent injurias remittere commiseratione caritatis, conc. relate ad Ecclesiæ ministros, qui *judiciaria* potestate absolvere possunt, neg. Nam S. D. in iis verbis agnoscit *claves datas Ecclesiæ* l. 1. contr. adv. Leg. *& judicium propositorum* l. 20. de C. D. c. 9. Eadem sentit Theodoretus, qui ibid. injuriæ remissionem distinguit, ab ea qua culpas solvunt sacerdotes.

Propositio II. Pœnitentiæ Sacramentum diversum est a baptismo.

Prob. a Trid. PP. sess. 2. de Pœn. ubi plura assignant utriusque Sacram. discrimina I. Materia baptismi est aqua, forma: *Ego te baptizo*, sed neutrum adhibetur in pœnitentia; ergo &c. II. Minister baptismi judex non est, Ecclesia enim non judicat de iis, qui *in ipsam per baptismi* januam non sint ingressi,

greſſi, atqui miniſter pœnitentiæ habet judiciariam poteſtatem; ergo &c. III. Pœnitentia iterari poteſt, non baptiſmus; ergo &c. IV. Per pœnitentiam ſola actualia crimina dimittuntur, per baptiſma vero etiam originalis culpa dimittitur; ergo &c. Prob. II. Ex Aug. qui ep. 23. ad Bonif. ait, parvulum regenerari per baptiſmum, ſi vero adultus malus evadat, *tunc propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione, ſed alia curatione ſanentur.* II. Per Aug. l. 1. de Bapt. c. 16. miniſter baptiſmi eſt etiam laicus, pœnitentiæ vero ii ſunt, quibus *judicium datum eſt*, de quibus legitur: *Quæ ligaveritis.* III. Baptiſmum non iterandum tradit S. D. paſſim contra Donatiſtas. Pœnitentiam vero iterandam ait in ep. 54. ad Macedonium &c. nunc 153. in ep. 108. ad Seleuc. & l. 1. de Symb. c. 7. IV. Tandem diverſum utriuſque Sacramenti effectum oſtendit cit. ep. ad Seleuc. merito ergo definit S. Synodus Trid. *Si quis dixerit ipſum baptiſmum pœnitentiæ Sacramentum eſſe, quaſi hæc duo diſtincta non ſint, anathema ſit.*

Ob. I. Ex illo Jo. 20. *Quorum remiſeritis &c.* evincitur tantum, Apoſtolos juſſos eſſe Evangelium annuntiare, & baptizare in remiſſionem peccatorum. Quem ſenſum habent etiam verba Matth. ult. *Euntes, docete &c.* ergo remiſſio illa baptiſmo eſt adſcribenda, non pœnitentiæ, prout eſt Sacramentum. II. Marci 1. legimus Jo. prædicaſſe *baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*; ergo &c. Ap. ad Eph. c. 5. ait: *Chriſtus ſeipſum tradidit pro Eccleſia, ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ &c.* ſed ibi omnis mundatio baptiſmo tribuitur; ergo &c.

Prob. min. ex Auguſtino l. 1. de Nupt. c. 33. ubi ait: *Lavacro regenerationis omnia prorſus mala regeneratorum mundari, etiam quæ poſterius contrahuntur, non ut baptiſma repetatur, ſed quia ipſo fit, ut non ſolum antea, ſed etiam poſtea venia impetretur.* Eadem habet S. D. de Pecc. Orig. contra duas epiſt.

epift. Pel. & contra Jul. ergo &c. IV. Baptifmo promittitur æterna falus, nec deletur unquam, eoque nobis imputatur juftitia Chrifti, fed promiffio Dei, juftitia Chrifti, & virtus baptifmi femper manet, cum doceant fcholaftici, recedente fictione gratiam recipere eum, qui ficte baptizatur; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Nam longe diverfus fenfus eft loci Jo. 20. & Matth. ult. Et licet Cyrillus l. 12. in Jo. primum teftimonium in baptifmo etiam vim habere afferat, *dignos ad baptifmum vocando*, fubdit tamen S. D. *Sed alio modo* Spiritu S. afflati homines *remittunt, ac retinent, nempe cum filios Ecclefiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignofcunt.* Ubi exemplum profert inceftuofi Corinthii, quem Paulus tradidit in interitum, & poftea contritum fufcepit. Ad II. neg. conf. Nam baptifma Joannis non *vi propria* conferebat remiffionem, unde Præcurfor confluentes hortabatur, ut pararent viam Agno, qui tollit peccata mundi, vide Auctorem l. 31. c. 2.

Ad III. dift. min. Baptifmo tribuitur omnis mundatio, quatenus per ipfum induimus Chriftum, & inferimur Ecclefiæ, ubi funt peccatorum remedia, conc. quatenus hæc remedia excluduntur, neg. Valet ergo ad omnem mundationem baptifmus, quia per ipfum regeneramur, & nifi per eum fpiritalis vita daretur, nec pœnitentia, nec alia Sacramenta prodeffent.

Reapfe Apoftolus ibidem non folum lavacro baptifmi tribuit falutem, fed fidei etiam, fpei, & caritati: monens nos ut vitemus *immunditiam, avaritiam &c.* Ad prob. neg. conf. Nam S. D. poft verba laud. ftatim fubdit: *Quid enim prodeffet vel ante baptifmum pœnitentia, nifi baptifmus fequeretur, vel poftea, nifi præcederet?* Et l. 3. contr. duas ep. Pelag. *Si a me quifquam quæfierit, utrum per baptifmum falvi facti fuerimus . . . omni prorfus modo? refpondeo, non ita eft.* Et l. 6. contr. Jul. poftquam fcripfit pervenire hominem baptifmate

etiam

etiam ad perfectionem futuri ſæculi, ait hominem renovari de die in diem, atque id fieri, quando *opera ſpiritus eriguntur, opera carnis mortificantur.* Ad IV. diſt. maj. Et ea promiſſio eſt *abſoluta*, neg. *conditionata*, neque Sacramenta, neque cuſtodiam mandatorum excludens, conc. Ex quo autem baptiſmus effectum producat, *ſublato obice*, non ſequitur remittere peccata, quæ *alia curatione ſanantur*, neque aliorum ſacramentorum effectus producere.

Ob. II. Licet in conſecratione panis & vini diverſa ſit materia & forma, utraque tamen ſpecies ad eandem ſpectat Euchariſtiam; ergo a pari. II. Eadem diverſitas occurrit in presbyteratus, & epiſcopatus ordinibus, & tamen is non eſt ordo ab illo diverſus, ſed characteris extenſio; ergo &c.

R. neg. conſ. Nam in Euchariſtia utraque ſpecies ſignificat eandem cum Chriſto unionem, ad eandem ſpiritalem refectionem refertur, & eandem gratiam producit; at in baptiſmo ac pœnitentia diverſa gratia confertur, diverſa habetur ſignificatio &c. unde non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter ſecernuntur. Ad II. neg. conſ. Nam dato etiam epiſcopatum non eſſe ſacramentum, quod tamen controvertitur, & a multis negatur; Sacramentum eſt tamen pœnitentia, quæ non ſolum conſtat propria materia & forma, ſed etiam gratiam, relaxando actu alia delicta, ſua efficacia producit. Vide Auctorem.

Propositio III. Sacramentum pœnitentiæ eſt *præcipue* inſtitutum, cum Chriſtus inſufflavit in diſcipulos dicens: *Accipite Spiritum S. &c.*

Prob. I. auctoritate Trid. Syn. ſeſſ. 14. c. 1. ſupra laudati. Prob. II. ratione. Tunc enim *præcipue* inſtituta eſt pœnitentia, cum Dominus diſcipulis ſuis ligandi & ſolvendi contulit poteſtatem, ſed eam contulit poſt reſurrectionem, quando inſufflavit dicens: *Accipite &c.* ergo &c. Ubi nota: conſulto a S. Synodo adhibitam particulam *præcipue*, cum

PP.

PP. de *judiciaria potestate* exponant verba: *Quæcumque ligaveritis &c.* quæ ante Christi resurrectionem prolata sunt: sed cum iis verbis potestas illa data non sit, sed promissa, non relucet in iis præcipua, ac propria institutio. Sicuti, quia verba illa: *Nisi quis renatus &c.* sonant potius baptismi instituendi necessitatem, quam ejus institutionem, licet ab omnibus de baptismo explicentur, de ejus institutione accipi non debent, sed de necessitate. Hinc D. Thomas q. 84. art. 7. ait, *actus pœnitentis*, qui sunt pœnitentiæ materia, indictos a Christo initio prædicationis, *officium ministrorum* insinuatum Matth. 16; post resurrectionem denique *efficaciam hujus Sacramenti* manifestatam; recte ergo S. Synodus apposuit particulam illam *præcipue.*

Propositio IV. Hoc Sacramentum lapsis necessarium est ad salutem.

Prob. I. Per Sacramentum pœnitentiæ peccata solvuntur ex Prop. I. ergo &c. II. Trid. Syn. sess. 14. c. 2. ait: *Hoc Sacramentum lapsis post baptismum est necessarium ad salutem, ut nondum regeneratis ipse baptismus*, sed sine baptismo, vel in re, vel in voto, nemo salutem consequitur; ergo &c. III. S. P. A. Ep. 180. ad Honoratum ait: *Si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de sæculo exeunt, vel non regenerati, vel ligati?* Et de adulter. Conj. l. 1. c. ult. *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa*; ergo &c. IV. Accedit ratio: sacerdotes enim sunt judices in Ecclesia, & ministri a Domino constituti; ergo rei manent, qui cum possint renuunt ab ipsis absolvi, sicut reus in humanis permanet quisquis furtum, aut homicidium patravit, donec a principe, aut judice absolvatur.

Propositio V. Non datur peccatum irremissibile.

Prob. I. Is. 1. v. 16. legitur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* Et v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Jer. 34. *Revertatur unusquisque a via*

sua

ſua peſſima, & propitius ero peccato eorum. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, non morietur.* Joel. 2. *Convertimini ad Dominum, quia benignus & miſericors eſt.* Quæ loca proferunt S. Cyprianus, Ambroſius, & S. Pacianus, qui in ep. 1. idem confirmat exemplo *Davidis pœnitentis, cui propheta reſpondit: Dominus abſtulit a te peccatum tuum.* II. Deus vel pœnitentiam indicit, vel impœnitentibus mortem comminatur, ſed *numquam Deus non pœnitentibus comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti*, ait ib. Pacianus; ergo &c. *Quid autem durius*, ait Ambroſius l. 1. de Pœn. c. 1. *quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent. Nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperavit indulgentiam.*

Prob. II. ex PP. Ambroſius c. 2. de Pœn. ita Novatianos exagitat dicens: *Patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorem facitis, ſed Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.* Cypr. ep. 52. ad Ant. ait: *Si invenimus a pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, exorantibus Domini miſericordiam per ſacerdotes ejus pax poteſt concedi.* S. Pacianus idem probat ex Evang. parabolis drachmæ muliebris, ovis erraticæ, filii prodigi &c. Poſt hæc communem Novatianorum reſponſionem ſic refellit: *Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt: ſed & quod per ſacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt, quod dicit: Quæ ligaveritis &c.* S. P. A. l. de Agone Chriſtiano c. 31. de Novatianis ait: *Dum nolunt credere datas Eccleſiæ claves regni cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt: nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua ſanitate cuſtodiunt, ſed ægris ſubtrahunt medicinam.* Cumque l. 1. de ſerm. Dom. in monte ſcripſiſſet dari peccatum, quod nequit remitti, l. 1. Retr. c. 19. id corrigens, ait: *Addendum fuit, ſi in hac perverſitate vitam finierit, quoniam de quocumque peſſimo in hac vita non eſt deſperandum?* ergo &c.

Prob.

Prob. III. ex definitionibus Ecclesiæ. Nam S. Cornelius in Concilio 60. Episcoporum opinionem Novati declaravit: *Immanissimam*, *& a fraterna caritate alienam*, & in eadem Synodo confirmata sunt decreta Synodi Carthagin. *de lapsis recipiendis*, a Cypriano coactæ. Collegit etiam Cornelius ea de re episcoporum sententias, qui Rom. Synodo non interfuere *per Italiam*, *& Africam*, *aliorumque locorum provincias*, ut narrat Eusebius l. 6. c. 43. constat ergo Cornelii ævo omnes catholicum dogma propugnasse. A sæculo III. ad hæc usque tempora semper Ecclesia Novatianum dogma execrata est, & præter Conc. Lateran. IV. an. 1215. celebratum, quod antiquas definitiones confirmavit, Trid. Synodus sess. 14. c. 1. ait: *Novatianos remittendi potestatem negantes Ecclesia catholica tamquam hæreticos condemnavit.*

Prob. IV. ratione. Deus enim veniam obtulit Caino fratricidæ; unde Epiphanius infert, neminem, *si exciderit*, *ab Ecclesia deserendum esse*. II. In sententia Novatiana plus esset virium devicto diabolo ad perdendas animas, quam Christo ad eas sanandas, ut notat S. Pacianus ep. 1. & Ambrosius l. 1. de Pœn. c. 3. *Quos Christus ad salutem redemit*, *eos Novatianus damnat ad mortem*, & D. Hieronymus in ep. 82. ad Oceanum ait, inde sequi, quod *Christus frustra mortuus sit*, *si aliquos vivificare non potest.* III. Præcipit Christus, ut Ecclesiæ ministri misericordiam suam imitentur; ut pro omnibus orent, neminem deserant &c.; ergo &c.

Ob. I. Ecclesiasticus c. 21. semel lapsum ad resipiscentiam exhortatus ait: *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas*, *plagæ illius non est sanitas*; ergo &c. II. Prov. c. 1. Is. 45. & Jer. 7. habetur: *In interitu vestro ridebo.* III. *Amos* 1. *Super tribus sceleribus*, *& super quatuor non convertam eum.* IV. 1. Reg. 2. *Si in Dominum peccaverit vir*, *quis orabit pro eo?* V. Mach. 9. *Orabat hic scelestus Dominum*, *a quo non esset misericordiam consecuturus.* Et

Hebr. 12. de Esau habetur: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisiſſet eam;* ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Vult ergo Ecclesiasticus peccata divinam majestatem irritare, atque homini tale vulnus inferre, cui solus Deus sua gratia mederi potest. Ad II. R. ea loca accipienda esse de iis, qui conversionem differunt de die in diem: unde justo Dei judicio deserunt, & deseruntur, sicque miserrime pereunt. Ad III. R. Hieronymus, peccatum *quartum* esse *post peccatum non agere pœnitentiam, in suo sibi complacere delicto.* Theodoretus, aliique hunc locum exponunt, quod iterata scelera Deum compellunt ad punitionem.

Ad IV. R. Eli ibi filios a scelere deterrere voluisse dicendo, cum sacerdotes pro populo interpellent, si ipsi peccent, nullus e populo pro iis offert sacrificium, ita S. P. in Ps. 136. Ambrosius autem l. 1. de Pœn. ait, ea phrasi quæri, non excludi, *qui in tali causa orare possit*, ut non excluditur habitator tabernaculi Dei ex v. 1. Ps. 14. *Quis habitabit &c.* sed significari non quemcumque de vulgo orare debere, ut Moyses pro populo. Ad V. R. Chrysostomus, Esau *non ut oportuit egisse pœnitentiam.* Nam de amissa hæreditate, non de culpa doluit; sed continuo in fratrem odio, & invidia contabuit. Adde, Apostoli locum accipiendum de benedictione paterna, quam Esau non potuit lacrymis *invenire*, ut legenti patet. Antiochus etiam non de culpa doluit, sed de pœna, quia *fœtorem suum ferre non poterat*, ut legitur loco cit. Unde infert S. P. Antiochum *non fuisse dignum*, cui misereretur Deus.

Ob. II. Matth. 12. habetur: *Quicumque dixerit verbum contra Filium remittetur ei, qui autem contra Spiritum S., non remittentur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* II. Hebr. 6. habetur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati . . . & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei &c.* III. Ib. c. 10. habetur:

Volun-

Voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia. IV. 1. Jo. 5. legitur: *Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico, ut roget quis;* ergo &c.

R. ad I. retorq. argum. Ibi enim dicitur: *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur; cur ergo alligant vincula, quæ non ſolvunt?* ait Ambroſius l. 2. de Pœn. Deinde, ſi Filius, & Spiritus S. eſt Deus, & tamen blaſphemia in Filium remittitur; ergo non a gravitate peccati, ſed aliunde repeti debet, ſi non dimittitur. R. II. cum Aug. ſerm. 71. de Verb. Ev. Matth. n. 23. blaſphemiam in Spiritum S. eſſe *peccatum impœnitentiæ contra donum Dei, & gratiam regenerationis, vel reconciliationis, quæ fit in Eccleſia in Spiritu S.* ex. gr. peccatum hæreticorum, & ſchiſmaticorum, quos non pœnitet ejus peccati, quo alieni ſunt ab Eccleſia Dei, in qua per gratiam Spiritus S. fit remiſſio omnium peccatorum. Hæc reſponſio falſa videtur Tournelyo, & Bellarmino, ex quo nec blaſphemia in Filium remittatur, ſi cum impœnitentia finali conjungatur.

Verum non ait S. P. ib., blaſphemiam in Spiritum S. eſſe tantum impœnitentiam finalem, ſed talem eſſe dividi a Chriſto, & velle extra unitatem corporis ejus remiſſionem peccatorum: itaut, ſi quis ab Eccleſia ſeparatus agat pœnitentiam, & non redeat ad unitatem, ſalvari nequeat. Unde S. D. Ep. ad Bonif. exponens quodnam ſit peccatum, quod numquam dimittitur, ait: *Hoc eſt autem duritia cordis uſque ad finem vitæ, qua homo recuſat in unitate corporis Chriſti, quod vivificat Spiritus S. remiſſionem accipere peccatorum.* Per Auguſtinum ergo vere & proprie numquam blaſphemia in Spiritum S. dimittitur, quia nunquam eſt particeps Dei caritatis, qui hoſtis eſt unitatis. Sed qui in Eccleſia eſt, licet blaſphemet in Filium, ſi pœniteat, veniam conſequetur, quærens Spiritum S. in corpore Chriſti: contra vero ab Eccleſia alienus, repugnans gratiæ vivificari nequit ſpiritu Chriſti, qui eſt ſal-

vator tantum corporis ſui. Eadem ſentit Ambroſius, qui cap. 4. ait, blaſphemos eſſe in Spiritum S. *qui membra Chriſti diſcerpunt, & ſeparant Eccleſiam Domini.* Hinc tamen non ſequitur, irremiſſibilia eſſe peccata ſchiſmaticorum &c. ſed ſolum, remiſſionem non haberi extra Eccleſiam.

R. II. cum Chryſoſtomo, Matth. per verba illa: *Non remittetur &c. ſignificare voluiſſe præ omnibus hoc peccatum minus eſſe ignoſcibile*, & peccatum veritatem apertiſſimam impugnantium difficilius remitti: quo ſenſu dicitur Matth. 24. *Cœlum, & terra tranſibunt, verba mea non præteribunt.* Et ratio eſt, quia peccatum illud eſt ex malitia, non ex ignorantia, adeoque nec ſpes eſt reſipiſcentiæ. Ad II. R. I. cum Epiphanio, Chryſoſtomo, Ambroſio, aliiſque ſenſum Apoſtoli eſſe, eos, qui ſemel baptiſmo renovati ſunt, non poſſe iterato baptiſmate conſequi amiſſam regenerationis gratiam, quæ iteratio ſumma eſt Chriſti injuria, quaſi ſemel affixus cruci rurſus mori debeat ad exhaurienda peccata. Quod non impedit, quin patrata a baptizatis crimina deleri poſſint per pœnitentiam. Semel enim renaſcimur, at amiſſam valetudinem ſæpius inſtauramus. Epiphanius enim notat, Apoſtolum loqui adverſus eos, qui Judaicis moribus aſſueti, volebant baptiſmum identidem uſurpare. Inconcuſſa eſt ergo allata reſponſio.

R. II. alii: τὸ *impoſſibile* ab Apoſtolo dici, quod arduum & difficillimum eſt, uſitata ſcripturæ phraſi. Ad III. diſt. ant. cum Chryſoſtomo hom. 20. *Non eſt amplius hoſtia, hoc eſt non eſt amplius crux ſecunda, hoc enim vocat hoſtiam Apoſtolus*, conc. *non eſt amplius pœnitentia, neque eſt amplius remiſſio*, neg. Vid. R. præced. Ad IV. neg. conſ. Nam ex can. 5. Nicæn. II. *peccatum ad mortem eſt quando quidam peccantes incorrepti perſiſtunt.* Accedit S. P. A. l. de Corr. & gr. c. 12. ubi ait, illud peccatum eſſe *fidem, quæ per dilectionem operatur, deſerere uſque ad mortem.* Nam pro quovis peſſimo peccatore

tore

" tore vivente non eſt deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur.

Opp. III. PP. Eccleſiæ: I. Hermas, ſeu Paſtor de iis, qui Deum negarunt ait l. 3. Similit. 3. *His igitur non eſt locus pœnitentiæ.* II. Tertull. de Pudic. c. 1. improbat Zephirini edictum, quo *Pontifex maximus edicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* De Pœnit. autem l. 7. ait: *Collocavit*, Deus, *in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, ſed amplius numquam, quia proxime fruſtra;* ergo &c. III. Auctor Conſt. Ap. l. 2. c. 23. *Si quis rebellis delinquat tentans Deum, quaſi malos non inſectantem, hujuſcemodi venia carebit.* IV. Idem docuere Origenes, & Theognoſtus apud Athan. ep. ad Serap. qui eorum ſententiam probat, ſi reſtringatur ad blaſphemiam in Spiritum ſanctum. V. S. Cyprianus de Lapſis pag. 379. oſtendit, nec Moyſen pro peccatis populi orantem obtinuiſſe peccatoribus veniam, queis aptat illud Ezech. 14. *Si Noe, Daniel, & Job fuerint in medio ejus, filium, & filiam non liberabunt.* VI. S. Pacianus Ep. 3. de blaſphemia in Spiritum S. qua impius non vult videre quod videt, ait: *Hoc eſt ergo, quod non dimittetur.* VII. Ambroſius l. 2. de Pœn. c. 4. ait, hæreticis, & ſchiſmaticis denegari indulgentiam: & l. de Lapſu virginis ait: *Quæ proprie in Dominum peccaſti, ab ipſo ſolo te convenit in die judicii expectare remedium.* VIII. Hieronymus ait in cap. 12. Matth. *Qui manifeſte intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare non poſſit, eandem calumniatur, & Chriſtum, & opera Spiritus S. dicit eſſe Beel-zebub, iſti non dimittetur neque in hoc ſæculo &c.* Et ep. ad Marcellum ait: *Probet Novatianus aliquem de his, qui ſacrificare compulſi ſunt, reſpondiſſe omnia, quæ in Evangelio ſcripta ſunt a Beel-zebub fuiſſe perfecta, & tunc poterit approbare irremiſſibilem in Spiritum S. eſſe blaſphemiam. Doceat aliquem negatorem Beel-zebub vocaſſe Chriſtum, & ultro referam*

gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam; ergo &c.

R. ad I. dist. ant. *Non est locus* impœnitentibus, & obstinatis, de quibus Hermas verba facit, conc. resipiscentibus, neg. de his enim ait: *Si cito pœnitentiam egerint, in turri sedem habebunt, si autem non egerint, mortem sibi acquirent.* Ad II. R. Tertullianum cum librum edidit de Pudicitia jam defecisse ad Montanistas. In lib. autem de Pœn. hæc habet Tertullianus: *Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* De his tamen, qui iterum delinquunt ait: *Iteratæ valetudinis iteranda medicina est.* Ad III. dist. ant. Venia carebit, nisi pœniteat, conc., secus, neg. Legitur enim ib. *Gravius delictum idololatria non reperitur; nihilominus tamen & illud per sinceram pœnitentiam condonatum est.*

Ad IV. R. ex Athanasio duo affirmari ab Origene, & Theognosto, primum blasphemiam in Spiritum S. esse, *cum ii, quibus in baptismate donum Spiritus S. tribuitur, ad peccata recidunt*, alterum hos *remissionem non consecuturos*: sed prior pars ab Athanasio refellitur n. 12. & 13. Nam Paulus Corinthium, qui post baptismum peccaverat, pœnitentem suscepit, & Galatas reformare studuit. Quod vero baptizatorum peccata non remittantur, Origenes non absolute affirmavit, sed relate ad eorum peccata, qui ante baptismum delinquunt, ob Ecclesiæ disciplinam, qua olim lapsi a fidelium communione rejiciebantur. Nam l. 3. contra Cels. ait: *Qui peccata sua damnant toto pectore, ac mox mutationem præseferunt, eis demum condonat*, Deus, *errata præterita.* Idem de Theognosto dicendum est, cujus opera periere. De Cypriano dicemus alibi. Athanasius autem blasphemiam in Spiritum S. irremissibilem appellat, si adsit pervicacia, quod sæpe contingit: nam blasphemiam illam S. D. sæpe Arianis adscribit; atqui Athanasius in Synodo Alexandrina ann. 362. decrevit, Arianos esse recipiendos, modo hæresim

ejura

ejurarent, & Nicænam fidem fufciperent: ergo &c. Et l. de comm. Effentia Patris &c. pag. 69. ait: *Non dixiffe Chriftum blafphemanti, & pœnitentiam agenti remiffionem dandam non effe, fed blafphemanti, id eft in blafphemia remanenti. Quandoquidem nullum eft peccatum irremiffibile apud Deum illis, qui vere & ex animo pœnitentiam agunt.*

Ad V. R. S. Cyprianum iis verbis voluiffe gravitatem criminis oftendere, & veniæ difficultatem, vel peccantis populi obftinationem, qui *dura cervice femper Spiritui S.* reftitere. Ad VI. Idem efto refponfum: qui enim nolunt videre quæ vident, funt impœnitentes, & in malo obdurati: ait enim ib. Novatianos refutari Chrifti fententia: *Quæcumque folveritis &c.* quibus verbis ait, *Chriftus nihil excepit, non magna, non modica peccata.*

Ad VII. Miffa refponfione Morini, aliorumque, quam merito improbat cl. Auctor hoc loco, quem confulere potes, refpondetur Ambrofium appellaffe inexpiabile hæreticorum fcelus pro eo tempore, quo fegregantur a Chrifti membris, juxta Auguftini doctrinam fupra explicatam. In lib. vero de Lapfu virginis nil aliud innuit S. D. nifi mulierem illam Sufannam nomine, quæ poft emiffum virginitatis votum fæpius ab adolefcente vitiata cum maxima plurimorum offenfione infantem necaffe dicebatur, debere juxta difciplinam illius ævi ad extremum ufque vitæ in pœnitentia perfiftere. Ceterum eandem lapfum ib. fic hortatur: *Sed tu, quæ jam ingreffa es agonem pœnitentiæ, fortiter inhære, tamquam in naufragiis, tabulæ, fperans per ipfam te de profundo criminum liberari.*

Ad VIII. dift. conf. Ait Hieronymus, blafphemiam in Spiritum S. numquam remitti abfolute, neg. fi in improbitate permaneant, ut faciunt plerumque qui peccant, non ignorantia aut infirmitate, fed malitia & pervicacia, conc. Conftat enim Hieronymum in ep. ad Oceanum Novatianos aperte refellere. Et in ep. ad Marcellam contra eofdem

demonſtrat, blaſphemiam in Spiritum S. non eſſe quodlibet lethale crimen baptizatorum, quod probat iiſdem Athanaſii argumentis in ep. ad Serapionem. Vide Auctorem.

CAPUT III.

De prima pœnitentiæ parte, ideſt de Contritione.

Not. I. Tres pœnitentis actus contritionem nempe, confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe Sacramenti Pœnitentiæ *quaſi materiam* caute a Trid. PP. definitum eſt, indefinitum relinquendo ſcholaſticis, num actus illi ſint materia *intrinſeca*, an *objectiva* & extrinſeca: mens enim S. Synodi erat Lutheranos refellere, qui duas ſtatuebant partes Pœnitentiæ, nempe *terrores conſcientiæ incuſſos, & fidem conceptam ex Evangelio, ſeu abſolutione, qua quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata*, ut habetur art. 12. Confeſſ. Auguſtanæ. Ubi male terrores incuſſi pars pœnitentiæ dicuntur, male his adnumeratur fides, male abſolutioni tribuitur munus Evangelii &c.

Not. II. Catholicos omnes requirere ex parte pœnitentium, contritionem cordis, confeſſionem oris, & operis ſatisfactionem. Quæ tria ſimul comprobat ratio Sacramenti, quod per modum judicii eſt inſtitutum, & in quo reſipiſcentia, & dolor neceſſario requiritur ad vitæ emendationem, & ut diſpoſitio reconciliationis; confeſſio præmittenda eſt, ut judex cognita cauſa ſententiam ferat, ſatisfactio tandem, ut injuria Deo illata reparetur. Unde S. P. A. in Pſ. 146. ait: *Sanat contritos corde, ſanat confitentes, ſanat ſeipſos punientes.* Has tres partes nonnulli explicant exemplo Publicani, Ninivitarum, Lazari, & filiæ Archiſynagogi, ſed horum plura ſymbola potius ſunt, quam firma & inconcuſſa argumenta. His notatis ſit

Propositio I. Nec terrores incuſſi, nec fides ſunt partes pœnitentiæ, ſed contritio, confeſſio, & ſatisfactio.

Prob.

Prob. I. pars. I. enim illa ſunt potius contritionis origo vel cauſa, non ipſa contritio, licet hæc non uno ex capite oriri poſſit. II. Contritio, ac pœnitentia virtus eſt, non prout importat paſſionem indeliberatam, & extrinſecus provenientem, ſed prout dicit motum aliquem liberum, rectamque voluntatis electionem, ut ait S. Thom. 3. p. q. 83. art. 1. atqui terror incuſſus paſſionem dicit, externa pœnarum intimatione excitatam, non electionem, nec propoſitum voluntatis, aut liberum aliquem motum; ergo &c. III. docent hæretici, terrores, quos *contritionem* appellant, naſci, cum verbo Dei redarguuntur peccata, quibus peccator percipiens ſuorum criminum fœditatem, timore concutitur; ſed dolor ex terrore proveniens per novatores non pœnitentem aliquem facit, ſed magis hypocritam, & peccatorem; ergo nec in ſententia hæreticorum terrores illi pars ſunt pœnitentiæ. IV. Si terrores illi ſint pars pœnitentiæ, quia Evangelium redarguens peccata terrorem incutit, *cur pari ratione ſpem, charitatem, ceteraſque virtutes* (nam & ſpem & caritatem &c. in nobis excitat, ac præcipit Evangelium) *non faciunt eſſe pœnitentiæ partes?* ut in Harm. Confeſſ. Auguſtanæ arguit Andreas Leodius.

Prob. II. pars. Quamvis enim ad remiſſionem peccatorum fidem neceſſariam eſſe catholici fateantur, negant tamen eſſe pœnitentiæ partem, non enim ſequitur, ex quo fides ad pœnitentiam prærequiratur, ejus tamen eſſe partem, ſicut non tenet hæc illatio: *Cognitio dilectionem præcedit; ergo hujus eſt pars.* Inepte etiam ratiocinantur Novatores, cum ajunt, fides eſt primum gratiæ donum, quod cauſat pœnitentiam; ergo hujus eſt pars: ſicut inepte quis argueret dicens, Deus eſt rerum omnium cauſſa effectrix; ergo & earum pars. II. Novatores fidem poſt terrores enumerant, ſed qui non credit Deum impios perdere in gehennam, hanc non metuit; ergo fides præcedit, non ſequitur terrores incuſſos.

Docent etiam hæretici, veram fidem in peccatore non esse; quomodo ergo potest justificari per fidem, quando ei offertur per Evangelium remissio? Vide Auctorem. Merito ergo Novatorum doctrinam confixit Leo X. & Trid. Synodus, eamque execrati sunt, præter Melanchthonem, Cassander, Leodius, Hoffmeisterus, Virvesius, aliique hæretici, & catholici omnes.

Prob. III. pars, ex Not. II. hujus cap. Contritio autem, quæ in his tribus partibus priorem locum habet, definitur a Trid. PP. *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Hunc dolorem præcedere fidem, spem, & aliquam dilectionem Theologi docent. Ad justificationem quippe disponimur, dum excitati, & adjuti divina gratia fidem ex auditu concipientes libere movemur in Deum credentes, quæ divinitus revelata, & promissa sunt; atque inter ea, Deum esse remuneratorem bonorum operum, & malorum vindicem: quæ omnia imbuti fide memoria repetentes utiliter divinæ justitiæ timore concutimur. Hinc docent scholastici, initium pœnitentiæ esse ex timore: nam ex Aug. *Timor primo occupat mentem:* non tamen in eo sistit, sed inde ad considerandam Dei misericordiam se convertens, fidens Deum propter Christum sibi propitium fore, conceptum timorem spes firma consequitur.

Hac itaque fretus Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiens, peccata odit, & detestatur, statuit ab iis cessare, & novam vitam incipere: ita peccatum, quod cœperat displicere propter supplicia, displicet subinde ob Dei offensam. Hæc Trid. Syn. sess. 6. Hinc sequitur I. timorem servilem esse donum Dei, & disponere ad gratiam, & *quasi locum præparare caritati*, ut ait S. P. A. II. non rejici a nobis fidem, ut calumniabantur hæretici, III. contritionem nostram non coactam esse, sed liberam. Vid. Auct. l. 19. c. 4. & l. 23. c. 12. Ad contritionem autem necessarium esse etiam novæ vitæ propo-

propoſitum ex Trid. conſtat ſeſſ. 6. c. 4. Atque illud debere eſſe explicitum, & *formale* probabiliter cum Soto, Cajetano, Sylvio, aliiſque exiſtimamus. I. enim ipſum propoſiti nomen deliberationem aliquam ſonat. II. Concilii verba odium vitæ veteris, & novæ propoſitum in contritione eſſe declarant. III. Hæc ſententia tutior eſt, & in re Sacramentaria tenenda. Unde Sylvius ipſe ait: *Per ſe, ſeu ordinarie loquendo, propoſitum non peccandi debere eſſe formale, & expreſſum, alioquin fruſtra hanc partem* CUM PROPOSITO *&c. in definienda contritione addidiſſent Concilia Florent. & Trid. niſi intellexiſſent, debere eſſe explicitum, quia implicitum continetur in priori parte:* DOLOR DE PECCATO *&c.* quibus verbis Concilii pro ſcribitur hæreticorum articulus, quo ajunt, *contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum non præparare ad gratiam Dei.*

Hujus contritionis tres ſunt conditiones, nempe ut ſit interior, vera, & ſupernaturalis. I. conditio evincitur ex ſcripturis, ubi legitur: *Convertimini ad me in toto corde*, tum ex definitione cit. Concilii Trid. & ex ratione: nam in animo extat ratio virtutis, & meriti. Hinc dolor ſenſibilis in lacrymas erumpens, licet laudabilis, verus non eſt, niſi animum cruciet. II. conditio eſt, ut ſit vera, non fallax, qualis plerumque eſt in iis, qui tenues quaſdam ac ſteriles animi commotiones exiſtimant veræ contritionis effecta, quæ ſane vera non eſt, niſi ſit ex toto corde. III. conditio eſt, ut ſit ſupernaturalis, ut conſtat ex Prop. 57. ab Innoc. XI. proſcripta: *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.* Hinc Trid. Syn. ſeſſ. 6. c. 3. ait, *neminem ſine Spiritus S. inſpiratione pœnitere poſſe, ſicut oportet;* qui ergo propter infamiam, morbum, vel mortem corporis doleret, non haberet ſufficientem contritionem, ſed inutilem, & extortam, ut de Antiocho dictum eſt.

CAPUT

CAPUT IV.

De dolore neceſſario ad conſequendam gratiam, in Sacramento pœnitentiæ.

Not. I. Quæri ſolet non ſine animi contentione, an dolor iſte aliquem Dei amorem includat, an ille ſufficiat, qui ex ſupernaturali timore gehennæ concipitur, cui nulla accedat dilectio, ſive dolor ille imperfectus, quem *attritionem* appellant. Quæ vox nec ſemper, nec eodem ſenſu uſurpata eſt, nam ab ea veteres theologi Hugo, Ricardus, Magiſter, aliique abſtinuere, & audiri cœpit circa ann. 1230. & a Guillelmo Pariſien. primum, deinde ab Alexandro de Ales, & Alberto M. eſt uſurpata, licet contritionis vocabulum fuerit quovis tempore uſitatiſſimum. Sed nullum hac de re cum adverſariis diſſidium.

Quod ſpectat ad ſenſum. *Attritio* ſignificat apud omnes contritionem imperfectam, quæ imperfectio oritur I. ex defectu conditionum, quas ſupra laudavimus, nempe, ſi ex corde non proveniat, ſi naturalis ſit &c. quo in caſu *attritionem* non eſſe ſufficientem probi omnes norunt. II. Imperfecta etiam dicitur, quæ ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ metu ſupernaturali concepta expoliatur dilectione Dei benevola.

III. Dicitur imperfecta, quoniam concepta ex metu gehennæ procedit ad amorem *initialem*, & peccata odio habita propter ſupplicia, diſplicent ob Dei offenſam, nondum tamen eſt caritate formata, quæ remiſſionem pecc. importat; differt ergo *attritio* a *contritione* juxta nonnullos, ex intenſione caritatis, quia hæc procedit a caritate perfecta, illa vero ab initiali amore, tenui, & remiſſo. Quare non omnes, qui ſcripſere *attritionem* ſufficere &c. amoris initialis negarunt neceſſitatem, Juxta alios vero dolor perfectus oritur ex amore caritatis, cujuſcumque gradus ille ſit: imperfectus vero, ex ſolo metu gehennæ. Recte ergo Noſtrates ad omnem

vitan-

vitandam ambiguitatem duplicem ſtatuunt *attritionem*, primam, quæ oritur ex metu pœnæ, & includit initialem Dei amorem, ut ſupra dictum eſt, alteram, quæ conſiſtit in ſolo timore, & culpam odit, quia gehennam promeretur: prima ex D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 4. & 8. *attritio initialis* dicitur, altera *ſervilis*. Docet enim S. D. ib. *objectum timoris ſervilis eſſe pœnam*, de timore autem initiali ait, eſſe illum, *qui competit ſtatui incipientium, in quibus inchoatur quidam timor per inchoationem caritatis.*

Not. II. Lutheranos præſertim affirmaſſe, quidquid ſine caritate agitur eſſe peccatum; nullam proinde contritionem eſſe bonam, niſi concipiatur ſolo amore, qui timorem omnem expellat: & ſi quis ſibi contritionem parare vellet per *diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum* recogitando in amaritudine animæ ſuæ peccatorum numerum & fœditatem, ipſum fieri *hypocritam, & magis peccatorem.* Quod in Lutheranis articulis proſcripſit Trid. Syn. can. 5. ſeſſ. 14. Hinc ſequitur I. timorem, qui prævenit caritatem, bonum eſſe, II. ab eo haberi pœnitentiæ initium, III. imperfectam caritatem, quæ timorem non excludit, nullam maculam ab ipſo contrahere, IV. contritionem nobis parandam eſſe ponderatione judicii & gehennæ: quæ omnia nos adverſus hæreticos propugnamus. An vero ſolus timor ſufficiat non ſpectat ad hanc hæreſim oppugnandam.

Not. III. Quatuor ea de re eſſe catholicorum ſententias. I. Eſt Hugonis Victorini, Richardi, Alberti M. Alenſis, Bonaventuræ &c. qui docent contritionem *caritate perfectam*, quæ delet culpam apud Deum, & caritati habituali conjungitur, præcedere debere pœnitentiæ Sacramentum. II. eorum eſt, qui tenent ſufficere *attritionem ſervilem* etiam a caritate initiali, & ab omni actu amoris benevoli ſejunctam, quæ, ex. gr. ex metu gehennæ, & ex peccati turpitudine concipitur.

III. præ-

III. præter attritionem mox defcriptam aliquem requirit amorem fpei, quo Deus diligatur ut bonus nobis, non autem amorem charitatis, quo diligatur propter fe. IV. quam fequuntur Noftrates, aliique viri cl. docet requiri amorem aliquem initialem, nec fat effe *attritionem fervilem*, quæ in folo gehennæ metu confiftit, nec ad amorem procedit, nec fufficere amorem concupifcentiæ, fed exigi amorem charitatis. Hanc fententiam, quam vellicare nonnulli aufi funt, & ab omni cenfura immunem, & Tridentinæ Synodo confonam, & aliis præferendam effe infra oftendemus.

PROPOSITIO I. Nec fententia de neceffitate amoris initialis, nec ei oppofita ulla poteft cenfura notari.

Prob. I. ex decreto Alex. VII. ann. 1667. quo fub pœna excommunicationis interdicitur *cunctis & fingulis fidelibus, ne audeant alicujus cenfuræ nota taxare alterutram fententiam, five negantem, five afferentem aliqualis dilectionis Dei neceffitatem in attritione, donec a S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* II. Benedictus XIII. utriufque fententiæ meminit, neutram definitam effe declarans. Et Benedictus XIV. nullum non movit lapidem, ut vir cl. Jofephus Gorinius, qui ab ingreffu Xenodochii Mediolan. interdictus erat, eo quod noftra fententia in inftituendis infirmis uteretur, iterum ad laudabile munus exercendum affumeretur.

Prob. II. Ex pluribus Thefibus ubique propugnatis probantibus fupremis Judicibus. 1. In ædibus Sacræ Facultatis Parifien. ab anno 1675. ufque ad annum 1678. hæc thefis defenfa & tradita eft: *Attritio ex metu gehennæ non eft fufficiens &c. nifi includat amorem Dei fuper omnia, faltem inchoatum.* 2. In Lovanienfi Univerfitate eam tradidere Tapperus, Heffelius, Raveftein, Stapletonus, & adverfus Ledentium Fervaques, Rolliers, Lupus, Vanroy, Piette, aliique noftrates. 3. In Duacenfi Eftius, & Sylvius. 3. In Regio Taurinenfi Lycæo an. 1739.

&

& præced. solemniter proposita est. 5. Eam tenent institutores Seminarii Veronensis, ac Patavini, Cistercienses, Clerici scholarum piarum, qui omnes *aliqualem amorem Dei benevolum imperfectum* requirunt; ergo &c.

Prob. III. auctoritate veterum Theologorum, qui Trid. Synodum præcessere. Pius Thomas Episcopus Stabiensis tom. 3. Exerc. in Prop. damn. ait, neminem ambigere, quin veteres omnes indiscriminatim asseruerint contritionem, quæ aliquam saltem imperfectam caritatem includat, necessariam esse ad valorem Pœnitentiæ. Auctor de Re Sacram. ait, contrariam sententiam Theologis, qui a XII. Sæculo ad Trid. tempora floruere, aperte adversari. Idem docet Morinus l. 8. de Pœn. c. 4. ubi per singulos Theologos accurate discurrens ostendit D. Thomæ, omniumque illius & præcedentis sæculi Theologorum fuisse circa necessitatem contritionis constantem sententiam: qui vero attritionis sufficientiam propugnant, aliud ea voce significasse, quam recentiores designent. Dominicus Soto in 4. dist. 18. scribit: *Doctrinam de attritione non esse multum vetus. Patres enim solam contritionem agnoscebant.*

Prob. IV. Ex decreto sacræ Facultatis Paris. quæ in Comitiis celebratis an. 1716. statuit: *Timorem gehennæ etiam supernaturalem, quamvis sit bonus & utilis, non excludere affectum peccandi, nec sufficere ad justificationem, sed præter timorem, actusque fidei & spei, requiri amorem Dei, quo Deum tamquam justitiæ fontem diligere incipiamus. Hoc solo amore converti voluntatem ad Deum, & averti a creatura. Amorem Dei super omnia, qui caritatis inchoatæ actus sit*, necessarium esse, *ut obtineatur remissio peccatorum*, quæ omnia docent nostræ sententiæ defensores; ergo &c.

Propositio II. Hæc sententia opponitur doctrinæ Hæreticorum a Trident. Synodo proscriptæ.

Prob. I. Ex art. 6. Lutheri, in quo rejicit *Theologiam illam, quæ inter odium & gratificantem amorem*

amorem medium fingit, quod contritionem paret. Et Jo. Echius lib. 1. de Pœn. c. 1. ostendit, in eo sitam esse controversiam inter Lutherum, & Catholicos, quod ille vellet *pœnitentiam, nonnisi amore concipi*, unde inferebat: *Eum, qui contritionem sibi parare vellet in amaritudine animæ suæ reddi hypocritam, & magis peccatorem:* atqui nos docemus oppositum ex supradictis; ergo &c. II. Lutherus ait: *Imperfectam caritatem esse impedimento ad introitum regni propter vitium, quo imperfecta est*, nempe propter metum gehennæ, qui per hæreticos inficit omnia, quæ ante caritatem justificantem fiunt ab impio, etiam actum amoris initialis, cui timor conjungitur; atqui nos negamus amorem imperfectum, & alia impiorum opera per timorem corrumpi, eumque amorem necessarium censemus ad gratiam; ergo &c.

III. Hæretici ex art. 12. Conf. Aug. duas agnoscunt pœnitentiæ partes, nempe *terrores incussos, & fidem.* Et Lutherus art. 12. a Leone damnato ait: *Si per impossibile confessus non esset contritus, si autem credat se esse absolutum, verissime absolutus est:* unde infertur, hæreticos justificationem repetere a sola fide, & falso calumniari catholicos, quasi hanc a pœnitentiæ Sacramento removeant. Nos autem ex adverso docemus, non a sola fide, & ejus motu justificationem pendere, sed ad hanc disponere fidem, spem, timorem, & dilectionem: justificationis vero gratiam tamquam causæ instrumentali tribuimus Sacramento; distant ergo nostrates a Lutherano dogmate.

IV. Hæretici magis insectabantur sententiam nostram, quam oppositam, cum enim justitiam a sola fide repeterent, damnabant eos, qui detestationem peccati, & dilectionem Dei propugnabant, tamquam necessarias ad justificationis gratiam: ut patet ex art. 12. Conf. Aug. anni 1540. ubi legitur: *Damnant illos, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere, sed propter dignitatem con-*

contritionis, dilectionis &c. Et Melanchthon in Apologia catholicis objicit, quod dicant: *Peccatorem per actum contritionis recipere remissionem peccatorum*, addens: *Hoc nihil est, nisi legem docere deleto Evangelio, quia lex exigit dilectionem.* Quos ita refellit Virvesius Philipp. 9. *Inter hæreticos numeratis eos, qui docent remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem, impie damnantes, quod Christus ait Luc. 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Unde sic arguitur: sententiæ hæreticorum docentium non fieri remissionem peccatorum ob præcedentem dilectionis actum, directe opponitur sententia docens ipsam dilectionem requiri, & sufficienter disponere ad gratiam in Sacramento recipiendam; sed hæc nostra sententia est; ergo &c.

Propositio III. Quæ reponere possunt adversarii opponentibus eorum sententiam fuisse a Trid. proscriptam, nostram sententiam confirmant.

Prob. Jo. Morinus, ut alios omittam, capiti 10. de Contr. & attrit. pag. 57. hunc præfigit titulum: *Concilium Trid. non modo non sancivit dolorem ex solo pœnarum terrore ortum justificationi sufficienter præparare, sed etiam hoc asserentibus anathema dixit.* Quod ut probet, præmittit Concilium sess. 14. c. 4. eos damnare: *Qui pœnitentiæ partes incussos timores, & fidem esse contendunt.* Deinde demonstrat ex art. 12. Conf. Aug. ex Kemnitio, & Calvino, per *terrores incussos* intellexisse hæreticos pavorem, & dolorem conscientiæ quærentis, *quomodo iram Dei & judicium possit effugere;* constat ergo in ea parte pœnitentiæ, quam hæretici vocant *timores incussos*, contineri dolorem animi, & odium peccati. Unde infert Morinus, quod *contritio, quæ procedit ex solo metu pœnarum conscientiæ incusso, nullumque aliud habet motivum, non est pars pœnitentiæ, ut docet Concilium adversus hæreticos.* Subdit Morinus: *Cum negat Concilium terrores &c. partes esse pœnitentiæ, non negat ista ad contritio-*

nem formandam concurrere, id enim damnat ſequenti canone; negat ergo eos partes eſſe pœnitentiæ, *quæ ad juſtificationem conſequendam nos ſufficienter diſponant.* Hæc Morinus.

Huic argumento facile occurri poteſt ab adverſariis dicendo, recte proſcriptas a Trid. duas illas pœnitentiæ partes *terrores incuſſos*, *& fidem*, non quod inſufficiens ſit diſpoſitio dolor conceptus ex metu gehennæ abſque motivo caritatis, ſed ob hæreſes plures ibi latentes. I. quia in ea diviſione excluditur confeſſio, & ſatisfactio, II. quia juſtificatio ſolum fidei tribuitur in hæreticorum ſententia & timor, & odium peccati ad gratiam non præparant. III. quia timor &c. magis animam inficit, & ad deſperationem inducit: *Donec enim fides accedat, contritio*, ajunt, *eſt fuga Dei & fremitus, quibus ruitur in æternum exitium* IV. quod poſt incuſſos timores, ſi accedat fides, habeatur contritio Petri, & Davidis, alias Judæ & Saulis. A quibus erroribus cum longe diſtent adverſarii, fallitur Morinus docens eorum ſententiam a Trid. Syn. eſſe proſcriptam. Atqui neque in noſtra ſententia excluditur *confeſſio & ſatisfactio*, neque adſcribitur juſtificatio ſolæ fidei, non aſſeritur timorem & odium peccati eſſe animi inquinamenta, neque id quod quarto loco effutiunt hæretici. Sed contra defendimus confeſſionem peccatorum, ſatisfactionem, rectitudinem timoris, negantes ſolam fidem juſtificare; ergo &c.

Propositio IV. Trid. Synodus non definit ſolam attritionem *ſervilem* ſufficienter diſponere.

Conſtat ex dictis, & prob. I. Ex Hiſtoria Conc. Trid. a Pallavicino conſcripta, ubi l. 12. c. 10. legitur, ſententiam plurium Theologorum, qui Concilio interfuere, fuiſſe in Sacramento pœnitentiæ neceſſariam eſſe caritatem aliquam initialem: *Didacus Lainez dixit Sacramento eſſe neceſſariam pœnitentiam, timorem, dilectionem &c. Dilectionem pariter tamquam neceſſariam enumeravit Jacobus Terruſius, cum Chriſtus pronuntiaverit: Remittun-*

tur

tur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. At Melchior Avoſmedianus dixit, prius nos propter pœnæ metum dolere, dein propter Deum, poſtea peccata confitemur. Eadem docuit Bernardus Colloredus, Franciſcus Contreja apud eundem Pallav. atqui incredibile eſt a Trid. PP. proſcriptam eſſe ſententiam a tot viris cl. propugnatam; ergo &c.

II. Addit Pallavicinus ibi: *Quantum ex actis conjicio, theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur tamquam inhoneſtum improbantium pœnæ timorem, non item ut ferrent ſententiam de quæſtione ſcholaſtica, an hujuſmodi timor, abſque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem in Sacramento:* atqui aſſertio noſtra ſcholaſtica eſt, & hæreticorum dogmati directe adverſatur ex Prop. II. ergo &c.

Id vero clare liquet, ſubdit Pallav. *ex ipſa probatione Concilii, qua Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipſis profuiſſe, docet, cum certum eſſet, eo tempore, quo Sacramentum pœnitentiæ non extabat, eam formidoloſam pœnitentiam minime ſuffeciſſe ad peccatum delendum, ſed vim habuiſſe ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur caritatis affectus, quem omnes neceſſarium fuiſſe fatentur ante novam legem ad juſtitiam recipiendam;* ergo non ſtatuit Trid. Synodus formidoloſam illam attritionem amore initiali deſtitutam ad juſtificationem ſufficere.

III. Narrat ibidem hiſtoricus, decretum Trid. Synodi ad eum modum, quo nunc legitur, inſtante Jo. Æmiliano Tudetano epiſcopo fuiſſe reformatum, & loco particulæ *ſolum* ſubſtitutum *communiter* in ea periodi parte, ubi legitur: attritionem ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipi. Deſunt etiam ea verba: *Qui ſervilis timor dicitur*, & illa: *Sufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*, item alia: *Cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat.* Unde infertur in decreto, quod promulgatum eſt, ſermo-

nem non coarctari ad solam attritionem servilem, quoniam explosa est particula *solum*, *& qui servilis timor dicitur;* potest ergo exponi Concilium de attritione, quæ *communiter* quidem concipitur ex timore servili, sed sæpe oritur ex amore initiali, sive ex timore ad amorem procedit: præsertim quod hanc etiam attritionem initiali amore conjunctam damnabat Lutherus. Deinde ex quo abrasa sint ea verba: *Sufficere ad Sacramenti constitutionem*, infertur noluisse Concilium præjudicium afferre sententiæ veterum scholasticorum docentium opus esse in Sacramento contritione perfecta, in qua ex Pallav. fuit laud. Tudetanus episcopus; ergo multo magis intactam reliquit eorum sententiam, qui asserunt necessitatem amoris tantum *initialis*, qui amor efficacia sua peccatum non remittit, *itaut attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi.*

IV. Pallavicinus causam assignans reformationis illius decreti ait, quod *laudatus episcopus Joannes Æmilianus* monuit, falso dici hujusmodi dolorem sine amore *vix concipi posse. Quod autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, variare auctorum sententias, adeoque id esse tolerandum: quamobrem decretum, sicut nunc extat, reformatum est;* ergo Concilium delens verba illa, quibus asserebatur contritionem imperfectam sufficere, noluit improbare necessitatem contritionis perfectæ, quæ vi sua peccata remittat.

Quæres: an in priori decreto Trid. Synodi ageretur de attritione servili, an de attritione initiali conjuncta amori imperfecto? R. de hac pertractatum fuisse constat ex supradictis: videtur enim factam esse decreti reformationem in gratiam adstruentium necessitatem contritionis perfectæ. Vide Auctorem opusculi de mente Conc. Trid. Petrum le-Drou, Vanroy &c. Ceterum aut de attritione imperfectæ dilectioni conjuncta ibi agebatur, aut de pure servili, si de hac, inepte *sufficere* dicitur, postquam hoc verbum expunctum est; si de illa, ineptius

ineptius in nos detorquent adverſarii, quæ nec feriunt aſſertores caritatis perfectæ. Merito ergo Clerus Gallicanus ann. 1700. damnavit ut falſam, & Trid. contrariam propoſitionem n. 87. aſſerentem, a S. Synodo in ſententiam noſtram fuiſſe pronuntiatum anathema.

Propositio V. Sententia noſtra conformis eſt Trid. Synodo, Scripturis, PP. & rationi.

Prima pars ſequitur ex præced. Prop. III. & IV. & confirmatur ex quo Trid. Synodus laud. c. 4. declaret, quovis tempore neceſſarium fuiſſe ad veniam peccatorum obtinendam motum contritionis, ad hanc requiri averſionem a peccato, & converſionem cordis ad Deum, animi dolorem, & odium peccati, & ut attritio voluntatem peccandi excludat: quæ omnia attritioni pure ſervili ineſſe putant adverſarii; ſed hoc falſum eſt, ut infra videbimus: ergo ex Trid. Syn. noſtra firmatur aſſertio.

Prob. min. ex Trid. c. 6. ſeſſ. 6. ubi dicitur: *Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti libere moventur in Deum, credentes a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore in ſpem eriguntur, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem* DILIGERE INCIPIUNT, *ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod.* Unde ſic arguitur: eadem præparatio requiritur in Sacramento pœnitentiæ ac in baptiſmo, ſed in hoc, præter fidem, timorem, & ſpem, requiritur amor initialis, quo diligatur Deus, ut juſtitiæ fons; ergo &c.

R. Adverſarii: Concilium accipiendum vel de amore concupiſcentiæ, ideſt ſpei, non caritatis, vel de amore abſtrahendo ac utroque. Sed contra: conſtat enim ex Pallavicino l. 8. c. 13. *Per tenorem decreti prius delineati nullam fieri dilectionis mentionem, ſed Alepium Archiep. Turritanum, Claudium Jajum S. J. Lippomanum &c. admonuiſſe, ut aliquis caritatis actus inſereretur: cumque id ad PP.*

judicium relatum esset, 23. *ex ipsis illud comprobasse, adeoque insertum decreto: sed postea aliis haud probatum; verum a Theologis strenue propugnatum, & per hæc verba retentum: Non est sermo eo loco de habitu caritatis, sed cum in particula de pœnitentia nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide, & spe jungere aliquem dilectionis actum; quia si pœnitentia tota esset ex timore sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantum, non propter Dei offensam, infructuosa esset.*

Hæc Pallavicinus, ubi narrat, ideo ab aliquibus hoc additamentum fuisse improbatum, quia caritas, quæ *diffunditur in cordibus nostris*, est *forma justitiæ*, non dispositio ad justitiam, sed ubi *formatores decreti responderunt*, aliud esse *actum*, aliud *habitum*, & *in primo loco de quodam actu caritatis, cum insit aliqua dilectio in homine, non quidem obtinente, sed exoptante justitiam, in secundo significari habitum caritatis*, assensum singuli præbuere. Ubi nota: falli adversarios, qui putant hoc loco Concilium de amore concupiscentiæ esse accipiendum. Nam *formatores decreti* perspicue docent actum caritatis qui præparat ad justitiam, hanc exoptare, non obtinere. II. quia ajunt illius dilectionis actum præparare animum ad justitiam suscipiendam, cujus dilectionis habitus est ipsa justitia. Sed hujusmodi habitus non est habitus spei, sed caritatis ex Trid. ib. c. 7.; ergo &c. Deinde ita Concilium exponunt Suarez, Tannerus, aliique apud nostrum Le-Drou Diss. 3. c. 2.

Dices I. Jubet Concilium esse amandum Deum *tamquam omnis justitiæ fontem*, sed his verbis præscribitur tantum amor Dei propter nos, & tamquam causa justitiæ nostræ; ergo Concilium præscribit amorem concupiscentiæ. R. neg. min. Nam exigit ib. Concilium amorem, quo diligatur Deus propter se, ut summum bonum, a quo est omnis justitia, non ut est in rivulis, sed ut in fonte plena, atque indeficiens. Reapse amor justitiæ, prout nostra justitia

ſtitia eſt, & peccatorum remiſſio, includitur in ſpe, qua confidimus Deum per Chriſtum nobis propitium fore; fruſtra ergo, præter ſpem, dilectionem addidiſſet S. Synodus, ne pœnitentia redderetur infructuoſa.

Deinde amare Deum *tamquam omnis juſtitiæ fontem* per Aug. l. 10. de C. D. c. 3. eſt illud diligere, ut finem ultimum: *Ipſe enim fons noſtræ beatitudinis, ipſe noſtræ appetitionis eſt finis.* Et l. de Catech. rud. c. 27 ait: *Amandus eſt, ſicut amatur ſapientia, juſtitia, & caritas, non quemadmodum ſunt in homine, ſed quemadmodum ſunt in ipſo fonte ſapientiæ.* Et in Pſ. 46. *Eſſe non potes juſtus, niſi convertendo te ad juſtitiam manentem, a qua, ſi recedis, injuſtus es, ſi accedis, juſtus es;* ergo &c.

Adde Tridentinos PP. refellere hæreticos repetentes juſtificationem a ſola fide. Lutherus enim in c. 2. ep. ad Gal. ait, ſomniare catholicos, qui ajunt: *Fidem non juſtificare, niſi ornata ſit operibus caritatis;* ergo ut eos refellat Concilium de ea dilectione locutum eſt, quam ipſi negabant ad juſtificationem diſponere. Unde Lovanienſes appoſuerunt ea verba: *Propter Dei offenſam*, teſte Tappero, *propter Lutherum, & Philippum, qui docent, peccatorem non poſſe dolere de peccatis, ob Dei offenſam ex ejus amore, antequam remiſſum ſit peccatum.*

Dices II. Agit Concilium de juſtificatione extra Sacramentum, aut de diſpoſitione congrua, ſed non neceſſaria; ergo &c. R. neg. ant. Nam I. ſtudet ibi S. Synodus refellere hæreticos, qui adſcribant juſtitiam ſolæ fidei, quæ excitatur verbis Evangelicis, quibus Sacramentum confertur. De neceſſaria autem diſpoſitione Concilium peragere evincitur ex quo eodem modo de fide, timore, ac ſpe loquatur, ac de amore initiali; ſicut ergo illa, ita iſte neceſſario requiritur, ne pœnitentia evadat *infructuoſa*, ut in additamento decreto facto declarat S. Synodus. Cum ergo, quæ ad juſtificationem in baptiſmo per Trid. requiruntur a fortiori neceſſaria ſit ad

eandem in Sacramento pœnitentiæ, quod contritionem exigit, recte dicimus, sententiam nostram, non solum non adversari, sed omnino cohærere Trid. Synodo.

Prob, II. pars. Deut. 6. habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* Atqui licet hoc præceptum, utpote affirmativum, non obliget semper, obligat tamen præsertim cum peccator vult Deo, quem graviter offendit, reconciliari: alias fieri posset, ut scelestissimus homo, cum numquam in vita Deum dilexerit, supplicii terrore percitus confiteatur peccata sua, & statim obeat absolutione percepta, adeoque justificetur, licet nunquam Deum dilexerit, quod ex proscriptis ab Innoc. XI. propositionibus an. 1679. proxime sequitur; ergo &c.

Hinc est auctores nonnullos ex eorum numero, qui defendunt sufficientiam attritionis mere servilis, scribere non puduisse: *Præceptum caritatis solum obligare quando impius, quia pœnitentiæ Sacramentum non est in promptu, non habet aliquam viam, qua se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper aliquo modo actum amoris Dei super omnia involvit.* Quod quidem damnatum est Prop. 19. Ex quibus constat, ipsis propugnatoribus attritionis servilis persuasum fuisse aliquando, quod admissa eorum sententia non obliget primum decalogi præceptum, nisi *indirecte*, & ubi nulla alia adest via, qua justificari possimus.

Nos vero illud sæpe implendum asserimus, sed maxime dum irato Deo volumus reconciliari. Caveant ergo qui solo timore supplicii ad veniam petendam accedunt, ne a Deo, qui scrutatur corda, tamquam ab eo aversi, & cupiditatibus irretiti Dei miseratione reddantur indigni. *Si servus*, ait Albertus Pighius Contr. 9. *Domino diceret: doleo quod te offenderim, non tamen propter te: sed propter me doleo, quia ob tuam offensam vinculis constringor, bonis careo; numquid hic impetraret veniam?* Hinc Jo. a Daventria ad art. 12. Conf. Aug. ait: *Numquam*

quam inimicus reconciliabitur, nisi prius diligat eum, quem odio prosequebatur, ideo catholici tradunt, non sufficere ad peccati remissionem, si tantum timeat, & speret, sed diligat Deum, II. Luc. 12. habetur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* ergo &c.

Dices: exemplum Magdalenæ non esse ad rem: hæc enim sine sacramento justificata est; ergo &c. R. neg. ant. I. enim hoc exemplum protulerunt Theologi, ut *actus dilectionis* capiti sess. 6. insereretur, ut dictum est prop. 4. Deinde illud adhibuerunt catholici, ut evincerent amorem requiri ad remissionem peccatorum. Tandem auctor serm. 7. de Temp. alloquens Pœnitentes se se disponentes ad Sacramentum ait: *Vos modo debetis amare Deum, & de timore ad dilectionem transire, quia legimus, in Evang. Cui multum dimittitur, multum diligit.* III. Apost. 1. Cor. 13. ait. Fidem, eleemosynam, & martyrium nihil prodesse sine caritate; ergo &c. R. Adversarii loqui Apostolum de charitate habituali, sine qua non habetur meritum *de condigno*. Sed contra. Nam S. P. serm. 15. nunc 169. de Verb. Ap. n. 14. eam explicat exemplo latronum, qui pene perditis membris nolunt crimina sua confiteri, quod sine magno cupiditatis amore non faciunt; ita, ait S. P. Martyres alloquens: *Nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Quæro, quo amore? non sit cupiditas, sed caritas.* Ubi S. P. caritatis nomine non habitum, sed actum, seu motum animi intelligit se se convertentis ad Deum; sicut cupiditatis nomine motum animi accipit se se ad creata convertentis.

Deinde Apost. ibi memorat linguas, fidem, eleemosynas &c. sed has refert ad actum dicens: *Si linguis loquar, si distribuero &c.* ergo &c. Hinc Tannerus disp. 2. q. 2. dub. 3. ait: *Apostolus loquitur de caritate, quoad actum secundum, ut SS. intellexerunt, & constat ex antithesi linguarum, quæ maxime ad actum secundum pertinent;* ergo &c. IV. 2.

Cor. 7. habetur de Pœnitentia: *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam ſtabilem operatur, ſæculi autem triſtitia mortem operatur.* Unde de Cocque aliique inferunt, attritionem formidoloſam non operari ſalutem ſtabilem, cum non ſit *triſtitia ſecundum Deum*, ſed ſecundum nos ipſos. Et D. Th. lect. 3. in hunc locum ait: *Qualis eſt amor, talis eſt triſtitia ex amore cauſata. Eſt autem duplex amor: unus, quo diligitur Deus, & ex hoc cauſatur triſtitia ſecundum Deum: alter, quo amatur ſæculum, & ex hoc cauſatur triſtitia ſæculi.* Si ergo triſtitia pœnitentium debet eſſe ſecundum Deum, debet oriri ex amore Dei.

Dices, etiam Lutherani damnant timorem ſervilem, quod proveniat ex amore *noxio;* ergo &c. R. amorem noxium, ac ſervilitatem, ſi timori inſit, non eſſe de eſſentia timoris, nec timoris vitium eſſe, ſed timentis. Sed dato etiam, quod nulla ibi eſſet neque ex parte timentis perverſitas, non eſſet tamen pœnitentia ex ſolo timore concepta *triſtitia ſecundum Deum. Oportet ergo,* ait Tapperus in Expl. art. Lovan. pag. 112. *cum attritione, quæ fit ob metum ſupplicii, aliam affectus mutationem conjunctam eſſe, ut rationes, ob quas dolemus, moveant ad altiorem conſiderationem mentiſque ad Deum etiam affectionem.* Adde loca Matt. 10. *Qui amat patrem pluſquam me &c.* Et 1. Cor. ult. *Qui non amat D. N. J. C. ſit anathema.* Item 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, de quibus vide Le-Drou, de Cocque, Juenin, Vitaſſe &c.

Prob. III. pars. Tertull. de Pœn. c. 4. ait: *Pœniteat amaſſe, quæ Deus non amat*, ſed hoc fieri nequit, niſi etiam amemus, quæ Deus amat; ergo &c. Baſilius in Reg. brev. ait, oportere, *ut pœnitens ex animo odium adverſus ea concipiat, quale is indicavit, qui dixit: Iniquitatem odio habui, legem autem tuam dilexi;* ergo pœnitentia per Baſilium ex timore concipitur, ſed tunc vere includit odium peccati, quando complectitur Davidis *affectionem.* Ambroſius

broſius etiam l. 2. de Pœn. c. 9. producto exemplo viduæ, quæ obtulit duo minuta, ait: *Quid prodeſt collatio patrimonii ſine gratia caritatis?* Et ep. ad Horont. 74. nunc 78. ait: *Qui non diligit, peccato obnoxius eſt.* Item ait: *Caritas peccandi excludit affectum.* Chryſoſtomus hom. 4. in 2. Cor. ait: *Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis, ſed quod Dominum Deum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, ut filium ſuum ſui cauſa tradiderit.* S. P. A. docet, ſine caritatis officio, de quo legitur: *Diliges &c.* nil prodeſſe *inter quantacumque tormenta* confiteri Chriſti nomen. Item Conc. 21. in Pſ. 118. & Tract. 6. in Jo. docet: *Ad caritatem referri omne præceptum:* quod ad eam non refertur, nondum fieri *quemadmodum fieri oportet:* ſola caritate *filios Dei diſcerni a filiis diaboli:* ante caritatem, qua diligat Deum, hominem impium eſſe, nec veraci corde ſæculo renunciare.

Ita Ench. cap. ult. Tract. 5. in Jo. ep. & alibi. Et ep. 144. nunc 145. ad Anaſtaſium n. 4. ait: *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etſi non impleatur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis . . . Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat, amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet, tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere.* Sed qui ex ſolo timore ſervili abſtinet a peccato inimicus juſtitiæ eſt, nec peccare metuit, ſed ardere; ergo &c. Cyrillus Alex. hom. 8. in Paſch. ait: *Plenitudinem omnium, quæ in lege præcipiuntur, effici a ſtudio colendæ caritatis: eam vero qui negligat criminibus alligari.* Quod probat S. D. exemplo illius, qui pudore, & liberalitate ab homine occidendo retinetur, & concludit: *Lex ergo ad omnem virtutem informans plenitudinem habet in caritate.* S. Petrus Chryſologus ſerm. 94. ait: *Cœleſtis creditor totum debitum caritate compenſat. Abſolvi vis? ama, caritas cooperiet multitudinem peccatorum.* Et prope

finem

finem ait: *Si nos esse peccatores novimus, & esse nolumus peccatores pedibus Christi demus lacrymas, figamus oscula pietatis, oleum devotione fundamus, ut dicatur nobis. Dimittuntur vobis multa, quia dilexistis multum.*

Et S. Leo ferm. 7. de Jejun. ait: *Tanta est sub geminæ caritatis edicto utriusque copula Testamenti, ut sine istarum connexione virtutum nec lex quemquam inveniatur justificasse, nec gratia.* Et Greg. M. l. 1. Moral. c. 26. de S. Jobo ait: *Benedicit timens Deum, & recedens a malo, quia sancta electorum Ecclesia rectitudinis vias timore inchoat, sed caritate consummat: cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si peccare inulte potuisset.* S. Bern. ep. 11. ait, solam caritatem esse: *Quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animum.* S. Thom. a Villanova Conc. in Dom. Paff. ait: *Dolendum est de peccato, prout est offensa Dei, sic, ut etiamsi neque esset infernus &c. displiceret peccatum, quia Deus esset offensus.* S. Bernardin. Senen. t. 1. ferm. 12. ait: *Qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui.* S. Antoninus in Summa tit. 14. p. 4. c. 5. postquam docuit, *timorem servilem* perutilem esse, quia disponit ad caritatem, monet tamen pœnitentes, præsertim in gravi infirmitate constitutos, ne eo timore principaliter moveantur: *Nam inutilis esset talis pœnitentia.*

Quod probat tum auctoritate Aug., tum exemplo discipuli cujusdam, qui præceptori apparuit post mortem, declaravitque se esse suppliciis inferni damnatum, *quia pœnitentia ejus, & lacrymæ non fuerunt ex amore Dei, & propter Dei offensam, sed propter timorem inferni.* Tandem S. Franciscus Salesius l. 2. de Amore Dei c. 19. ait: *Pœnitentia, quæ pellit*

pellit amorem Dei, infernalis eſt, & pœnitentiæ damnatorum ſimilis. Quare ſicut, inquit Apoſtolus, nil ſibi profuturum, ſi corpus ſuum igni traderet, & non haberet caritatem, ita & nos vere poſſumus affirmare pœnitentiam noſtram, tametſi adeo eſſet vehemens, ut præ dolore oculi in lacrymas erumperent, niſi tamen in nobis ſit amor Dei, nullius prorſus adminiculi futuram fore ad vitam æternam conſequendam. Ad hæc autem elevanda non valent ea loca, in quibus laud. PP. timorem commendant, eique ſæpe tribuunt conſecutionem ſalutis: nam, præterquamquod hæc PP. affirmant de timore filiorum, qui amorem non excludit, recte dicitur a timore ſervili concipi ſpiritum dilectionis. Conſtat ergo, a PP. Novatores refelli damnantes ſalutarem gehennæ timorem, & nobis ſuppeditari argumenta pro S. dilectione propugnanda contra aſſertores attritionis pure ſervilis.

Prob. IV. pars. Nempe, ſententiam noſtram etiam ratione theologica comprobari. I. enim tenemur deteſtari peccatum, ut Dei offenſam, ſed hoc ſine amore initiali fieri non poteſt; ergo &c. Prob. maj. ex Trid. Synodo, quæ infructuoſam pœnitentiam eam dixit, quæ ob pœnam tantum eſſet, *non propter Dei offenſam.* Et licet hæc verba non apponat in definitione contritionis, ſubintelligit tamen, dum requirit commiſſi peccati deteſtationem, quæ ſane haberi non poteſt, niſi quis injuriam Deo illatam execretur. Hinc Lovanienſes art. 4. declararunt, comprehendi in definitione Concilii hæc verba: *Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam.* Ut enim ait Ruardus Tapp. *Dolor debet eſſe de peccato, ut peccatum eſt, quia Dei offenſivum eſt, quia eſt receſſus a lege Dei, & per conſ. ab ipſo Deo, quod legi ejus non ſubdimur.* Ubi nota: Lovanien. articulos juſſu Caroli V. propoſitos fuiſſe cum hoc titulo: *Axiomata ab omnibus firmiter credenda.* Oſtendimus etiam triſtitiam pœnitentium debere eſſe ſecundum Deum. Tandem Clerus Gall. damnavit

ann.

ann. 1700. hanc prop. *Attritio ex gehennæ metu sufficit sine ulla dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu*; ergo &c.

Prob. min. Ex iisdem Trid. PP. cui curarunt, ut c. 6. seff. 6. *aliquis caritatis actus insereretur*, ne pœnitentia, si tota esset ex timore, & non propter Dei offensam, infructuosa esset. Et S. Thom. 3. p. q. 84. art. 5. ait, pertinere ad caritatem, quando peccatum displicet *propter Dei offensam*. Et q. 85. art. 5. ad 1. ait: *Quia homo debet magis Deum, quam seipsum diligere, ideo plus debet odire culpam, in quantum est offensa Dei, quam in quantum est nociva sibi*; ergo &c. Idem docent Victoria, Soto, Vega apud Marinum, necnon Vasquesius in 3. p. q. 85. num. 42. ubi ait: *Sicut in actu dilectionis de bono Dei necessario est amor ipsius Dei, sic in odio peccati, ut est Dei offensa, interincluditur amor ipsius Dei . . . nollemus enim Deo, qui est summe bonus, peccasse.*

II. Multiplex est in peccato malitia. 1. quod Deum injuria afficiat, 2. quod a Deo separet, 3. quod mereatur supplicium, 4. quod sit res turpis, & inhonesta. Hi autem respectus respondent variis animi affectibus, 1. amori, quo Deum diligimus ut bonum in se, 2. ut bonum nobis, 3. incusso timori &c.; ergo qui Deum propter se non diligit, nequit sub ea ratione odio habere peccatum, *quatenus est offensa Dei.*

Hinc Catech. R. p. 2. c. 5. ait: *Si, uti Deus summum bonum est inter omnia quæ diligenda sunt, ita peccatum summum est malum inter omnia, quæ odisse homines debent, sequitur, ut quam ob causam Deum summe diligendum confitemur, ob eandem peccati summum odium capiamus.* Et S. P. ep. 145. *Tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit*: si quis ergo justitiam non diligit, ut est ordo amoris, quo summum bonum præfertur rebus creatis, is non odit peccatum, prout est offensa Dei.

Præ-

Præterea qui ex timore aliquid agunt, odio habent id, quod agunt, *ut est in se*, licet non coacte, sed voluntarie illud agant, ut malum vitent, unde S. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6. ait: *Timidus agit contra id, quod etiam nunc secundum se vult.* Ex quibus sic arguitur: qui solo timore se abstinet a peccato, licet voluntarie ac libere abstineat, habet tamen peccandi cupiditatem, *si peccatum consideretur secundum se*, ut ait ib. S. Th. nempe illud detestatur, non prout est peccatum, sed prout est caussa supplicii; ergo qui solo timore abstinet a peccato, non odit peccatum ut peccatum est, & ut offensa Dei est.

III. Attritio pure servilis non excludit voluntatem peccandi; ergo non sufficit in Sacramento pœnitentiæ. Prob. ant. ex laud. ep. Aug. ad Anast. ubi ait: *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat ... Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Plura alia ex Aug. profert noster Le-Drou diss. 2. Eique assentiri D. Thomam demonstrat auctor de Re Sacram. pag. 65. Ubi nota: quam longe abesse a proscriptis Quesnellianis prop. nempe a 60. usque ad 64. ubi timor gehennæ adeo deprimitur, ut dicatur, illum quo magis violentus est, eo magis ducere ad desperationem, manum duntaxat cohibere, cor tandiu addici peccato, quandiu ab amore justitiæ non ducitur: scelus committere in corde suo, quisquis ab eo non abstinet, nisi timore pœnæ: & sub maledicto legis peccati, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando. Non ita sane Aug. & Thomas: nam ille serm. 11. in Ps. 118. *Qui timore pœnæ opus legis facit, profecto invitus facit, quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi*, iste 2. 2. art. 1. q. 107. ait: *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum, quia qui timore pœnæ ab peccato abstinent, non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit.*

Non ajunt ergo Aug. & Thomas, pœnitentiam ex solo timore supplicii esse *absolute* violentam, seu ad desperationem inducere, sed extortam, *non simpliciter*

pliciter, ſed conditionate, & *ſi fieri poſſet*, ut a lege ſub tali comminatione non juberetur: nam quæ non ex metu fiunt, voluntaria ſunt, prout movent voluntatem, ut actu agat ad vitandum ſupplicium, ſed involuntaria ſunt ſub conditione, quatenus voluntas non ageret, niſi timore percelleretur; quod ergo *per metum agitur*, ait S. Thom. 1. 2. q. 6. *fit voluntarium, quia motus voluntatis fertur in id, licet non propter ſeipſum, ſed propter aliud, ſcilicet ad repellendum malum quod timetur.* Et S. P. A. *Qui timore pœnæ non concupiſcet, puto, quod concupiſcit*, nempe non concupiſcit peccatum, ut gehennam ferens, concupiſcit tamen prout peccatum eſt: ita S. D. Leo telum timens non rapit, nec tamen appetitum deponit ut ultra non rapiat; quod ergo timore agitur non eſt coactum, ſed liberum, habet tamen *ſecundum ſe* repugnantiam in voluntate: ut mercator non coacte, ſed libere merces projicit in mare, quas amat, & ſervare vellet, ſi fieri poſſet, abſque vitæ diſcrimine.

Nec tamen malus eſt timor iſte, aut ad deſperationem trahit, ſed bonus eſt, utilis, & ex Aug. Tr. 9. in Jo. ep. *Præparat locum caritati.* Et Serm. 161. *Volentem peccare animum non ſinit.* Ex ep. 48. nunc 93. *Excutit de ſomno lethargico.* Frenat *veternoſiſſimam conſuetudinem* ex ſerm. 28. de Verb. Ap. Et S. Thomas ſcribit 2. 2. q. 17. hominem metu pœnæ *introduci ad amandum Deum*: & Trid. ſeſſ. 6. c. 6. *per eum peccatores in ſpem erigi*; ergo &c. Si ergo timor non eradicat illam voluntatis repugnantiam, id provenit ex prava cupiditate timentis, non ex conditione timoris, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 18. art. 4. ubi S. D. perſpicue declarat, timorem ſervilem ex ſubſtantia bonum eſſe, ſed *ſervilitatem* ejus eſſe malam. Ex quibus ſic arguitur. Licet timor ſervilis bonus ſit, & paret locum caritati &c. non tamen excludit voluntatem peccandi, ſi ſpectetur in ſe, ſed cum eo timore ſtare poteſt repugnantia ad pœnitentiam, quam ideo accipimus, ne damnemur: imo

imo ſtare poteſt quod voluntas timeat pœnam tamquam principale malum, hominem vero, cui pœna infligitur, amet ut ultimum finem; ergo ſolus ille timor non ſufficit. Nam, ut obſervat Suarez: *Concilium Trid. requiririt attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat, non* NEGATIVE *tantum per ſolam ceſſationem a tali voluntate, ſed* POSITIVE *per veram mutationem voluntatis diſſentientis peccato, & conſentientis gratiæ Dei. Nam cum ſola velleitate, ſeu ſimplici aſſenſu non repugnat ſimul eſſe voluntatem peccandi:* ſed qui ſolo metu pœnæ abſtinet a peccatis, nec *ſimpliciter* ab his recedit, nec recedere vellet, ſi peccare poſſet impune; ergo *non alienus eſt a voluntate peccandi*, ut ait S. P. A. *nec peccare metuit, ſed ardere.*

Deinde, ut poſitive aliquid excludatur, debet inter excludens & excluſum eſſe pugna, & inſociabilis oppoſitio: ita fides infidelitatem, ſpes deſperationem excludit; non tamen intemperantiam, incontinentiam &c. Nam ſæpe quis credit, & eſt intemperans, & incontinens. Nec inde tamen ſpes, aut fides aliquid habent vitii, ſed virtutes ſunt, cum ſint credendi, aut ſperandi principia, arcentque infidelitatem, aut deſperationem, cui opponuntur, non tamen vitia reliqua, quod munus eſt temperantiæ, juſtitiæ &c. Ita timor fidei & ſpei conjunctus bonus eſt, coercet animi contumaciam &c. cui per ſe opponitur, non tamen excludit voluntatem peccandi ſecundum ſe, & *prout eſt Dei offenſa.* Quia peccato ſecundum hanc rationem non opponitur, neque hoc eſt vitium timoris, quia hoc munus eſt amoris ſummi boni; qui amor directe opponitur offenſæ ſummi boni: *Deſiderium enim peccandi non extinguitur, niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*, ait S. P. A. l. 2. contr. Adv. leg. c. 7.

IV. Ad veram pœnitentiam requiritur, ut peccator *avertatur a viis ſuis peſſimis, & convertatur ad Dominum*, ex Ezech. 18. Joel. 2. &c. atqui timor,

licet *avertat* ab eo, quod timetur, non convertit ad illud, quod eſt amandum: *Fuga enim animi timor eſt*, ait S. P. Tr. 49. in Jo. Et S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 2. ergo ut quis convertatur ad Dominum amor facit: cumque converti debeat in toto corde, Deum ſuper omnia diligens (qui enim creaturam diligit pluſquam Deum, non eſt eo dignus) ſequitur ut converti debeat ex caritate: *Eadem via*, ait Maldonatus c. 2. de Pœn. *neceſſe eſt ad Deum convertamur, qua ab eo diſceſſimus: diſceſſimus autem ab eo, quia illi antepoſuimus creaturas; ergo debemus ad illum redire dolendo, quod ipſum offenderimus, pluſquam doleremus propter omnes res creatas.*

V. Non licet in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem relicta tutiore, ex I. Prop. ab Innoc. XI. proſcripta ann. 1679. atqui ſententia noſtra tutior eſt, cum omnes conſentiant contritionem ex amore conceptam ſufficere, *attritionem* vero ſervilem ſatis eſſe negent permulti; ergo &c.

Deinde adverſarii ipſi fatentur, ſententiam ſuam novam eſſe, nec certam, cui animarum ſalus committatur, maxime in mortis articulo, *ob grave damnationis periculum;* merito ergo Clerus Gall. cavet, ne adminiſtri pœnitentes monere ceſſent, ut in pœnitendo inchoate ſaltem dilectionis Dei viam ineant, quæ ſola ſecura eſt, graviter peccaturi vel eo ſolo, quod certis incerta præponant.

Propositio VI. Sententia noſtra plurium theologorum etiam adverſariorum auctoritate fulcitur.

Prob. I. pars. Nam oppoſita ſententia ignota fuit Theologis, qui præceſſerunt Trid. Synodo, ac primum quidem ejus auctorem Melchiorem Canum fuiſſe ſcribit Morinus. Suarez ait: *Eam nec valde antiquam eſſe, nec multum communem.* Lupus ait: *Heſternum eſſe commentum*, urgetque illud Tertulliani adverſus Hermog. *Adulterum quodcumque poſterius.* Witaſſe enumerat Theologos 49. qui noſtræ ſententiæ ſubſcribunt. II. Theologos qui Tridentino interfuere majori ſaltem ex parte noſtræ ſententiæ adhæ-

adhæsisse constat, ex quo plurium suffragio *actus caritatis* sessioni 6. insertus sit. Præ ceteris autem Franciscus Sonnius, Tapperus, Rythovius, Jansenius Gandavensis, Hessellius, Ravestein, apud Farvaquesium in Append. ad Quæs. quodlibeticam §. 3. His adde Medinam, Nauseam, Victorem, Casalium, aliosque apud Le-Drou diss. 4. c. 4. §. 4. III. Post Tridentinum vero eandem sequuti sunt Petrus Soto, Ludovicus Granaten. Viguerius, Maldonatus, Hervetus, Hernestus Leodiensis, Samarinus, aliique tum nostrates, tum ex ipsa etiam S. J. Edmundus Augerius, Antoine &c. Fallitur ergo Em. de Lugo. qui disp. 5. de Pœn. ait: *Hæc tamen sententia est contra omnes Theologos, & Tridentinum.*

Nam sententiam nostram tradendam præcipit in Instr. Past. p. 42. Card. Denof. De Laurea illam indubitatam appellat. Card. Le-Camus docendam jussit in Seminario Gratianop. Card. Aguirre, qui *probabilissimo* diem dixit, & de præcepto caritatis egregie tractavit. Card. Moniliani, qui negat sola attritione servili veniam impetrari. His addi potest Card. Toletus, qui l. 3. de Instr. Sacerd. c. 4. ait, attritionem non sufficere ad Sacramentum: *Si talis sit, ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum ut est offensa Dei, sed tantum ut est alicujus mali temporalis causa, & pœnæ inferni.* Quæ postrema verba desiderantur in posterioribus editionibus, sed extant in antiquioribus, ut scribunt Fervaques, Vitasse, Habert &c. & evincitur ex contextu: loquens enim de attritione ait, per eam detestari peccatum, *aut quia ei debetur pœna æterna, vel propter malum temporale*; ergo utrumque in supradicta periodo debuit exponi.

Prob. II. pars. Nam plures scholastici, qui ajunt *sufficere attritionem*, non excludunt amorem initialem, licet concipiatur ex metu pœnarum. Deinde adversarii fatentur propriam sententiam incertam esse: *Quod attritio sufficiat*, ait Canus p. 5. Relect. de Pœn. *non est adeo certum.* Idem asserit Comito-

lus, Gonet, aliique. Soto ait: *Eam non reperiri apud Aug. nec dignam eſſe cui bilances noſtræ ſalutis confidamus.* Suarez in 3. p. q. 90. ait: *Licet ſit opinio probabilis, non eſt certa, & poteſt eſſe falſa; ergo qui ſciens ita ſe mori permittit, voluntarie ſe exponit periculo æternæ damnationis.* Sanchez docet, ſacerdotem mortaliter peccaturum, ſi in articulo mortis pœnitenti cum ſola attritione cognita miniſtret Sacramentum: *Propter grave damnationis periculum.* In eodem mortis articulo neceſſe eſſe, ut pœnitens diſponatur ad Sacramentum per aliquem caritatis actum, fatentur adverſarii ferme omnes, ait Dicaſtillus; ergo per adverſarios, ſaltem in mortis articulo, neceſſarius eſt amor initialis in Sacramento, ob damnationis periculum; cur ergo neceſſarius non erit tum ob hanc cauſam, tum ob periculum confeſſionis ſacrilegæ? quæ non minus, imo magis cavenda eſt, quam damnationis periculum, hæc enim creaturæ, illa creatoris maxima injuria eſt.

Propositio VII. Ad gratiam Sacramenti requiritur amor caritatis, non ſpei tantum, qua Deus diligatur *ut bonus nobis.*

Sequitur ex præced. Prop. & prob. contra Tournelyum, aliosque, qui cenſent neceſſarium quidem eſſe ad Sacramentum amorem initialem, ſed ſufficere amorem ſpei, quem fruſtra damnant Lutherani, & Quietiſtæ. Tournelyus ergo initialem amorem ſpei requiri oſtendit ex Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* ſed ibi traditur expreſſe caritatis præceptum; ergo &c. Profert deinde Auguſtini teſtimonia, ubi præcipitur dilectio juſtitiæ, ſed vera juſtitia in eo ſita eſt, quod rationalis animus convertatur per caritatem ad bonum incommutabilem, & illud exquirat in ſe, & propter ſe; ergo &c.

III. affert declarationem Cleri Gallicani ann. 1700. qui ait, non impleri novæ vitæ propoſitum, *ſi pœnitens primi mandati nullam curam gerat;* ſed hoc eſt

eſt mandatum caritatis ; ergo &c. IV. Affert hiſtoriam Pallavicini l. 8. c. 13. Sed ex ea conſtat inſertum fuiſſe capiti 6. ſeſſ. 6. præter fidem & ſpem, etiam actum caritatis; ergo requiritur in Sacramento actus inchoatæ caritatis ob eadem momenta, quibus Tournelyus oſtendere nititur amorem ſpei.

Nec tamen excludimus amorem ſpei : oſtendimus enim l. 26. c. 16. bonis operibus inſudandum etiam intuitu ſempiternæ mercedis. Sed hoc deſiderium dirigi debet in finem ultimum, ut ſummum bonum, ad quod ſpes tendit, non tam appetatur gratia noſtri, quam propter ſeipſum, quod ſi fiat, ſpes caritate dirigitur & gratis amatur Deus ; ergo &c. Adeoque S. P. A. Bonaventura, Saleſius, & D. Th. de ſpe locuti ſunt, ut alibi oſtendimus. Fatemur ergo dolorem, quo deteſtamur peccatum, ut eſt offenſa Dei, prout eſt noſtræ beatitudinis objectum, eſſe ſufficientem, ſed negamus a ſola ſpe derivare. Nam ex D. Th. q. 65. art. 5. *Caritas eſt amor Dei, quo diligitur, ut beatitudinis objectum.* Nam in tali amore, præter motum ſpei tendentis in ultimum finem, eſt affectio cordis optantis unionem ejusdem finis. Quo ſenſu ultro concedimus adverſariis efficacem amorem beatitudinis excludere per ſe voluntatem peccandi. Diſtant proinde a Quietiſtarum inſania animæ illæ, quibus præ ceteris ſummum bonum in hac vita dulceſcit: licet enim Deum diligant propter ſe, quia tamen carent perfecta illius unione, ſperant adhuc, & ingemiſcunt. Vide Auctorem Tom. 4. p. 520. Rom. editionis.

CAPUT V.

In quo adverſariorum objecta ſolvuntur.

Momenta adverſariorum alia innituntur auctoritati Trid. Synodi, alia petuntur ex vi & efficacia timoris a PP. laudati, quædam ex caritatis præſtantia, atque ex Sacramentorum energia, tandem ex oppoſitæ ſententiæ celebritate. Itaque.

Ob. I. Trid. Synodus seſſ. 14. ait, a ſe traditam eſſe de Sacr. Pœnitentiæ *exactiorem*, *& pleniorem definitionem*, ſed ibi de neceſſitate *amoris initialis* ne verbum quidem; ergo &c. II. c. 4. ſeſſ. 14. declarat, contritionem eſſe *dolorem animi*, *& deteſtationem de peccato*, *cum propoſito non peccandi de cetero*, ſed nec ibi meminit amoris initialis; ergo &c. III. Dividit contritionem in eam, quæ caritate perficitur, & in eam, quæ *communiter* concipitur ex peccati turpitudine, aut gehennæ metu; ergo utraque contritio, ideſt perfecta & imperfecta, illa definitione comprehenditur, & utraque eſt pars Sacramenti. III. De hac contritione imperfecta ait Synodus: *Ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam*, peccatorem, *diſponit*; ergo ſufficit.

IV. Ea diſpoſitio, non eſt *remota*, ſed *proxima* & ſufficiens, & cui nil deeſt ex parte pœnitentis; ergo &c. Prob. ant. Nam S. Synodus tribuit attritioni efficaciam in Sacramento, non extra ipſum; atqui attritio ſervilis etiam extra Sacramentum remote diſponit, ſternendo viam dilectioni, utiliter peccatorem concutiendo; ergo in Sacramento proxime diſponit. V. Verba Synodi: *Ad Dei gratiam in Sacram. impetrandam diſponit*, parum diſtant ab iis, quæ extabant ante reformationem: *Ad Dei gratiam facilius impetrandam diſponit*. Sed tunc de diſpoſitione ſufficienti ſermo fuit, ut notum eſt; ergo &c.

VI. Definit Trid. contra Lutherum attritionem, *ſi voluntatem peccandi excludat*, *non ſolum non facere hominem hypocritam &c. verum etiam donum Dei eſſe*, & Spiritus S. impulſum; ſed attritio ſervilis, etiam dilectione ſecluſa, eſt donum Dei; ergo excludit voluntatem peccandi; ergo &c.

VII. Si cum attritione tantum ſervili remaneret voluntas peccandi, illa hominem redderet hypocritam; intus enim peccata foveret, quæ deteſtatur exterius: eſſet etiam pœnitentia extorta, & coacta, non libera & voluntaria: ſed hæc damnat

S. Sy-

S. Synodus; ergo &c. VIII. In attritione nullum, vel minimum caritatis actum requiri constat ex scopo Concilii, & ex proscriptione hæreticorum, qui metum gehennæ tamquam animæ sordem damnabant. IX. Item ex verbis Concilii, quod opponit attritionem ex metu ei, quæ ex caritate proficiscitur, & quæ hominem Deo reconciliat ante susceptionem Sacramenti. X. In anteriori Concilii decreto abrasa sunt hæc verba: *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat*; ergo Concilium accipi debet de timore servili, quacumque dilectione Dei super omnia expoliato.

R. ad I. dist. maj. Et ibi *pleniorem & exactiorem* definitionem spondet S. Synodus revocans ad memoriam necessitatem *amoris initialis* in decreto de justificatione statutam, *ubi multus fuit de pœnitentiæ Sacramento propter locorum cognationem sermo interpositus*, conc. illum excludens, neg. Plena ergo & exacta Trident. Conc. definitio supponit, quæ generatim de justificatione decreta sunt sess. 6. cujus capiti 6. in illis verbis: *Illumque tamquam omnis justitiæ fontem &c.* insertus est actus caritatis, ne si pœnitentia esset propter pœnam tantum, & non propter Dei offensam, infructuosa esset: & cap. 3. definitum est, neminem posse absque Spiritus S. inspiratione *credere, sperare, & diligere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*, ex quibus nostra firmatur assertio, non infirmatur. Adde, noluisse Concilium scholasticam controversiam, & adiaphoram definire: non enim *ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos*, Pallavicino teste, Concilium Trid. coactum est.

Ad II. dist. maj. Ait esse *detestationem* de peccato subintelligens, *prout est offensa Dei*, quo sensu detestari peccatum ex D. Thoma pertinet ad caritatem, ut c. præced. dictum est, conc. secus, neg. Ideo autem verba illa Synodus non apposuit, quia hæretici admittentes tantum timores incussos, & fidem, inutilem reputabant peccati detestatio-

nem, ut patet ex c. 5. illius ſeſſionis; hanc ergo hæreſim damnans S. Synodus, ac ſupponens, deteſtationem peccatorum ſpectare offenſam Dei, diſtinguit contritionem perfectam ab imperfecta: quod illa ex flagrantiſſima caritate, hæc vero *communiter* ex gehennæ metu concipitur, ſed, ut contigit Ninivitis, tranſit ad contritionem cordis, & converſionem. Verum dato etiam ea verba: *Quatenus eſt offenſa Dei* non ſubintelligi in ea definitione, nil aliud inde infertur, niſi attritionem ſervilem inter actus pœnitentis enumerandam, non autem *ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*, quæ verba in reformatione decreti abraſa fuere, licet non conſtet, an de attritione ab amore divulſa ibi loquatur Concilium, præſertim cum addita eſſent verba illa: *Cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat.*

Ad III. neg. conſ. Cum enim Theologi diſputarent, an τὸ *diſponit* accipiendum eſſet de diſpoſitione proxima, vel de remota, Concilii PP. teſte Pallavicino, noluere de hac quæſtione judicium ferre; eos tamen in noſtram conſpiraſſe ſententiam Prop. IV. & V. c. præced. monſtratum eſt; ſi ergo Trident. Synodus loquitur de attritione concepta ex metu pœnæ, & progrediente ad amorem, nobiſcum ſentit, ſi de remota diſpoſitione, vult ſolum Concilium, attritionem bonam eſſe, nec eſſe impedimentum, ſed diſpoſitionem ad gratiam: quod nos ultro concedimus; ergo &c. Ad IV. diſt. ant. Eſt proxima, ſi a timore, ex quo communiter concipitur, aſcendat ad amorem initialem, quo excludat voluntatem peccandi, conc. ſi in timore conſiſtat, nego.

Ad prob. neg. maj. Non enim ait Trid. quod attritio PER SE *ad juſtificationem* PERDUCIT, ſed ait: *Ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ diſponit*, caute omittens τὸ PER SE, & PERDUCIT, & pro vocabulo *juſtificationis*, gratiæ nomi-

nomine ſubſtituens, ut conſtet contra Lutherum attritionem utilem eſſe, & licet ſe ſola nequeat juſtificare, diſponere tamen ad caritatem initialem, cujus ope gratia in Sacramento impetratur.

Hanc eſſe Trid. mentem conſtat ex Salmerone Trid. Concilii Theologo, qui Tom. 11. tract. 22. ait: *Accedens ad Sacramentum ex attrito fit contritus, quia accedente nova gratia perfectum peccati odium concipitur.* Et Franc. Sonnius, qui etiam Trid. Synodo interfuit: *Attritio*, inquit tract. 4. de Pœn. c. 6. *non efficit veram pœnitentiam, ſed ad illam præparat: ſicut videmus, ait Aug. per ſetam introduci linum, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum. Sic timor primum occupat mentem, non autem tibi manet, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem; timor impellit ad contritionem, caritas perficit, timor medicamentum eſt, caritas ſanitas.* Eadem habentur in Inſt. Viguerii a Facultate Pariſ. probatis, in Conſtit. Bononien. Card. Paleoti &c. & perſpicue evincitur ab exemplo Ninivitarum a Trid. Syn. producto, in quibus formidoloſa pœnitentia *vim tantummodo habuit ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur caritatis effectus.* Attritio ergo ſervilis ad gratiam diſponit, quia viam parat ad converſionem cordis, ad timorem Dei filialem, ad caritatis affectum, idque maxime in Sacramento ob humilitatem, qua peccator ſe ſubjicit Eccleſiæ clavibus.

Ad V. R. quod in priori decreto habebatur, attritionem *ſufficere*, quod poſtea fuit eraſum. Ad VI. diſt. maj. Et attritio ſervilis excludit voluntatem peccandi, quatenus peccatum eſt cauſa ſupplicii, & damnationis, ideoque utilis eſt & ad gratiam diſponit, quippe *per timorem*, ait S. P. A. in Pſ. 127. *continent ſe a peccato, & incipit, quod durum erat* amari, conc. excludit voluntatem peccandi, prout peccatum eſt offenſa Dei ſumme diligendi per amorem caritatis, qui longe eſt utilior, nec ſolum diſponit, ſed ſufficit, neg. Ad VII. ant.

Hypocrita enim eſt, qui ſimulat exterius, quod non habet in corde, ſed qui timet, vere timet, & a malo abſtinet; ergo &c. Quæ vero latet in eo timore mala voluntas non provenit a timore; ſed a prava timentis cupiditate: alias fides, quæ peccatum non excludit, mala eſſet, cum ſit virtus theologica, & donum Dei. Neque extorta, aut coacta dici poteſt attritio ex ſolo metu, licet enim concuſſio animi, ſeu paſſio non ſit cum arbitrii electione, dolor tamen ex timore conceptus eſt motus liberrimus voluntatis. Metus enim voluntarium non tollit, ut cum D. Thoma docent ſcholæ; non tamen excludit voluntatem peccandi, quippe non recederet a peccatis, ſi peccare poſſet impune: *Nec peccare metuit*, ait Aug. *ſed ardere.* Ut Prop. V. n. 3. dictum eſt.

Ad VIII. R. Scopum Concilii fuiſſe non ſolam attritionem ſervilem, ſed etiam initialem, & motus alios liberi arbitrii inter Dei dona adverſus Lutherum recenſere. Ad IX. infra erit reſponſio. Ad X. neg. conſ. Inde enim ſolum evincitur, attritionem ſervilem poſſe a caritate divelli, non vero a caritate initiali ſejunctam eſſe diſpoſitionem ſufficientem, & proximam ad gratiam in Sacramento obtinendam.

Ob. II. Timorem pœnarum commendant I. ſcripturæ; nam Eccleſiaſticus c. 1. ait: *Timor Domini expellit peccatum, nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Et c. 21. *Qui timet Dominum, convertetur.* Et c. 25. dicitur: *Beatus habens timorem Dei.* Prov. 14. habetur: *Timor Domini fons vitæ.* Iſ. 26. *A timore tuo concepimus Spiritum.* Matth. 11. *Timete eum, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam;* ergo &c. II. idem docent PP. Nam ut mittam Baſilium in Pſ. 33. Ambroſ. in Pſ. 18. & Hieron. in c. 11. Malach. S. P. A. Tr. 9. in Jo. ait: *Timor Dei ſic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit.* Et in ſerm. de Verb. Ap. *Timor volentem peccare non ſinit.*

Et ferm. 156. *Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat timor.* Et l. de Catechiz. rud. c. 7. recenſet S. D. tria Chriſtianorum genera, primum, & ſecundum, qui volunt eſſe Chriſtiani, *ut promereantur homines*, vel *ut feliciores ſint in rebus terrenis*, eoſque aut reprobos appellat S. D. aut infirmos in fide: *Qui autem*, ſubdit, *vult fieri Chriſtianus, ut non eat in ignem æternum, ſed in regnum intret cum Chriſto, vere Chriſtianus eſt*; ergo &c.

III. Sententia oppoſita a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* prop. 60. & ſeq. proſcripta eſt. Nam ibi Queſnellus ait: *Quod ſolus timor ſupplicii ducit ad deſperationem; quod manum cohibet, non cor, & per eum baptizatus adhuc eſt ſub lege, ut Judæus &c.* ergo &c. IV. Accedit ratio, quippe timor ſervilis voluntatem peccandi excludit: nam, qui vult malum vitare, vult etiam vitare quod ad malum trahit, ſed habens attritionem ſervilem vult vitare gehennam; ergo & peccatum, quod ad eam ducit.

V. Metus cohibere poteſt pravam cupiditatem, & parare locum caritati, quod majus eſt; ergo & voluntatem internam mutare poteſt, quod minus eſt. VI. Timor efficaci ſpei conjunctus omnem peccandi cupiditatem pellere debet, ſpes enim media adhibens neceſſaria ad ſalutem, debet peccatum amovere, quod eſt ejus impedimentum; ergo &c. VII. Non ſolum in republica improbi pœna, boni honeſtatis amore in officio continentur; ſed Deus etiam hanc viam tenet, impiis mortem, & gehennam, bonis vitam, & caritatem proponens; ergo &c. VIII. Tandem vulgare eſt proloquium: *Accedens ad Sacramentum ex attrito fit contritus*; ergo &c.

R. ad I. Loca illa urgere Lutherum, ejusque aſſeclas, qui timorem damnant: nos autem & bonum timorem dicimus, & utilem, & ad gratiam diſponere. R. II. cum D. Thoma diſt. ant. Timor, ſi de ſervili ſermo ſit, *eſt initium ſapientiæ, expellit peccatum &c.* prout eſt dilectionis principium, eamque

ſicut

ſicut ſeta linum introducit ex Auguſt. conc. per ſe & ſecluſo amore initiali, neg. Ceterum nil obſtat quin loca illa *de timore initiali* cum D. Thoma ibidem, accipiamus, quatenus per iſtum Deum reveremur, eique ſubjicimur. Nam Eccleſiaſtici v. 12. habetur: *Timor Domini delectabit cor*, & c. 25. *Timor Domini initium dilectionis ejus*, unde teſtatur ſcriptura, ideo timorem eſſe initium ſapientiæ: *Quia eſt radix & initium amoris.* Hinc Auguſt. tract. 9. in 1. ep. Joan. ait: *Incipiat timor, quia initium ſapientiæ &c. Timor quaſi locum præparat caritati.* Ex Trid. etiam timor *expellit peccatum*, ut remota diſpoſitio, ſicut fides, & ſpes; merito ergo Matth. 10. ait Chriſtus: *Timete eum &c.* ut enim ait S. P. ſerm. 161. *Nihil eſt, quod magis timere debeas. Sed rogo te, ſi non te videret Deus, faceres? Si faceres; ergo pœnam times, ſerviliter times, formido eſt mali, nondum dilectio boni: ſed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, & perducat ad dilectionem.* Adde, timorem *mortis*, & *mali* a Deo nobis proponi Deut. 30. *ut diligamus Deum.* Quare *in ipſa minarum intentatione tacite oſtendit Dominus ſuam in homines benevolentiam*, ait Clem. Alex. Pæd. p. 117.

Ad. II. neg. ant. Baſilius enim ibi laudat τὸν τέλειον φόβον *timorem perfectum*, quod de *ſervili* dici vix poteſt. Deinde ipſum laudat, *quod inſtituendæ vitæ jaciat fundamenta*, id vero eſt cum Aug. timorem facere *Legis pædagogum.* Ambroſius etiam dum ait: *Clavis configi carnes timore*, ſupponit timorem amori conjunctum, ait enim: *Qui diligit Domini teſtimonia, configit clavis carnes ſuas.* Hieronymus docet, Deum velle nos habere ſervos, ut metu pœnæ a culpa recedamus, ſed addit, velle primum, *ut filii ſimus, & bonum voluntate faciamus.* Auguſtinus autem tract. 9. in Jo. ſtatim ſubdit: *Sunt homines, qui timent Deum, ne mittantur in gehennam, ipſe eſt timor ille, qui introducit caritatem, ſed ſic venit, ut exeat. Si enim propter pœnas times Deum, nondum amas, quem ſic times: non bona deſideras, ſed mala caves;* ergo timor

mor servilis per Aug. pungit, stimulat, *ut introducat caritatem, & sufficit ad tollendam putredinem, non ad sanandum.* In Serm. 161. post verba, quæ objiciuntur, addit: *Est enim timor, quasi pædagogus Legis, litera est minans, non gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & veniet caritas, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor agebat ne faceres, caritas agit ut nolis facere, etiamsi impune possis facere.* Et Serm. 156. ait: *Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus (timor servus est, caritas domina est) in corde tuo & servet dominæ venturæ locum. Fac timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet domina, & servus abscedet.* In l. de Catech. rud. recte ait S. P. *vere* dici *Christianum*, qui spe regni, & timore gehennæ Christi fidem amplectitur; spes enim & timor ille superna fide excitatur. Verum ut ad regnum perveniat, requirit ibi S. D. *Ut plus amet Deum, quam timeat gehennam; adeo ut, etsi dicat Deus: pecca, nec in gehennam mitteris, sed mecum non eris, omnino non peccet, ne illum, quem sic amat, offendat.* Vide Auctorem.

Ad III. neg. ant. Non enim timidi desperant, quia timent, sed quia sunt fide & spe destituti, Deus autem timorem incutit salutarem, ut ad eum convertamur, & in spem erigamur. Verum voluntas libera nondum odit, seclusa caritate, peccatum secundum se, sed ut causam supplicii. Sicut ergo in timente requiritur spes veniæ ne desperet: ita requiritur caritas ut tollatur peccati voluntas. Merito etiam damnata est proxima Quesnellii Propos. timor enim nedum manum cohibet, sed frangit vetustam consuetudinem, & caritati locum parat, nec peccato addicit, sed retrahit; timor ergo *servilis* est impulsus Spiritus sancti ex Trident. non inutilis & perniciosus, ut ait hæreticus, sed an sufficiat in Sacramento, nec Tridentin. Synodus, nec Clemens XI. definiunt. Tandem nemo nostrum asserit timendo legem servari Judaico more &c. distamus ergo a damnato dogmate Quesnellii.

Ad

Ad IV. neg. ant. Quem enim pœnitet ex ſolo pœnarum metu, non odit peccatum, ut Deo injurioſum, ſed peccare vellet, ſi poſſet impune. Ad prob. diſt. min. cum Aug. in Pſ. 127. Vult vitare gehennam *timore patiendi malum*, conc. *timore amittendi bonum*, neg. Non enim adeo eſt efficax voluntas timentis *ſerviliter*, ut vitare velit quidquid impedit *ſponſi amplexus*, ſi nullo amore caſto inflammetur. Quare, ſi voluntas illa ſit efficax, poterit tantum niti ad ſervanda præcepta, quorum primum eſt: *Diliges Deum tuum &c.* Ad V. R. Per Aug. cohibere interiorem animum, & parare locum caritati unum & idem eſſe: *Cum enim per timorem homines continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus,* ait S. P. Serm. cit. malitia autem, a qua avertit timor ſervilis, eſt, quod peccatum ſit malum nobis, non quod ſit offenſa Dei.

Ad VI. neg. conſ. Spes enim, ſi efficax eſt, nitetur finem conſequi mandatorum obſervatione, & incipiet diligere bonum, quem timet ſumme juſtum. Ad VII. neg. conſ. Deus enim, ut ait S. P. c. 15. de Doctr. Chr. l. 1. *Timorem incutit negligentibus, ut eum magis bene agendo deſiderent, quam male agendo formident.* In Republica autem magis attenditur externum officium, quam cordis affectus, qui eſt hominibus impervius. Ad VIII. diſt. ant. Ex attrito *fit contritus*, qui accedens ad Sacramentum cum amore initiali recipit gratiam habitualem, conc. ſecluſo omni amore, neg. Ita S. Thomas q. 28. de Ver. art. 8. Adde, effatum illud refelli poſſe. cum non ſit Auguſtini, aut alterius Eccleſiæ Doctoris, neque Evangelicæ veritati, aut Eccleſiæ definitioni ſubnixum.

Ob. III. Ex caritatis efficacia. Caritas quantumvis minima non poteſt cum peccato conſiſtere; ergo nihil conferret Sacramentum, ſi ad ipſum requireretur actus aliquis caritatis. Prob. ant. I. ex ſcripturis. Prov. 8. habetur: *Ego diligentes me diligo,*

Jo.

Jo. 14. *Qui diligit me diligetur a Patre meo &c.* Rom. 13. *Plenitudo legis dilectio.* I. Petr. 4. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* II. Trid. Synodus sess. 24. c. 4. definit: *Contritionem aliquando caritate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiat*; ergo &c. III. Ex PP. Chrysostomus ait: *Sicut ignis, ita caritatis fervor omnia perimit.* S. P. A. tract. 5. in Joan. ait; *Non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi caritate.* Et tract. 9. ait: *Quam cum habere cœperit homo, Spiritum S. habebit, si non habuerit, sine Spiritu S. erit.* Et c. ult. ait: *Caritas inchoata, inchoata justitia est .... caritas perfecta, perfecta justitia est*, S. Gregor. in cap. 3. Reg. 1. ait: *Ex vi conversionis magnitudo deletur criminis; vis autem conversionis est affectio caritatis*; ergo &c.

IV. Ex Bajanis Prop. 31. *Caritas perfecta &c.* Et 32. *Caritas, quæ est plenitudo legis, potest esse sine remissione peccatorum.* Et 70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu damnationis potest habere veram caritatem*; ergo &c. V. D. Th. 3. p. q. 7. art. 4. ait: *Minima gratia potest vitare omne peccatum mortale; minima enim caritas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri.* Et in Suppl. ait: *Peccatum solvi per dolorem ex amore, quantumcumque parvus sit dolor*: ergo &c. VI. Accedit ratio. Nam caritas etiam initialis est perfecta; ergo ex Bellarmino opponitur peccato, illudque sufficienter expellit, saltem per *modum ultimæ dispositionis*, quam ex natura rei gratiæ infusio consequitur. VII. Amor etiam tenuis creaturam Deo præferens reddit animam impiam; ergo oppositus amor etiam tenuis justificat. VIII. Major aut minor caritas non variat speciem; utraque ergo justificat.

IX. Cum vix quis possit discernere an perfectam habeat contritionem, magna inde oriretur anxietas, & perturbatio; ergo &c. X. Si sola caritas imperfecta non justificaret, qui eliciunt contritionis actum cum voto Sacramenti damnarentur; ergo damnarentur.

rentur qui Deum diligunt, quod absurdum est; ergo &c.

R. ad I. dist. ant. Si sit caritas *habitualis*, conc. si sit *initialis*, subdist. Non potest cum peccato consistere, quatenus ad justitiam disponit, conc. quatenus eam perficit, neg. Talis est enim justitia, qualis est caritas, ut ait S. P. l. de Nat. & Gr. Deinde caritas nos Dei amicos constituit, si cetera adhibeantur. Nam de timore etiam dicitur Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum*; inde tamen nil aliud infertur, nisi timorem esse dispositionem ad gratiam, & justificare, dummodo accedat virtus Sacramenti. Idem de fide, & spe affirmat Apostol. Roman. 3. & 8. nempe *justificari hominem per fidem: spe salvi facti sumus &c.* Sicut ergo de timore, fide, & spe ajunt adversarii hominem disponere in Sacramento; ita de amore initiali idipsum nos asserimus. Ex locis autem productis nostra firmatur assertio: si enim Deus diligentes se diligit, ad eos venit, eis peccata dimittit; ergo sublata dilectione nulla erit peccatorum remissio. Vide Auctorem.

Ad II. neg. cons. Trid. enim illam appellat contritionem caritate perfectam, quæ est acris & vehemens, eaque tantum remitti absque Sacramento peccata affirmat Catechismus Rom. Amor autem initialis ex Trid. requiritur, teste Pallavicino: *Ne pœnitentia sit infructuosa*; ergo &c. Ad III. R. Chrysostomum loqui de caritate perfecta, ut patet ex verbis illis: *Fervor caritatis.* Gregorius etiam in ea conversione exigit *tantum amoris ignem, qui consumere in anima possit omnem peccati rubiginem*; ergo loquitur de vehementissima caritate. Vide auctorem. Augustinus vero in caritate agnoscit vitam & Spiritum S. eo modo, quo habetur & caritas, idest habitualem, si caritas sit inhærens, moventem ad perfectam contritionem, si caritas sit actualis vehemens; disponentem ad gratiam, si caritas sit initialis.

Ad IV. neg. ant. Nam ſententia noſtra Romæ coram Pontifice abſque erroris nota, & probantibus viris doctiſſimis fuit ſemper propugnata, teſte Le-Drou, aliiſque; ergo &c. Vide Prop. I. c. præced. Reapſe proſcriptæ propoſitiones non de caritate initiali accipi debent, ſed vel de *habituali*, quam ab actuali Bajus non ſecernebat, ut fatetur Suarez, vel de flagranti & perfecta, ut vult Bellarminus. Quod patet ex Prop. 43. ubi Bajus agnoſcit *in pœnitentibus ante Sacramentum veram juſtificationem, ſeparatam tamen a remiſſione peccatorum:* & ex 62. & 63. ubi *diſtinctio duplicis juſtitiæ & duplicis vivificationis, quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inſpiratione Spiritus ſancti cor excitantis, nondum inhabitantis, ut odioſiſſima rejicitur.* In hoc itaque Bajus erravit, quod non ſecerneret habitualem ab actuali juſtitia, atqui nos aſſerimus, per caritatem habitualem impium juſtificari, per actualem diſponi ad juſtificationem, diſcrimen *duplicis juſtitiæ, & duplicis vivificationis* a Bajo ſublatum propugnantes; ergo a Bajo recedimus.

Ad V. R. Le-Droint tom. 2. p. 105. loqui D. Thomam de gratia habituali, ut eum legenti manifeſtum eſt. Ad VI. diſt. ant. Eſt perfecta comparate ad objectum, conc., relate ad motum animi, & converſionem cordis, neg. Fatemur etiam amorem initialem opponi amori noxio; ſed etiam contraria ſe invicem patiuntur, niſi ſint intenſa. Ad VII. R. I. neg. ant. Datur enim aliqua ad creaturam converſio, quæ non infert maculam culpæ lethalis, ut fit in veniali peccato. R. II. neg. conſ. Nam converſio actualis ad Deum non inducit juſtificationem per ſe, ſed ex Dei promiſſione, & vi Sacramentorum, ut l. 19. c. 6. & 7. dictum eſt. Ad VIII. neg. conſ. Non enim omnia, quæ ejuſdem ſunt ſpeciei, habent eandem vim, ut patet de calore remiſſo, & intenſo. Ad IX. neg. ant. Ut enim quieſcat anxietas, confugiendum eſt ad Sacramenta, quæ gratiam ſupra

dispositionem suscipientis producunt. Si vero ea suscipi nequeant, curandum est, ut doloris vis gravitati scelerum æquari possit, ex Catechismo Rom. Cypriano, Aug. &c. Ad X. neg. sequelam. Nam in *mortis articulo* votum Sacramenti eundem effectum confert ac ipsum Sacramentum: tunc enim Sacramenti susceptionem *non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit*, ut ex Aug. l. 4. de Bapt. scribit Innoc. III. l. 3. Decr.

Ob. IV. Ex efficacia Sacramentorum, & ex oppositæ sententiæ celebritate. I. Pœnitentia est *Sacramentum mortuorum*; ergo ejus vi absque caritate sanctificans gratia producitur. II. Sacramenta novæ Legis sublato obice gratiam conferunt *ex opere operato*: sed timor servilis non est impedimentum ad gratiam, sed dispositio; ergo per eum gratia recipitur. III. Si amor Dei propter se necessarius esset ad justificationem, Lex nova non præstaret veteri, in qua impii per illum justificabantur; ergo &c. IV. Sententiam oppositam tuentur innumeri etiam clariss. cujusvis Ordinis Theologi; ergo &c. V. Alex. VII. ait: *Eam hodie communiorem videri inter scholasticos*. VI. Hæc sententia conformior est communi praxi, & animarum confert tranquillitati; ergo &c.

R. ad I. neg. cons. Pœnitentia enim est *Sacramentum mortuorum*, quia confertur non habentibus *vivificationem*, & gratiam *habitualem*; licet habeant *vivificationem*, & gratiam *actualem*, sine qua non solum diligere non possent, *ut oportet*, ut justificationis gratiam obtinerent, verum nec credere, nec sperare, nec pœnitentiam agere: ut ait Trid. Synodus. Ad II. dist. min. Non est impedimentum, & tamen potest cum impedimento consistere, nempe cum voluntate peccandi, prout peccatum est Dei offensa, conc. secus neg. Ad III. neg. ant. Nam in Lege veteri opus erat contritione cordis vehementissima, unde fiebat, ait Catech. Romanus: *Ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset*: quare

quare necesse fuit, ut Dominus faciliori ratione communi saluti consuleret: quod fecit cum claves regni cœlorum Ecclesiæ tradidit.

Ad IV. R. Patronos ipsos oppositæ sententiæ fateri, eam fuisse ignotam majoribus, nec esse indubitatam. Plurimi negant tenendam in mortis articulo, alii ut Henno in praxi abjiciendam, 1. ob numerum & gravitatem contradicentium, 2. ob eorum rationes non spernendas ex PP. Theologis, & Trid. depromptas, 3. Ex Pallavicini Histor. & ex actis originalibus Concilii, 4. Ex scriptoribus, qui Concilio præcessere, 5. ob *grave damnationis periculum*. Ad V. R. recte Alex. VII. dixisse: *Hodie*, ne quis putaret majores nostros in ea fuisse sententia. Recte etiam ait: *Videtur &c.* plures enim, qui tenent attritionis sufficientiam, non de servili, sed de initiali loquuntur, ut dictum est. Alii eo sensu timorem *servilem* sufficere scribunt, quia in Sacramento supervenit timori actus aliquis caritatis; hi ergo videntur tradere attritionis servilis sufficientiam, sed non tradunt.

Ad VI. neg. ant. Nemo enim est adeo ingratus pœnitens, qui Deo veniam offerenti actum aliquem non exhibeat caritatis. Nullus confessarius, qui in pœnitentibus illum excitare non curet. Hinc Soto, licet nobis adversetur, negat, se pœnitentem absolvere audere, si diceret, se non pœnitere propter Deum. Si qui autem id audent, *Sacramentum* utique conferunt, *non securitatem*. An vero sententia nostra pariat anxietatem, aut tranquillitatem, experiri poterit, qui ambulare studeat *in latitudine amoris, non in timoris angustiis*, ut ait August. in Ps. 118.

DISSERTATIO II.

De oris Confessione.

Altera pœnitentiæ pars est oris Confessio, de cujus necessitate, speciebus, & conditionibus, de administro,

ministro, atque ejus dotibus, de tempore, forma, subjecto, ac veteri sacramentalis confessionis disciplina breviter pertractabimus.

CAPUT I.

De Sacramentalis Confessionis necessitate.

Not. I. Trinam confessionem PP. commemorant, fidei nempe, laudis, & peccatorum. De I. ait Christus Matt. 10. *Qui me confessus fuerit &c. confitebor & ego eum.* De II. Matth. 11. *Confiteor tibi Pater &c.* De III. ep. 1. Jo. legitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, ut remittat.* Priori confessione profitemur Christi religionem, unde Symbolum Apost. dicitur *Confessio*, & fideles *Confessi.* Et pars templi, ubi martyres quiescunt, Græce *Martyrium*, latine *Confessionem* appellamus. Confessio laudis, de qua plura August. in Ps. 117. summam Dei bonitatem, & beneficentiam commendat. Utraque sine confessione peccatorum stare potest, non vicissim. Debet enim qui confitetur peccata sua sperare, credere, & saltem animo Dei pietatem commendare. Definitur peccatorum Confessio (græce *Exomologesis*) *accusatio peccatorum eo fine suscepta, ut virtute clavium veniam impetremus.* Dicitur *accusatio*, idest non simplex aut jocosa expositio, sed accusandi, ac vindicandi animo: additur *veniæ impetrandæ causa*, ad differentiam judiciorum forensium, ubi confessionem supplicium subsequitur.

Not. II. Confessioni peccatorum adstrictos olim fuisse Judæos censet Morinus. Nam mense *Tisri*, de quo Levit. 16. habetur: *In hac die expiatio erit vestri ab omnibus peccatis vestris*, probatur ex pluribus hebraicis monumentis Judæos semel iterumque sua peccata confiteri. Profert etiam Morinus hujus confessionis exemplar, & ritum. Similia tradit Buxtorphius, & Huetius, qui ex Platone, Aristotele, Plutarcho, & Simplicio probat, etiam apud ethnicos in usu fuisse, ut scelus patratum pœniten-

nitentia & confeſſione vindicarent. Narrat etiam quo ritu peccata ſua aperiant Gauti, Siamenſes, Japonenſes, aliique ad publicam confeſſionem ex alta rupe ſuſpenſi a ſuis ſacerdotibus compulſi. Mirum proinde eſt, novatores, veluti tyrannicam rejicere catholicorum confeſſionem, quæ liberrima eſt, & non ſolum ab omni dedecore immunis, ſed eſt etiam utiliſſima.

Not. III. Confeſſionem damnarunt I. Novatiani ac Montaniſtæ. II. Sæculo VIII. exeunte quidam obſcuri nominis, qui ſoli Deo aperienda eſſe peccata aſſeruere, ex Alcuino ep. 71. III. Viclefus docuit, confeſſionem eſſe inſtituti Eccleſiaſtici, inutilem, & noxiam. Idem ſenſit Petrus Oxonien. an. 1478. a Sixto IV. damnatus. IV. Lutherus eam appellat cruentiſſimam carnificinam, negat jure divino eſſe inſtitutam, & in ea aperienda eſſe lethalia peccata. V. Conſtat ex Confeſſ. Auguſtana & Wittemb. a Lutheranis non prorſus rejici confeſſionem, imo perutilem eſſe ob abſolutionis beneficium, quæ cum ſit vox Dei, valet ad fidem excitandam: ſed ajunt, confeſſionem *auricularem* non eſſe divinæ inſtitutionis & publicam tantum pœnitentiam commendari ab Eccleſiæ PP. ante Lateranenſ. Concil. ſæcul. XIII. celebratum: & neceſſariam non eſſe enumerationem delictorum, ex Gratiano, Scoto, Acoſta apud Grotium, & Confeſſ. Auguſt. VI. Calvinus fatetur confeſſionem utilem eſſe, & vetuſtiſſimam, ſed ait liberam eſſe, nullumque ea de re ante Lateranenſ. Synodum extare præceptum, quod *multis nominibus* noxium appellat. Pugnat totis viribus pro hac ſententia Dallæus. Sit itaque

Propositio I. Ex ſacris literis oſtenditur extare ſacramentalis confeſſionis præceptum.

Probari ſolet ab aliquibus ex variis ſymbolis veteris Teſtamenti, ubi recenſetur Adami, & Caini confeſſio, quam Tertullianus, Ambroſius, & Gregorius M. confeſſioni Sacramentali comparant. Item patratum a ſe crimen accuſarunt Achan coram Joſue,

ſue, Saul coram Samuel, David coram Natan. Suadetur etiam confeſſio Num. 5. Lev. 26. Pſ. 31. ubi Deus hortatur Judæos, ut *confiteantur iniquitates ſuas*. Verum cum inſtitutio confeſſionis Sacramentalis ad novam legem pertineat, non aliud ex iis ſymbolis evincitur, niſi eam fuiſſe præmonſtratam, non ſecus ac in Judæorum purificationibus baptiſmus eſt præſignatus.

Probatur itaque ex novo Teſtamento, ac I. ex Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis &c.* Et Jo. 20. *Quorum remiſeritis &c.* ex quibus conſtat ſacerdotem conſtitutum fuiſſe in foro pœnitentiæ judicem, eique ligandi ac ſolvendi poteſtatem fuiſſe collatam: ſed nequit ſine *auriculari* confeſſione hæc poteſtas rite exerceri; ergo &c. Maj. patet ex Prop. 1. c. 2. Diſſ. præced. Min. prob. Conſtat enim, ait Trid. Syn. ſeſſ. 14. c. 5. *Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe.* Unde Alcuinus ep. 71. ait: *Quid ſolvit ſacerdotalis poteſtas, ſi vincula non conſiderat ligati?* ergo &c. Senſit hujus argumenti vim Calvinus ipſe, unde ut eam eluderet, negavit ſacerdotibus judiciariam poteſtatem.

Prob. II. Act. 19. legitur: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Fruſtra Lutherus *actus* interpretatur *miracula*. Nam I. fideles ad confeſſionem illam adacti dicuntur timore incuſſo a dæmone in improbos exorciſtas inſiliente. II. quia Syri legunt: *Delicta ſua*, vel, ut habetur in Bibliis Walton. *Offenſas ſuas, confitebanturque quod fecerant.* III. ita hunc locum accipiunt Chryſoſtomus, Oecumenius, Baſilius &c. IV. Calvinus ipſe, Kemnitius, & Centuriatores de confeſſione illam exponunt, licet generali tantum. Sed male: nam Syriacum vocabulum, quod a שׁעא *ſchahà* derivatur, diſtinctam enumerationem ſignificat, & Græcum habet ὁμολογεῖν confiteri; ergo &c.

Prob.

Prob. III. ex illo Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, quem locum de Sacramentali confessione accipiunt auctor librorum de Visit. infirm. Alcuinus, Beda, Hugo Vict. Simeon Thess. &c. Ubi τὸ *alterutrum* sic exponunt: *Homo homini, reus judici, ægrotus medico.* Vide Morin. in App. ad l. de Pœn. p. 133. Plana est ergo hujus loci expositio, quam tradit Calmet, aliique, ad veniam obtinendam aperienda esse peccata, sive coram Ecclesia, si publica sint, sive secreto, si occulta.

Opp. hæretici: I. potestas clavium nil aliud est, præter munus declarandi apud Deum peccata fuisse dimissa; ergo &c. II. Hæc potestas iis competit, qui sunt Spiritu S. donati; ergo nostri sacerdotes, qui sunt eo destituti, illam non habent. III. Solus Deus Is. 43. & Marc. 2. peccata dimittit; ergo &c. IV. Ex quo illud Jo. 20. *Quorum remiseritis &c.* quidam PP. exerceri scribant in baptismate, non sequitur baptismo præmittendam esse confessionem; ergo nec pœnitentiæ. V. Quidam laici Alcuini tempore commendabant confessionem soli Deo factam ex Ps. 31. & 91. *Bonum est confiteri Domino &c.* ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Non enim ajunt sacerdotes: *Declaro te solutum esse*, sed: *Ego te absolvo*, nec annunciandi, sed ligandi & solvendi potestate donati sunt. Ad II. retorq. argum. Nam hæretici nuntiis Evangelicis etiam improbis, & irrisoribus mysteriorum suam fictitiam clavium potestatem inesse putant. R. II. dist. ant. Competit Spiritu S. donatis, ut licite & valide ea utantur, conc. ut valide tantum, neg. Ad III. dist. ant. Solus Deus dimittit auctoritate suprema ac propria, conc. ministeriali & aliena, neg. Sicut enim ex quo Deus solus mirabilia faciat, non sequitur per subjectam creaturam mira non operari, ita nec sequitur per sacerdotes non dimittere peccata.

Ad IV. neg. cons. Nam in baptismo homo renascitur Christo, adoptatur Ecclesiæ; ergo nudum mi-

 nisterium

nisterium exercent, qui baptizant: at in pœnitentia judicium exercent, & curam animarum, quæ duo apte fieri non possunt, nisi crimina, & vulnera aperiantur; ergo &c. Ad V. R. I. Scripturas commendare confessionem Deo factam, nec improbare factam hominibus, quam ipse David coram Natan confessus exercuit. R. II. Confiteri Deo qui confitetur ministris ad id constitutis a Deo. Hinc S. P. A. illud in Ps. 31. *Quoniam tacui &c.* exponit: *Quoniam non protuli ore confessionem*; ergo &c.

PROPOSITIO II. Confessionis Sacramentalis necessitas ex traditione, & usu Ecclesiæ comprobatur.

Prob. I. Ex definitionibus Roman. Pontificum, qui Innocentium III. præcessere. Misso Clemente, qui ep. 2. ad Cor. lapsis confessionem peccatorum indicit, constat ex Eusebio l. 6. H. E. c. 23. Fabianum Papam tertio Ecclesiæ sæculo Philippo Cæs. vetuisse sacrorum aditum, *priusquam confessionem scelerum fecisset.* Ubi observat Nicephorus l. 5. c. 25. Philippum illorum pœnitentium ordini fuisse admixtum, *qui juxta disciplinam Ecclesiæ, præmissa scelerum confessione, explorabantur.* Innocentius I. Ep. ad Decent. ann. 416. scripta ait: *De pondere delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, ad fletus &c. Ac tunc debere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* Constat ergo etiam solemni reconciliationi, de qua ibi sermo est, confessionem peccatorum fuisse a pœnitente præmissam, & a sacerdote injunctam *congruam satisfactionem.* Quam tamen *ante Pascha relaxandam monet ei, qui desperata valetudine inciderit in ægritudinem*, ut ejus necessitas pateat. S. Leo I. Ep. 80. nunc 136. data ann. 459. vetat, *ne de singulorum peccatorum genere scripta professio publice recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti. Tunc demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscien-*

ſcientia confitentis. Et ep. 91. *Neceſſarium eſt*, ait, *ut peccatorum reatus ante ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur, nec illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium, vel confeſſio pœnitentis, vel reconciliatio ſacerdotis.*

Gregorius Magn. plura habet de Confeſſione Sacr. l. 3. Mor. in Jo. 7. & Hom. 26. in Ev. ad illud: *Quorum remiſeritis*, ait: *Videndum quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecutura poſt culpam, ut illos paſtoris ſententia abſolvat . . . Lazaro dicitur: veni foras, ac ſi cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? veniat foris mortuus, ideſt culpam confiteatur peccator. Venientem foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri*; ergo Innoc. III. qui ſæculo XIII. in Lateranen. Concilio annuam confeſſionem præſcripſit; majorum veſtigiis inhæſit.

Prob. II. Ex Conciliis. Nam Laodicenum paulo ante Nicænum can. 4. præcipit, ut pœnitentibus, qui in humilitate *confeſſionis* perſeverant, ſtatuatur pœnitentiæ tempus: *Secundum proportionem delicti.* Cabilonenſe ann. 650. præcipit: *Ut a ſacerdotibus data confeſſione indicatur pœnitentia.* Trullanum ann. 792. can. 102. ait: *Oportet eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem accepere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus, qui peccavit ſtudium & affectionem, & ſic morbo afferre medicinam.* Sed hoc fieri nequit ſine peculiari ac diſtincta peccatorum manifeſtatione; ergo &c. Huic addit Lupus Synodum Vormatienſem, & Londinenſem. Addit etiam cl. Auctor Cabilonen. alteram ann. 813. quæ can. 32. damnat eos, *qui non plene confitentur peccata ſua.* Et can. 33. *eos, qui dicunt, Deo ſolum confiteri debere peccata. Cum Deus ſanitatem noſtram non ſolum potentia ſua, ſed etiam medicorum operatione producat*, Recte ergo monet Lateranen. Concilium in cap. *Utriuſque*, ut *ſacerdos ſit diſcretus & cautus, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati*,

peccati, per quas intelligat quale illi debeat remedium adhibere. Similia habet Trid. seff. 14. ergo &c. Cum autem hæc S. Synodus ibi afferat Ecclesiam iis verbis: *Quorum remiseritis &c.* semper intellexisse collatam sacerdotibus judiciariam potestatem, idcirco.

Prob. III. Ex PP. Irenæus l. 1. c. 6. narrat, fœminas a Valentinianis circumventas *confessas* esse secreti stupri consuetudinem, & c. 13. a Marco præstigiatore *contaminatas miro ipsius amore exarsisse*: atque hanc labem *exomologesi* purgasse pulcherrimam diaconi uxorem; ergo occulta etiam crimina exomologesi purgare mos erat in Ecclesia. Adde, mulieres quasdam a Marco compressas ob pudorem confessionis faciendæ, ex Irenæo c. 7. *desperasse*; ergo necessariam ad salutem *exomologesim* putarunt. An vero confessio illa fuerit privata, vel publica, ut censet Ernestus Grabe, parum refert ad hanc quæstionem, in qua de ejus necessitate, non de modo sermo est. Utraque tamen Sacramentalis erat, & sacerdoti fiebat, & publicæ præibat privata, ut sacerdos ex occultis criminibus sibi patefactis quædam vulgari juberet, ad tollendos abusus idonea; ergo &c.

Tertullianus de Pœnit. c. 9. ait: *Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat; confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Hujus pœnitentiæ operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus exomologesis est, qua delictum Domino confitemur;* ergo exteriori etiam actu peccatorum accusatio per Tertull. fieri debet.

Nec te moveat, quod confitendum dicat Domino; nam paulo post ait, eos, qui Domino confitentur *presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari.* Addit, plures abstinere ab hoc opere *pudoris magis memores, quam salutis.* Et ita concludit: *Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum*

ſtum contrectas. Merito ergo ex Tertulliano Pamelius exagitat Novatores. Cyprianus, de Lapſ. pag. 383. ait : *Confiteantur ſinguli delictum ſuum, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per ſacerdotes apud Deum grata eſt. Deinde laudat eos, qui quamvis nullo ſacrificii*, ideſt idololatriæ, *facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipſum apud ſacerdotes ſimpliciter confitentes exomologeſim faciunt, animi ſui pondus exponunt, medelam exquirunt &c.* cum ergo conſtet, criminum occultorum confeſſionem publice præſcriptam non eſſe, *luce clarius eſt*, ait Editor Benedictinus, eos, *qui exomologeſim faciebant &c. peccata ſua auribus alicujus ſacerdotis depoſuiſſe.* Eadem habet Cyprianus in ep. ad Antonianum. Baſilius in Pſ. 29. T. 2. ed. Morell. p. 645. ad interrogationem 288. *Quibus peccata ſint aperienda?* reſpondet: *Quibus credita eſt diſpenſatio divinorum myſteriorum.* Et ep. ad Amphil. p. 771. ait, non eſſe publicandas *adulterio pollutas mulieres, & id confitentes remiſſionis cauſa, ob circumſpectionem;* ergo &c. De S. Ambroſio narrat Paulinus in ejus vita: *Quoties illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Cauſas autem criminum nulli, niſi Domino ſoli, loquebatur.* Ipſe Ambroſius l. 1. de Pœn. c. 16. ait : *Si quis, occulta crimina habens, ſtudioſe pœnitentiam egerit, quomodo iſta recipit ſi ei communio non refunditur?* Ubi Dallæus pro *multa* perperam effutiit *occulta* irrepſiſſe, quæ lectio nullo codice ſubnixa eſt, ut notant Maurini. Item l. 2. c. 1. ait : *Et nos non erubeſcamus fateri Domino peccata noſtra.* Quis autem erubeſcit Deo fateri peccata, cui nuda ſunt omnia? Et c. 6. ait : *Solvit criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum;* ergo &c.

Chryſoſtomus l. 2. de Sacerdotio ait: *Multa arte opus eſt, ut ægri ſacerdotum remediis libenter ſe ſubjicere ſuadeantur.* Addit: *Peccantium explorandum eſſe propoſitum; idcirco paſtori opus eſſe* 600.

oculis

oculis, ut undique animæ ſtatum circumſpiciat. Et l. 3. pag. 384. eos præfert ſacerdotibus veteris legis, quod illi *non lepram corporis, ſed immunditiam animæ non purgatam probandi, ſed purgandi poteſtatem accepere.* Et hom. 2. de Cruce, & Latr. ait: *Si latronem dignatus eſt, multo magis nos ſua benignitate dignabitur, ſi voluerimus peccatorum confeſſionem inſtituere; igitur peccata propria fateri ne erubeſcamus, magna enim confeſſionis eſt vis.* Eadem habet Or. de Samar. *Imitemur*, ait, *hanc mulierem, & ob propria peccata non erubeſcamus; qui enim homini detegere peccata erubeſcit, neque confiteri vult, in die illa non coram uno, vel duobus, ſed univerſo orbe ſpectante traducetur;* ſed ex his conſtat, ſacerdotes eſſe medicos animarum, datum illis ut peccata remittant, ut lepram a lepra diſtinguant, aperienda occulta crimina, vincendam erubeſcentiam extremi judicii meditatione &c. ergo &c.

Auguſtinus Tract. 49 in Jo. ait: *Quando confiteris, procedis. Quid eſt autem procedere, niſi ab occultis veluti exeundo manifeſtari?* hominibus nempe, non Deo, cui nil eſt opertum. Et Serm. 2. in Pſ. 101. *Cum audis*, inquit, *hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulcro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis, inquit, in terra &c.* Ubi interior contritio, ſcelerum manifeſtatio, & ablutio ſacerdotalis perſpicue diſtinguitur; ergo &c. & in Pſ. 66. *Conſcientia tua ſaniem collegerat, adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat: agnoſce medici manum, confitere, & defluat omnis ſanies.* Et ſerm. 391. de Pœn. ait: *Implicatus vinculis peccatorum dubitat confugere ad claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in cœlo?* Serm. 392. ad Conjugatos: *Nemo dicat, occulte ago, novit Deus, qui mihi ignoſcat; ergo ſine cauſa dictum eſt: Qui ſolveritis in terra &c.* Item Serm. 393. monens impium ut pœniteat, dum ſanus

ſanus eſt, ait: *Quia ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam pœnitentiam accipere, ac Deo & ſacerdoti peccata ſua confiteri poterit*: quæ verba confeſſionem peccatorum, & ſacerdoti faciendam, & ad mortis articulum non differendam deſignant. Plura alia profert Torrenſis ex opere de vera & falſa Pœnitentia, & ex lib. de *Viſitatione infirmorum*, ſed utrumque opus Auguſtino ſupponitur; licet utrumque non exiguam habeat auctoritatem. Vide auctorem.

Jam vero ex PP. ſic arguitur. Docent PP. exomologeſim fieri ſolitam ad genua ſacerdotum, idque egiſſe corruptæ vitæ mulieres viroſque: docent ſacerdotibus tantum datas Eccleſiæ claves, eoſque judicare inter lepram & lepram, fruſtra aliunde expectari remiſſionem & Evangelium fruſtrare, qui eos celant occulta crimina: peccatores hortantur ad erubeſcentiam vincendam, ne inficiantur peſtilenti ſanie, & maximo rubore in extrema die ſuffundantur; ergo PP. neceſſitatem ſecretæ confeſſionis tradidere.

Prob. IV. Ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ uſu, cujus vetuſtiſſima monumenta produximus prob. I. longe ante Innocentii III. ævum: qui ſi novum, graviſſimumque præceptum fidelibus impoſuiſſet, & ut hæretici putant, *conſcientiæ carnificinam*, contra illud epiſcopi, & fideles reclamaſſent; ergo &c. Idem dicendum, ſi alium hujus conſuetudinis inſtitutorem obtrudant; conſtat ergo ex regulis ab Auguſtino ſtatutis ad inveniendas traditiones, hanc nos a PP. iſtos ab Apoſtolis, Apoſtolos a Chriſto accepiſſe. Nec dicas, hanc traditionem ſervari in ſola Romana Eccleſia. I. enim eſt major hujus, quam aliarum auctoritas, ac diligentia in traditionibus ſervandis: II. etiam in Eccleſia Orientali ſervatur, ex Simeone Theſſal. Gabriele Philadelph. ex Pœnitentiali Joannis II. Conſtantinop. præſulis, ex pluribus Græcorum euchologiis. Et ex communi etiam hodierna Græcorum praxi, ipſos Græcorum

corum bresbyteros, licet raro admodum, ne a ſacris arceantur, juxta canones Baſilianos, aliquando tamen confeſſione purgari, ſedere autem quotidie excipientes *exomologeſim* laicorum, & nullum ex his ad S. Synaxim inconfeſſum accedere exploratiſſimum eſt; ergo &c.

Prob. V. Ex aliarum nationum conſenſu. Armenii, licet variis erroribus impliciti, nullibi de iſto inſimulantur. Cophtos, atque Æthiopes ad aures ſacerdotum confiteri peccata, ita certum putat Bernatus: *Ut nihil poſſit eſſe exploratius* (1). Fal-

(1) Quamvis circa XII. Eccleſiæ ſæculum tres Cophtitarum Patriarchæ Sacramentalem confeſſionem abrogare tentaverint; huic tamen novitati reſtitere, Renaudotio teſte, primo Marſus quidam, qui Marcum Zaraæ filium confutavit, ſubinde vero Abnaſſali fratres duo, aliique non pauci. Imo eodem tempore Michael Antiochenus Jacobitarum Patriarcha confeſſionis Sacramentalis, & canonicæ pœnitentiæ neceſſitatem demonſtravit in tractatu de Præpar. ad Communionem. Cur autem Cophtitæ, & Ægyptiorum nonnulli ab avita PP. omnium ſæculorum traditione receſſerint, rem ſic narrat laudatus Renaudotius, in Comment. ad Liturgiam Copht. S. Baſilii. Cum ſacerdos, inquit, laicos per Eccleſiam incenſaret, ſolebant Cophtitæ ejus precibus commendare ſe, & confeſſionem quandam verbis generalibus illi ſimilem pronunciare, quam in Miſſa recitat Eccleſia Latina. Cum interea ſacerdos orationem diceret, quæ ad remiſſionem peccatorum pertinere videtur, putarunt ſimiles abſolutiones valere ad abolenda peccata, quæ ex fragilitate a piis viris quotidie committi ſolent.

Hinc ſuperſtitionis initium, & ſubinde pœnitentiæ ſubverſio. Nam ſæculo XI. & XII. ad S. Synaxim admitti cœperunt graviorum criminum

Falſum eſt ergo Cophtos ob rigorem diſciplinæ non frequentare hoc Sacramentum, ut ſcribit Alex. H. E.

---

num rei, qui ſacerdotibus confiteri, & canonicam pœnitentiam ſubire renuebant, ne forte qui forent a communione remoti, aut calumniam ſibi apud Mahumedanos conflarent, aut fidem omnino abnegarent. Alii vero longius progreſſi, ut Joannes Abugaleb Cophtitarum Patriarcha, & Marcus Zaraæ filius, confeſſionem penitus abrogarunt. *Itaque ex peſſima illa inſtitutione multi exiſtimare cœperunt ſufficere ad expianda peccata, ut cum ſacerdos thuribulum circumferret, inclamareturque a populo: Kyrie eleiſon, addicerentur hæc verba: Suſcipe Domine hoc incenſum, quod offertur tibi a ſacerdote tuo pro peccatis noſtris. Tunc unuſquiſque animo revolvens peccata ſua, ea ſecrete coram Deo confitebatur, atque ita, illa ſibi remitti ſtulte exiſtimabat. Illam brevem formulam agnoſcendi ſe peccatores coram Deo confeſſionem vocarunt.*

Hæc Renaudotius. Verum, quidquid ſit de putida quorundam inſanorum hominum ſuperſtitione, explorata res eſt, confeſſionem auricularem a primis Eccleſiæ ſæculis penes Æthiopes, Chaldæos, Perſas, Indos, Cophtos, Syros Jacobitas, & Neſtorianos, aliosque Orientales in uſu fuiſſe. Nam inter Sacramenta illam recenſet Abedjeſus Sobenſis in lib. *Margaritæ* part. 4. c. 1. Joſephus Indus *Navigatione novi Orbis* c. 134. de Neſtorianis ait: *Confitentur ut nos.* Cum autem quidam Patriarcha Neſtorianus, quem cl. Aſſeman fuiſſe opinatur Simonem Barmamam, eam eliminare conatus eſſet, hinc contentiones & cædes plurimæ obortæ ſunt. Rem ita narrant Sulaka, & Joſephus II. *Erat apud nos conſuetudo, ut revelaremus peccata noſtra inter nos: ſed ſurrexit violentus tyrannus, & abolevit eam: orta eſt cædes & contentio, & ceſſare fecit*

H. E. p. 3. c. 9. licet enim raro confiteantur negotiatores, ſæpe tamen id agunt ceteri præſertim fœminæ, ut oſtendit Sollerius tom. 5. Act. Ss. Jun. qui etiam profert celebrem fidei confeſſionem Patriarchæ Babyloniæ Habedjeſu Apoſtolicæ doctrinæ conformem. Quid plura? ab Huſſitis, atque Valdenſibus, imo a pluribus Anglorum minime denegatam ſacramentalem confeſſionem oſtendit Boſſuet in H. Variationum. Et Lutherani probarunt aliquando Lutheri Catechiſmum, ubi præſcribitur confeſſio omnium, *quæ menti occurrunt*; ergo &c.

Prob. VI. Ex teſtimoniis monachorum, qui ante Innoc. III. floruere. Nam præter Baſilium, de quo ſupra, plura de utilitate confeſſionis occultorum criminum ſcribit Caſſianus Coll. 2. c. 13. Alcuinus ep. 71. ad quoſdam Gothorum, *qui nolebant confeſſionem ſacerdotibus dare*, oſtendit peccatori *ad confeſſionis medicamenta confugiendum in quacumque morte verſentur*: idque exemplo trium mortuorum, quos Dominus ſuſcitavit, explanat. Idem probat ex

---

cit illam. Gabanus etiam de Sacram. Pœn. ſect. 1. ſcribit ſtatuiſſe Neſtorianos: *Ne quisquam deinceps alteri, quam ſoli Deo peccata ſua confiteretur: propterea quod ex revelatione cujusdam confeſſionis, cujus ſecretum Spahanenſis neſcio quis aperuerat, multæ inter ipſos Syros diſſenſiones, & homicidia veniſſent.* Verum confeſſionem auricularem reſtituere curarunt imprimis laud. Sulaka Patriarcha, ejuſque ſucceſſor Abedjeſus, deinde Miſſionarii Apoſtolici tam in Chaldæa, & Perſide quam in Indiis. Epiſcopi enim, qui a Patriarcha Babylonico in Indias deſtinabantur, inter alios Neſtorianorum errores confeſſionis auricularis horrorem populis illis inſtillabant, teſte Antonio de Gouvea in Act. Alexii Menezii Goenſis Arch. l. 7. c. 13. Hæc laud. Aſſeman to. 3. Bibl. Orient. par. 2. p. 287.

ex libello de geſtis Bertillæ Abbatiſſæ Præf. 1. in ſæc. III. Bened. Mabillonius. Sæculo XII. de neceſſitate confeſſionis oralis egit S. Bernardus Serm. de S. Andrea, in Exhort. ad Milites Templi, in vita S. Malachiæ, ubi narrat mulierem ejus abſolutione ab inſania liberatam. Conſimile miraculum a Bern. patratum narrat Guillelmus Abbas. Plura etiam hujuſmodi narrat Petrus Cluniacenſis. Adam Abbas Perſeniæ ep. 20. ad Antiſtitem monaſt. de Vernuſia Aug. inſtituti, teſte Martenio, plura habet de confeſſionis præcepto, conditione, forma, & confeſſarii munere, quæ licet non ſint cum auctoritate PP. comparanda, tamen ſatis oſtendunt hoc dogma majorum traditione ſubnixum eſſe.

Ob. I. Ante Lateranen. Conc. nullum erat de confeſſione præceptum; ergo &c. II. Eccleſia ex Trid. ſeſſ. 24. non judicat de occultis; ergo ſi qui confeſſioni ſe ſe ſubjecere, non ex vi traditionis, ſed ex humilitate id fecere. III. Nectarius C. P. epiſcopus, teſte Socrate, Sozomeno, & Nicephoro, ob exortum ſcandalum propter ſtuprum mulieris cum diacono, ſuſtulit presbyterum pœnitentiarium, ſed hoc non feciſſet, ſi extaſſet de confeſſione divinum præceptum; ergo &c.

Nec dicas a Nectario ſublatum tantummodo publicæ confeſſionis uſum: narrat enim Socrates permiſſum ſubinde cuique: *Ut pro arbitrio, animique conſcientia accederet ad communionem:* poſtea vero ſublato pudoris fræno graviora flagitia erupiſſe; ergo &c. Idem evincitur ex Chryſoſtomo, qui Nectario ſucceſſit.

R. ad I. neg. ant. De quo vide prob. I. Prop. II. conſtat enim Innocentium tempus confeſſionis annuæ determinaſſe, non eam primitus inſtituiſſe, quod etiam evincitur ex c. *Omnis utriuſque*, & declarat Trid. ſeſſ. 14. c. 5. Ad II. neg. conſ. & retorq. argum. Eccleſiæ enim, quæ de occultis non judicat, collata eſt ligandi & ſolvendi poteſtas; ergo debent occulta crimina per ſinceram confeſſio-

nem eidem manifeſtari. Ad III. R. I. Thomas Valdenſis, Canus, & Eſtius, Nectarium graviter peccaſſe, eique pravum conſilium ea de re Eudemonem dediſſe, cui Nectarius rerum Eccleſiaſticarum imperitus, utpote qui ad ſenectam uſque inter laicos verſatus ſenex fuit inauguratus epiſcopus, facile aſſenſum præbuit, ex quo *anſam ſingulis datam videns* non ultra confitendi, graviter cum Eudemone queſtus eſt teſte ipſo Socrate.

R. II. Baronius, & Latinius Viterbien. hanc de Nectario narrationem fabuloſam eſſe. Et Baronius quidem Socratem, cum aperte Novatianum ſe prodat, non eſſe audiendum exiſtimat: ſugillat enim Chryſoſtomi verba: *Si millies pœnitentiam egeris, in Eccleſiam ingredere.* Cum Socrate deliraſſe Sozomenum ex eo probat Baronius, quod ſcribat Nectarii exemplum omnes fere præſules ſecutos, cum eodem tempore Nyſſenus canones ediderit pœnitentiales. Tandem, ſi Socrati & Sozomeno fides habeatur, Nectarium a Novatianis deceptum eſſe opinatur. Plura alia congerit Latinius ad fidem hujus facti elevandam, quæ vide apud Auctorem.

R. III. Bellarminus, Petavius, Morinus &c. abrogatam a Nectario aut confeſſionem publicam, aut pœnitentiam publicam criminum occultorum. Ac Bellarminus l. 3. de Pœnit. cap. 14. ait, occaſione Novatianæ hæreſeos inſtitutum *presbyterum bonæ converſationis, ut velut in theatro, ſub teſtimonio populi delicta pandantur.* Sic enim reddit verba Sozomeni Caſſiodorus H. Trip. l. 9. cap. 35. cujus lectionem probant Heſſelius, & Tapperus, eamque verſioni Nicephori, qui legit: *Grave epiſcopis viſum eſt in media plebe, velut in theatro, noxam confiteri*, præferendam putat Bellarminus, eo quod Caſſiodorus fuerit Sozomeno quaſi coævus, Nicephorus vero illo poſterior annis plus 800. ergo per Bellarminum non auricularis confeſſio, ſed tantum miniſter publicæ confeſſioni præpoſitus ſublatus eſt, qui occulta ſecreto ſervare debuit, & ſolum publi-

ca

ea ad pœnitentiam evulgare poterat: ſicque Caſſiodori, & Nicephori antilogiam cenſet poſſe conciliari. Idem præſtitit etiam Chryſoſtomus Nectarium imitatus.

Petavius autem lectionem Caſſiodori, utpote alienam a Græcis Sozomeni codicibus, ejuſque accuratis Chriſtophorſonii, Valeſii, & Savilli verſionibus rejiciendam putat, & verſionem Nicephori retinendam. Negat deinde ſtuprum mulieris ad Sacramentalem confeſſionem eſſe referendum. Nam Socrates habet tantum προβαίνȣσα, quod male vertit interpres: *Mulier longius in confitendo progreſſa*, cum tantum ſignificet, mulierem illam, *cum longius procederet* in obeunda pœnitentia, aliud facinus admiſiſſe, quod coram pœnitentiario depoſuit, & quo ab epiſcopo aliiſque comperto, diaconus depoſitus eſt, ac fama percrebeſcente flagitium ad populi notitiam venit, unde Nectarius pœnitentiarium amovit. Reapſe ſcribit Sozomenus ſtupratam mulierem, *dum hujus rei cauſa in Eccleſia moraretur*, idque abrogatum Conſtantinopoli, quod Romæ ſervabatur, nempe publicam pœnitentiam, quam ibi diſtincte deſcribit. Tandem Nectarius ipſe ſtatuit, ut quiſque ſua conſcientia fretus accederet ad communionem, hoc eſt, ne cogeretur ad publicam pœnitentiam. Hæc Petavius.

Morinus autem l. 2. de Pœnit. cap. 9. cenſet, pœnitentiarium hortatum mulierem, ut juxta morem Eccleſiæ quædam publica peccata enuntiaret, at *mulier longius progreſſa* (quæ verba recte ſuppleſſe interpretem opinatur, cum deſint in Græco) confeſſam quoque ſcelus cum diacono commiſſum, quod coram populo enuntiandum non erat. Unde infert Morinus a Nectario abrogatam publicam confeſſionem, nam ex privata nullum ſcandalum ortum eſſet, eamque etiamnum retinent Græci, aliique Orientales, non tamen negat etiam pœnitentiam publicam fuiſſe abrogatam, ut conſtat ex cap. 9. laudat., ubi expreſſe ait: *Utrumque revera ſuſtulit Nectarius.*

Valesius in not. ad Socratem binam mulieris confessionem distinguit, 1. qua jussa est fletibus jejuniisque vacare, 2. qua revelavit diaconi stuprum. Utraque privata fuit cum Socrates, Sozomenus, & Nicephorus scribant, factam *coram presbytero*, ad hoc constituto, ne scelera, *quasi in theatro vulgarentur*. Scandalum proinde ex eo natum est, quod pœnitentiarius accersito diacono ad fatendum crimen compulit, unde ab episcopo, quem pœnitentiarius ea de re fecit certiorem, depositus vulgatum est sacrilegium. Quare Nectarius sustulit pœnitentiarium, non confessionem, non enim interdixit fidelibus, ut nullum adirent presbyterum, aut sibi potestatem ademit arcendi a sacris eum, qui publicum crimen admisisset, sed cuique indulsit, ut ad synaxim adirent, absque eo quod se pœnitentiario, ut antea, subjicerent.

Ex quibus colligunt Juenin, Estius, Tournelyus, Vitasse, &c. sublatum pœnitentiarium, occasione Decianæ persecutionis institutum, ne lapsi absque prævia pœnitentia reciperentur. Hic presbyter nedum excipiendis confessionibus, sed etiam pœnitentiæ peragendæ erat præpositus, ut exciperet depositionem testium, reum argueret, & peccatis publicis statutas pœnitentias indiceret, interdum graviora crimina publicando pœnitentis consensu: ita patefactum mulieris stuprum; sublatum pœnitentiarium, & statutum ne habentes occulta crimina illum adirent, sed a quovis alio soluti sine publica pœnitentia ad synaxim accederent.

R. IV. cl. Auctor. Ex Nectarii facto catholicum dogma invicte probari. Sic enim illud narrat Sozomenus, quem frustra putat Baronius fuisse mentitum: *Cum peccatum necessario confiteri oporteat, grave ab initio visum est sacerdotibus tamquam in theatro crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate & prudentia polleret, huic officio præfecerunt; ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero*

pro

pro cujusque delicto, quod luere oporteret, loco pœnæ indicens absolvebat confitentes. Ex quibus evincitur I. necessitas secretæ confessionis, ne peccata palam vulgarentur. II. Id factum *ab initio* & ante exortam Novatianorum hæresim. III. Non unum, sed plures extitisse presbyteros secretis confessionibus excipiendis, nam Serapion lapsus in persecutione clamavit apud Eus. l. 6. c. 44. *Accerse mihi unum ex presbyteris.* Et Cyprianus de Laps. ait, exomologesim fieri *apud sacerdotes.* IV. Pœnitentiarium, licet & ipse confessiones exciperet, post Novatianam hæresim specialiter constitutum, ut præesset pœnitentiis agendis, & nemo ante illas exactas ad synaxim accederet; quod proprie sonat, apud Socratem, & Soz. *Presbyter, qui præest pœnitentiæ:* nam *metania*, prout ab *exomologesi* distinguitur, est executio operis satisfactorii. Opponentibus enim Novatianis, quod in Ecclesia lapsi indiscriminatim reciperentur, Cornelius R. P. & Cyprianus curarunt, ne lapsi levarentur onere pœnitentiæ. Reapse sublato pœnitentiario scribit Chrysostomus adhuc *sedere presbyterum* ad conferendam fidelibus reconciliationem & pacem. V. Scandalum non est exortum ob confessionem Sacramentalem, sed quia mulier pœnitentiæ insistens, postquam *ad pœnitentiarium delicta singillatim deposuerat*, ait Socrates, *progressu temporis pronuntiasse crimen aliud, ac dixisse quomodo secum diaconus concubuerit.* Ubi non ait Socrates, quod mulier crimen confessa est, ἐξομολογεῖται *confessa est*, *sed* κατηγόρει *accusavit*, *palam commemoravit*, non pœnitentiario, & secreto, sed palam etiam laicis: unde *diaconus Ecclesia ejectus est, & populus graviter commoveri cœpit.*

Clarius Sozomenus: *Matrona quædam ob peccata, quæ confessa fuerat, jussa ab hoc presbytero jejunare, dum hujus rei causa in Ecclesia moraretur, a diacono se stupratam prodidit. Quo cognito plebs omnis succensuit, eo quod contumelia illata esset Ecclesiæ.*

Stuprum ergo illatum est mulieri post confessionem, dum in Ecclesia moraretur ob pœnitentiam, & ab ipsa, non a pœnitentiario stuprum proditum est: alias pœnitentiarius non solum amotus, sed etiam punitus, a præsule, aut objurgatus fuisset. Quare Nectarius vetuit tantum publicam pœnitentiam, cui aliquis presbyter præerat, ne aliquod simile facinus committeretur: *Presbyterum*, ait Sozomenus, *qui agendæ pœnitentiæ præpositus erat, abolevit.* Nec obstat, quod ait Socrat. permissum cuique ad Synaxim accedere: *Prout sibi conscius esset &c.* nec quod ait Socr. minora fuisse antea peccata: *Ob verecundiam eorum, qui sua delicta enuntiabant, & ob severitatem judicum.* Nam sublata forma pœnitentiæ, qua tantum in conventu Ecclesiæ absoluta fas erat ad communionem accedere, & amoto pœnitentiario, improbi sentientes se non afficiendos pudore, & diuturna maceratione, facile invaluit peccandi licentia.

Ob. II. Chrysostomus hom. 5. de Incompr. ait: *Rogo, ut Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo, conscientiam tuam expande coram Deo, licet enim taceas, ipse novit omnia.* Et Catech. 2. ait, quod Deus non cogit *in medio patrata edicere, sed sibi soli confiteri.* Et Conc. 4. de Lazaro ait: *Cur erubescis dicere peccata tua? Num homini dicis, ut te probro afficiat &c. Mihi soli, ait Dominus, dic peccatum privatim, ut sanem ulcus.* Et in Homil. ad Concion. *Apud conscientiæ rationes fiat inquisitio, Deus te confitentem solus audiat, qui peccata non exprobrat, sed delet;* ergo &c. II. Basilius in Ps. 37. ait, Davidem soli Deo *gemitus cordis sui* ostendisse; ergo &c. III. Nyssenus ep. ad Letojum ait, avaritiæ peccata non esse confessione expianda; ergo &c. IV. Ambrosius l. 10. in Luc. 22. ait: *Lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri.* V. Pomerius *confessionem, aut emendationem proponit;* ergo alterutram sat esse opinatur. VI. Beda l. 5. in Luc.

cen-

cenſet ſolam hæreſim Judaiſmum, & ſchiſma ſacerdotibus eſſe aperienda: *Cetera vitia per ſeipſum interius in conſcientia Dominus ſanat;* ergo &c.

R. Neg. conſ. Vult enim ibi Chryſoſtomus peccata non eſſe aperienda coram multitudine, unde pudor maximus oriatur: ſe ſat eſſe, ſi ſoli Deo, nempe Dei miniſtro fiat, ſecretam exomologeſim nemini revelanti. Non enim ait Chryſoſtomus: *Ne confitearis ſacerdoti, aut miniſtro Chriſti*, cui alibi ait eſſe poteſtatem ſolvendi, ſed non eſſe confitendum *conſervo*, laico nempe contumelioſo, *qui in publicum proferat.* Nec ait: *Ne accedas ad ſacerdotem in templo ſedentem, ut tibi reconciliationem impertiatur*, nam oppoſitum ait hom. 33. in Matth. Sed ait: *Ne dicas peccata ei, qui palam enuntiet*: unde in hom. Incompr. *Neque in theatrum te duco conſervorum tuorum.* Reapſe conatur ibi Chryſoſtomus declamatoria oratione peccatorem inducere ad vincendam erubeſcentiam, unde utitur comparatione ſummæ confuſionis extremæ diei, quæ longe major futura eſt, quam ſit uni tantum homini peccata detegere, ut ait hom. de Samar. Quod ergo ait, apud rationes conſcientiæ fieri inquiſitionem criminum, deſignat ſine teſtibus, & ſola urgente conſcientia, contra quam ſit in magiſtratu, exerceri judicium.

In Conc. de Lazaro nomine confeſſionis factæ ſoli Deo deſignat confeſſionem Sacramentalem: nam juxta Græcos, quæ per ſacros miniſtros fiunt, a ſolo Deo fieri dicuntur. Ita S. D. hom. 50. in Matth. de Euchariſtia ait, hanc hominem non operari, & in eo ſolum Chriſtum manus extendere: regi enim tribuimus, quæ a miniſtris fiunt; ſacerdos autem miniſter eſt Chriſti. Hinc Confeſſarius apud Græcos ait pœnitenti: *Frater ne erubeſcas: non enim mihi peccata enuntias, ſed Deo.* Vide Arcudium, & Goarium; ergo &c.

Ad II. neg. conſ. ibi enim de contritione Davidis, non de Sacramento novæ legis tractat Baſilius, qui

alibi ſacerdotibus peccata aperienda eſſe perſpicue declarat. Ad III. neg. conſ. Ait enim ibi avaritiæ *mederi poſſe, dummodo*, avarus, *aperiat peccatum ſuum ſacerdoti:* & largiendo pauperibus quæ habet, evellat ex animo pravam cupiditatem. Ad IV. neg. conſ. Nam S. D. docet converſionem initium ducere a lacrymis, ſed confeſſionem non excludit, ait enim ibidem: *Si in aliquo labaris, reſpicit*, Deus, *ut fatearis errorem.* Ad V. neg. ant. Num. l. 2. c. 7. ait: *Illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum habituri ſunt ultorem;* non ergo alterutrum ibi proponit Pomerius, ut perperam contendit Dallæus, ſed ait, Deum eſſe ultorem illorum, qui aut peccata non confitentur, aut ſi confiteantur, non ſe emendant. Dixerat enim ſupra: *Quoslibet nobis peccata ſua tanquam medicis vulnera aperire.* Ad VI. neg. ant. Loquitur enim Bedas de receptione eorum, qui ſunt extra Eccleſiam, non de abſolutione Sacramentali. Nam de lepra eorum, qui ſunt in Eccleſia ait: *Gravioris lepræ immunditiam ſacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium purificari curemus.*

Propositio III. Conſentiunt catholico dogmati Gratianus, & duces ſcholarum.

Prob. I. pars. Gratianus enim de Pœn. diſt. 1. n. 37. docet, quoſdam aſſerere peccatum remitti per contritionem, quæ confeſſionem præcedit, alios *ſine confeſſione oris, & ſatisfactione neminem a peccato poſſe mundari, ſi tempus habuerit:* & hanc ſententiam confirmat verbis Iſaiæ & Ambroſii: *Non poteſt quiſquam juſtificari, niſi ante fuerit peccatum confeſſus.* Falluntur autem hæretici, dum nobis priorem ſententiam opponunt, quaſi Gratianus putaverit confeſſionem neceſſariam non eſſe ad delendum peccatum, aliud eſt enim efficaciam contritionis aſſerere, quæ vi ſua impium juſtificet, aliud negare confeſſionis neceſſitatem. Gratianus ergo ibi profert ſcholaſticorum ſententias, qui contritio-

nis

nis quidem efficaciam propugnabant, confessionem tamen non negabant; eaque in sua probabilitate relicta, ait: *Fit confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ.* Profert etiam plures canones de necessitate pœnitentiæ, 41. Chromatii, quem tribuit Chrysostomo, & 44. ex Aug. serm. 392. & alios ib. Tandem PP. locis oppositæ sententiæ respondet, aliter esse *interpretanda, quam ab advers. exponuntur.* Prob. II. pars. Nam sententiam nostram tuentur Guillelmus Parisien. Magister, Petrus Pictavien. Alex. Alensis, D. Thomas, Bonaventura, Scotus, aliique tam veteres, quam recentiores.

Ob. I. Gratianus, quamvis de Pœnit. dist. 1. num. 87. plura protulerit, quibus *probatur sine confessione oris, neminem a peccato mundari;* tamen §. 2. *E contra* aliis argumentis ex Chrysostomo, Ambrosio, aliisque probare nititur: *Sine confessione oris posse peccata deleri.* Addit verba illa: *Confitemini alterutrum &c.* esse exhortationis, non jussionis, vel ad interiorem pœnitentiam, si quæ sunt hujusmodi esse referenda. Loca autem SS. PP. exponit de satisfactione *pro manifestis criminibus: latentia vero peccata non probari sacerdoti necessario confitenda.* Tandem concludit: *Cui harum*, sententiarum, *adhærendum sit lectoris judicio reservatur: utraque enim fautores habet sapientes, & religiosos viros;* ergo &c. Quod confirmat ex Pœnitentiali Theod. Cantuar. ubi habetur: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dixerunt, ut Græci, quidam sacerdotibus, ut tota fere Ecclesia;* ergo &c. Ita Dallæus. II. Jo. Theutonicus de Pœn. ait: *Sed melius dicitur fuisse institutam a quadam universalis Ecclesiæ traditione;* unde infert Græcis necessariam non esse, quos non obstringit traditio Ecclesiæ Romanæ, *sicut nec traditio consecrandi in azymo.*

III. S. Bonaventura in 4. dist. 17. ait, confessionem non requiri ad justificationem: *Cum sequatur contritionem, quæ sine justificatione non est.* Nunc autem hæreticam habendam oppositam sententiam

ob definitionem Concilii Lateranensis: *Sed ante non erat hæresis, quia non negabat potestatem clavium, sed necessitatem. Ideo Magister, & Gratianus hoc referunt tamquam opinionem.* IV. Scotus dist. 17. negat, ex quo confessio sit a Christo instituta, inferri quod si necessaria; aut illos posse revinci, qui ajunt, eam esse de jure Ecclesiastico, non de divino. V. Durandus ex Estio *eo propendet, ut putet confessionem non esse præcepti, sed consilii.*

R. Ad I. Gratianum loco cit. quærere: *An aliquis possit promereri veniam absque sacerdotali judicio*, & producit 1. Canones 60. pro utraque sententia, at cap. *Voluissent* docet: *Quod sine confessione oris &c. peccatum non dimittitur*, quod probat exemplo eorum, quos Dominus mundavit a lepra inferens: *Quod ille, quem culpæ macula inficit, nisi confessione oris, vel Ecclesiæ intercessione sanari non poterit.* Sequitur postea §. 2. *E contra*, ubi ostendit posse impium per interiorem pœnitentiam mundari: *Modo in seipso puniat peccatum contritione cordis, & secreta satisfactione.*

Ex quibus constat, Gratianum hinc inde differere de vi peccatorum expiatrice, quæ an insit contritioni cordis, an sacerdotali judicio, an utrique, tunc erat quæstio adiaphora, unde observat Bonaventura, D. Thomas, aliique sensisse Gratianum, quod confessio sit utique a Christo instituta, sed ejus necessitas definita solius Ecclesiæ decreto, quo nondum lato fas erat, salva fide, de ea necessitate disputare. Reapse Gratianus §. 3. ait: *Sine confessione oris, si facultas non defuerit, aliquod grave delictum expiari auctoritati penitus probatur adversum*, quod multiplici ratione demonstrat; ergo &c. Idipsum sensit Magister, qui dist. 17. l. 4. ait: *Deo primum, deinde sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse ad paradisum perveniri, si adsit facultas.* In Canone autem: *Quidam Deo* τὸ *ut Græci* additum est, cum desit in Pœnitentiali Theodori & in Concilio Cabil. II. unde canon fuit excerptus, sed

etiam

etiam admissa Gratiani lectione dicimus Ecclesiæ Orthodoxæ sententiam, cui saniores Græci subscribunt, opinioni Græcorum errantium esse præferendam.

Ad II. dist. ant. Ait fuisse *institutam*, quoad *temporis definitionem*, conc. quoad vim Sacramenti, neg. Eo enim sensu loquitur Jo. Teutonicus, quo D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. ait: *Quod ad confessionem obligamur uno modo ex jure divino, alio modo ex præcepto juris positivi*, EX INSTITUTIONE *Ecclesiæ edita sub Innocentio III.* Ad III. R. Bonaventuram sensisse requiri in pœnitente contritionem caritate habituali formatam ex q. 4. art. præc. Quare necessitatem confessionis propugnat, non ad habendam justitiam, sed ne violetur Dei præceptum, quo quis amittat justificationem. Licet autem excuset Magistrum, & Gratianum, quod nondum esset celebratum Lateranense Concilium; scribit tamen utrumque improbasse opinionem negantium necessitatem confessionis. Ad IV. retorq. argum. Scotus enim probat confessionem a Christo institutam ex illis verbis: *Quorum remiseritis &c.* ergo &c. Verum ex ea institutione negat Scotus, invicte probari confessionis necessitatem, non enim sequitur, ait Scotus: *Est Sacramentum a Christo institutum; ergo ad salutem est necessarium*, cum extrema unctio & confirmatio sit a Christo instituta, nec tamen omnino necessaria. Ad V. retorq. arg. Durandus enim dist. 17. q. 8. scribit, institutam esse jure divino, & q. 9. confessionem necessariam esse demonstrat: *Quia remedium ordinatum contra culpam est de necessitate salutis*; ergo &c.

Propositio IV. Confessio Sacramentalis necessaria est necessitate medii.

Sequitur ex dictis, & prob. I. Nemo salvari potest, nisi a peccatis solvatur, sed hoc fieri nequit sine Sacramentali confessione; ergo &c. Prob. min. Si alia esset via, ea sane esset caritas & contritio, sed neutra justificat absque voto Sacramenti, quod in

iis includitur; ergo &c. Sed etsi contritio vi sua justitiam conferret, cum Christus jusserit pœnitentes sacerdotibus subjici, qui id facere renueret, a justificatione decideret, ob violatum præceptum. Cumque Christus eos constituerit absolutionis ministros per ea verba: *Quorum remiseritis &c.* non pœnitens, sed arrogans esset, qui alia via solvi vellet; ergo &c.

Prob. II. ex Roman. Pontificibus, PP. & Conc. Nam S. Leo epist. ad Theod. necessarium putat, ut peccata, ante judicii diem *sacerdotali supplicatione* solvantur. Et Gregor. M. ait, jacere cum Lazaro mortuum in culpa, qui foras non egreditur per confessionem. Concilium Lateranens. sacerdotem declarat esse medicum, qui ægro peccatori debet adhibere remedium. Trid. sess. 14. hoc Sacramentum lapsis ita necessarium declarat: *Ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Ex PP. Irenæus scribit, incestuosas mulieres ad confessionem compulsas, quod sine ea nullus saluti esset aditus. Ambrosius ait, per eam solvi criminum nexus. August. docet, frustrare Evangelium, qui ait deleri peccatum sine Ecclesiæ clavibus; ergo &c. Prob. III. Ex schola DD. Nam S. Thomas, Sotus, Durandus, aliique ajunt, confessionem esse a Deo institutam in remedium peccatorum. Ab Ecclesia autem semel in anno præceptam, ut fideles suum pastorem agnoscant, & digne accedant ad Eucharistiam; ergo confessio, prout a Christo instituta in peccatorum remedium, vel in re, vel in voto est de necessitate medii; prout præcipitur ab Ecclesia, est de necessitate præcepti.

Ob. I. Ex verbis illis: *Quorum remiseritis &c.* evincitur sacerdotum absolvendi potestas, non pœnitentium absoluta confitendi necessitas; ergo &c. II. Evincitur inde potestas prædicandi Evangelium & baptizandi. III. Potestas illa stare potest sine confessione, sicut stat in baptismo, ubi peccata sine confessione solvuntur; ergo &c. IV. Verba illa exponi possunt cum Augustino de mu-

tua injuriarum condonatione. V. Ex verbis Christi non distinguuntur duo criminum genera, quorum unum oporteat remittere, alterum retinere, sed duo peccantium genera: habetur enim: *Quorum*, & *Quorum*, ideſt unum *pœnitentium*, alterum *impœnitentium*, quibus datur, vel negatur remiſſio; ergo ſacerdos cognoſcere debet ſtatum delinquentis, non peccatorum numerum, naturam, & gravitatem. VI. Chriſtus binas mulieres Luc. 7. & Jo. 8. ſine confeſſione recepit in gratiam. Paralytici fidem videns dimiſit ei peccata Luc. 2. Petrus etiam Simonem ad pœnitentiam non ad confeſſionem hortatur Act. 8. ergo &c.

VII. Ezech. 18. remiſſio peccatorum tribuitur converſioni cordis, non confeſſioni, habetur enim: *Convertimini &c.* Tob. 4. Eccl. 3. Prov. 15. Dan. 4. & Luc. 11. tribuitur eleemoſynæ. Jac. 5. fidei & orationi; ergo &c. VIII. Accedit ratio. Si confeſſio eſſet neceſſaria abſolute, poſſet a qualibet etiam fœmina adminiſtrari, quod eſt abſurdum; ergo &c. IX. Veteres fideles quotidie Euchariſtiam ſumebant, nec tamen legimus fuiſſe confeſſos, nec PP. qui de communionis diſpoſitionibus meminere; confeſſionem laudant; ergo &c. X. in lege veteri neceſſaria non fuit; ergo nec erit in nova.

R. ad I. neg. ant. Fruſtranea quippe eſſet illa poteſtas, ſi peccatores ad nutum poſſent eam declinare; ſicut ergo in veteri lege fruſtra præſumpſiſſet quis mundari ſine ſacrificiis a Deo ſtatutis, ita perperam in nova quis ſperat ſanari absque remedio, quem Chriſtus inſtituit. Et licet poſſit Deus peccata abſolute ſine illo dimittere, ut fit in vehementiſſima cordis contritione; nemo tamen ſpernere debet ordinarium reconciliationis modum: ut patet in cauſis civilis fori, quæ non terminantur absque judiciali diſcuſſione, licet rex abſolute poſſit illas abſolvere.

Ad

Ad II. vide Prop. I. Ad III. neg. ant. Nequit enim rectum judicium stare sine criminum manifestatione. In baptismo autem nullum judicium occurrit, cum non renati sint extra Ecclesiam. Ad IV. Vide R. ad Ob. V. Prop. I. cap. 2. l. 34. Ad V. neg ant. Nam, si τὸ *Quorum*, & *Quorum* Jo. 20. ad personas refertur τὸ *Quæcumque*, & *quæcumque ligaveritis* &c. ad peccata referri debet. Verum, licet in Evangelio fieret sola distinctio *pœnitentium*, & non *pœnitentium*, necessaria tamen foret distincta peccatorum notitia, sine qua nec status delinquentis agnosci, nec opportuna remedia præscribi possunt. Vide Prop. I. Ad VI. neg. conf. Mulieres enim & paralyticus a Christo, in quo est plenissima potestas & scientia, qua carent ejus ministri, absolutionem immediate receperunt. Adde, adulteram publice redargutam, peccatricem vero non voce, sed lacrymis *sua vulnera confitentem* laudari a Greg. M. hom. 33. in Ev. Petrus etiam Simonem hortatur ad pœnitentiam, sed hæc confessionem non excludit, & idem valet: *Pœnitentiam age*, ac: *Convertere, confitere, vindica in te peccata.*

Ad VII. dist. ant. Tribuitur tamquam dispositioni, conc. tamquam causæ instrumentali, neg. Fides ergo dicitur peccata remittere, prout est primum gratiæ donum, unde merita incipiunt: spes & conversio, prout animum erigunt, & a fluxis bonis avertunt: oratio autem per modum impetrationis. Licet autem fides, & spes &c. ratione sibi propria remissionem peccatorum operentur, non sequitur negligenda esse alia salutis remedia, alioquin, si fides, ex. gr. se sola peccata dimittit, nec baptismus, nec caritas, nec eleemosyna necessaria sunt ad vitam æternam. De eleemosyna autem hæc habet S. P. A. in Ench. c. 70. *In melius est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus, non ut ea*

sem-

semper liceat impune committere, quamvis miserando deleat peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Ad VIII. neg. sequelam. Nam baptismi necessitas ad omnes extenditur, ideoque pluribus ministris opus fuit. Confessio autem ad solos lapsos, queis nimia copia ministrorum studium reconciliationis retardare potuisset.

Ad IX. neg. cons. Ideo enim in primitiva Ecclesia communicantes non semper confessione expiabantur, quia sobrie & pie vivebant; arcebantur tamen improbi, vel publica pœnitentia, vel occulta ex Ap. 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo*, PP. ergo, qui confessionis non meminere, sed permittunt ut quisque *pro sua conscientia* accedat ad Eucharistiam, præterquamquod ex eo negativo argumento nihil concluditur, exponi debent de abolitione pœnitentiarii, ut de facto Nectarii dictum est. Ad X. Vide responsionem ad Obj. II. Prop. I. c. 2. lib. 34. & responsionem ad Obj. IV. n. 3. c. 5. Diss. 1. l. 34.

Propositio V. In confessione debent enumerari omnia peccata lethalia.

Prob. I. Ex divina institutione, & ex PP. consensu potestatem habent sacerdotes ligandi, & solvendi, & *lepram* a lepra dijudicandi: sed hoc fieri nequit sine distincta peccatorum enumeratione, alias judicium incognita causa exerceretur, neque in pœnis injungendis æquitas servari posset, ut ait Trid. Syn. sess. 14. can. 7. merito ergo S. Synodus hæreticos damnat, qui art. 11. Conf. Augustanæ ajunt: *Necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, etiam occulta, quorum memoria habetur, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant.* II. Ideo Melanchthon in Apologia Conf. Aug. negat necessariam esse hanc enumerationem, quia putat, ex illa *numquam conscientias fore tranquillas*: sed oppositum inde sequi ostendit Cochlæus in discussione art. 11. Conf. Si enim *quædam peccata taceamus, non poterit*

terit plena esse per absolutionem in conscientia quies, remordebitur enim adhuc ab iis peccatis, quæ vel per hypocrisim, vel ex erubescentia omisit; ergo &c.

III. Probat Melanchthon *confessionem & examinationem, ut institui homines melius possint:* sed hoc fieri nequit, sine distincta peccatorum enumeratione; ergo &c. Si quis enim confiteatur: *Se inanibus delectari munusculis; taceat autem libidinem, invidiam &c. quomodo conjectura ea assequi poteris, ut alia ei virtutum dogmata instilles?* ait insignis Theologus in Harm. Confess. Aug. ergo necessaria foret illa enumeratio etiam ad hominum institutionem, quanto magis ad gratiam in Sacramento producendam, ad potestatem judiciariam exercendam, & ad peccata solvenda?

Ob. I. ex v. 13. Ps. 18. *Delicta quis intelligit?* & Jer. 12. *Pravum est cor hominis & inscrutabile,* evincitur enumerationem illam esse impossibilem; ergo &c. II. Ex ea tollitur conscientiarum quies: nam plura peccata nec novimus, nec meminimus; ergo &c. III. Rejicitur a PP. a Gratiano, & a veteribus Theologis; ergo &c. IV. Nemo ait necessarium esse enumerare omnia venialia; ergo nec lethalia.

R. ad I. & II. neg. ant. Docet enim Trid. Syn. sess. 14. c. 5. *Nihil aliud a pœnitentibus exigi, quam, ut postquam quisque diligentius se excusserit, ea peccata confiteatur, quibus se Deum mortaliter ostendisse meminerit: reliqua autem, quæ non occurrunt, in eadem confessione inclusa intelliguntur.* Ad III. vide Prop. II. & III. Ad IV. neg. cons. Nam venialia cum habituali caritate consistunt, non lethalia: eaque possunt mediis pluribus expiari, & ipsa Sacramentali pœnitentia: unde sunt ejus materia sufficiens, non necessaria.

CAPUT II.

De variis confessionum speciebus.

Docent Theologi Estius, Suarez, Morinus &c. Non spectare ad essentiam Confessionis Sacramenta-

menta-

mentalis, ut fiat secreto, cum ex Trid. sess. 14. c. 5. *Possit aliquis ob Ecclesiæ ædificationem delicta sua publice confiteri*; spectat tamen ad ejus essentiam, ut peccata sacerdoti enuntientur, qualicumque modo id fiat. Sit itaque

Propositio I. Obtinuit olim in Ecclesia publica peccatorum confessio: sed nulla ea de re lex fuit Ecclesiæ, quoad crimina occulta.

Prob. I. pars. Ex Irenæo l. 1. cap. 13. ubi de fœminis a Marco vitiatis ait: *Quædam etiam in manifesto exomologesim faciunt.* Ex quibus confessionem publicam evinci ostendit Grabius, Billius, Massuetus &c. II. Origenes hom. 2. in Ps. 37. ait: *Si*, confessarius, *præviderit talem esse languorem suum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, hoc periti illius medici consilio procurandum est.* III. Cyprianus in ep. ad Pomp. mandat, ut si ex virginibus *aliqua corrupta deprehensa fuerit* ab obstetricibus, *ad exomologesim* publicam compellatur. IV. Jo. Climacus narrat confessionem publicam cujusdam latronis, qui Alexandriæ ad cœnobium accedens omnia sua facinora accusavit, *verecundiæ pudore projecto.* Alia exempla producit Morinus, ut prætereaim celebre Nectarii factum. V. S. P. ser. 351. monet, ne quis *recuset agere pœnitentiam in notitia multorum, si hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti.* Ex quibus omnibus infertur, probabilem esse eorum sententiam, *qui censet, aliquando Eccl. antistites* præcepisse *publicorum criminum publicam confessionem*, ut observat hoc loco cl. Auctor, sed merito dubitari, num istæ, & consimiles confessiones apud Eusebium l. 5. H. E. c. 28. & l. 7. c. 7. fuerint sacramentales.

Prob. II. pars. I. Ex Sozomeno qui ait: *Grave ab initio visum esse, tamquam in theatro, crimina evulgare.* II. Basilius in Regulis brevior. ait: *Ut vitia corporis, eodem modo peccatorum confessio fieri debet apud eos, qui ea possunt curare*, nempe apud

 sacer-

ſacerdotes, ut ait ibidem S. D. III. Plura ſunt loca S. Leonis, Chryſoſtomi, Auguſt. Ambroſii &c. quæ vide Prop. II. c. præc. IV. Trid. Syn. ait: *Nec ſatis conſulte humana lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda.* V. Lex hujuſmodi non eſſet Evangelicæ legi conformis, quæ jugum ſuave, & leve appellatur: & ex ea infinita exurgerent incommoda. Si enim ex unius criminis revelatione adeo turbata eſt Eccleſia Conſtantinopolitana, quid cenſes futurum, ſi univerſa crimina panderentur?

Propositio II. Publicæ confeſſioni, & pœnitentiæ præmittebatur ſecreta, aliquando etiam generalis confeſſio.

Ita Pamelius, Petavius, Morinus, Sirmondus, Maſſuetus, aliique. Et probatur prima pars I. Ex Orig. qui in Pſ. 37. ait: *Circumſpice cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, qui ſciat flere cum flente, ut ita demum quid ille dixerit facias, & ſequaris. Si intellexerit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo cæteri ædificari poterunt, multa deliberatione & periti medici conſilio hoc procurandum eſt.* Ex quibus non infertur neceſſitas publicæ confeſſionis, ait Petavius, non enim aſſereret, ad hoc deliberatione & conſilio opus eſſe, ſed infertur generalis agnitio ſcelerum, eorumque deteſtatio, & illius tantum criminis publicatio, quod prudens ſacerdos judicet enuntiandum. II. Eadem tradere videntur Tertullianus de Pœn. c. 9. & Cyprianus de Lapſ. Ep. 12. & 13. Eadem docet S. P. A. Serm. 351. Prop. præced. laudatus. Item Pacianus, Ambroſius, Theoderetus &c. apud Pamelium, & Morinum.

III. Sozomenus, & Nicephorus narrant, excipiendis confeſſionibus præfectum fuiſſe aliquem ex presbyteris: *Qui taciturnitate, & prudentia polleret, ille vero abſolvebat pœnitentes a ſeipſis pœnas criminum exacturos;* ergo ſecreta confeſſio publicam pœnitentiam præceſſit. IV. Id etiam evincitur ex eo, quod

quod post factam sacerdoti confessionem secretam, ne dum pro publicis, sed etiam pro occultis gravioribus peccatis pœnitentia publica, vel a sacerdote fuerit indicta, ut plerique putant cum Morino, sive ultro fuerit a pœnitentibus suscepta, ut placet Sirmondo. V. Canone 32. Concilii Carth. præcipitur, ut confitenti *publicum & vulgatissimum crimen*, quod universa Ecclesia noverit, ante Absidem manus imponatur; sed hinc eruitur, præter peccata publica, alia fuisse, quæ publica pœnitentia punirentur. Si enim omnia manifestata essent in Ecclesiæ conventu, cur solum in manifestissimis criminibus manus ante Absidem imponerentur? VI. Basilius in ep. ad Amphil. c. 34. ait, adulteras communione privatas, licet earum scelus privata tantum confessione sit enuntiandum, ne capitali pœna puniantur.

VII. S. P. A. hom. 49. monet adulteros, ut *pro ipsis oret Ecclesia*: Loqui autem S. D. de publica pœnitentia constat ex facto Theodosii Imp. ait enim: *Propterea Deus voluit, ut Theodosius ageret pœnitentiam publicam, quia peccatum ejus celari non potuit: & erubescit plebejus, sive negotiator, quod non erubuit imperator?* ergo ex Aug. præscribitur adulteris, quorum crimen occultum esse solet, publica pœnitentia sine publica accusatione, ob productam a Basilio rationem; constat ergo Sacramentalem confessionem legitimo ministro privatim factam fuisse normam, juxta quam ipse, criminum gravitate, & personarum conditione spectatis, pœnas decernebat: pœnitens vero etiam occultus interdum palam enuntiabat occultum crimen; ergo non publica exomologesis secretam confessionem; sed hæc illam præivit.

Prob. II. pars ex Sozomeno, & Socrate, qui scribunt, mulierem *singillatim enuntiasse delicta omnia post baptismum a se perpetrata*. Gregorius Turonen. refert S. Aredium confessum omnia acta adolescentiæ suæ coram Nicetio episcopo. Idem de S. Eligio, Clotario, Tillone, Agnete Augusta

narrant alii apud Mabillonium, Sirmondum, Martenium. II. Accedunt hortamenta ad hanc generalem confeſſionem Hincmari ad Pipinum, S. Anſelmi ad fratrem, Conſtitutiones Cluniacen. Ciſtercien. Carthuſianorum apud Mabillonium, & Martenium ib. Huc tamen non ſpectant confeſſiones generales, in quibus peccata verbis generalibus exponuntur, ut eſt *Confeſſio* S. Fulgentii, Iſidori, Roberti apud Mabillonium ibidem; his enim generalibus confeſſionibus omnia peccatorum genera comprehenduntur, ad juvandam peccantium memoriam: *Ne forte præ verecundia*, *ſive oblivione aliquid putridum in corde remaneat*, ut habetur in Ordine Romano & in Euchologio Græcorum. Quare, præter hanc generalem confeſſionem, neceſſaria eſt diſtincta enumeratio delictorum, quæ menti occurrunt. Nam generalis illa confeſſio, qualis eſt ea, quam Miſſæ præmittimus, nullam *ex opere operato* vim habet, ut docet Magiſter, & S. Thomas, ſed *ex opere operantis*, ut ſunt Sacramentalia.

Propositio III. Quidam per literas confeſſi ſunt, ſed ea confeſſio nec valida, nec licita eſt, nec unquam fuit.

Prob. I. pars. Ex epiſtola Roberti epiſcopi Cænomanen. ad epiſcopos extra muros Andegavis morantes, ubi cum gravi infirmitate decumberet, petiit delictorum ſuorum abſolutionem, quam illi præſules benigne conceſſere. Alcuinus etiam ep. 63. ad Hadr. rogavit: *Ut juberet a peccatorum vinculis eſſe ſolutum*, ſed cum ibi criminis nulla fiat mentio, dicendum petiiſſe relaxamentum ex indulgentia Pontificis: II. Ex Hildebodo epiſcopo Sueſſionen. quem abſolvit Hincmarus, ut cenſent Sirmondus. Ex Potamio epiſcopo Bracaren. qui per epiſtolas abſolutus eſt a PP. Conc. Toletani X. Ex Gregorio VII. qui non ſemel eam abſolutionem largitus eſt. Ex Alex. III. qui eam S. Thomæ Cantuarienſi impendit. Ex quibus opinatur Mo-

Morinus, valuiſſe olim abſolutionem datam abſentibus.

Quæres. An valida ſit confeſſio facta per nutus?

R. Affirmative. Nam ad plenam animi ſignificationem nutus ſufficere in *ſubito obmuteſcentibus* conſtat ex can. 12. Syn. I. Arauſ. Et Leo M. in ep. ad Theodoſium ſtatuit, etiam pœnitentibus in vitæ exitu *auxiliandum, ut nec actio illis pœnitentiæ denegetur, ſi eam, amiſſo ab eis vocis officio, per indicium quærere comprobetur*; ergo a fortiori ferendum eſt iis, qui linguæ carent officio.

Prob. II. pars. I. Ex conſtitutione Clem. VIII. ed. an. 1602. in qua hæc propoſitio, ut *falſa*, *temeraria*, & *ſcandaloſa* proſcribitur: *Licet per literas, ſeu per internuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eo abſolutionem accipere.* II. Ex cap. *Quem pœnitet* diſt. 1. ubi habetur: *Corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcripturam manifeſtanda.* Eadem habet Catechiſmus Rom. III. Accedit ratio. Per confeſſionem debet confeſſarius certior fieri, pœnitentem revera admiſiſſe peccata, quæ accuſat, illorum pœnitere, ac in emendationis propoſito permanere, ſed hæc haberi non poſſunt in confeſſione per literas, quæ fingi poſſunt, & a pœnitente negari: aut eo temporis ſpatio, quo illæ mittuntur, poteſt pœnitens a propoſito recedere; ergo &c. Hæc Soto. Deinde confeſſio eſt quædam actio perſonalis, qua peccator ut reus ſiſtitur ante Eccleſiæ tribunal. ex Trid. ſeſſ. 14. c. 2. Verba etiam perſonam ſolvendam præſentem deſignant. Ita Sylvius q. 9. Suppl. art. 3.

Prob. III. pars cum D. Thoma, Scoto, Cajetano, Victoria Cano, Soto, Toleto &c. adverſus Suarez, Morinum, Vitaſſe, Tournelyum, qui tamen ajunt, rem eſſe dubiam.

I. Ex PP. confeſſio ſignificatur in leproſis, queis mandavit Chriſtus, ut ſiſterent ſe ſacerdotibus, & in Lazaro, quem ante diſcipulos ſtatuit colligatum, nec apud eos extat exemplum confeſſionis per

per literas: unde in cap. *Quem pœnitet* ſtatuitur confeſſio facienda *corporali præſentia*. R. Tournely: Gratianum falſo putaſſe, hunc canonem eſſe ex verbis Aug. compactum, cum ſit ex libro de vera Religione, qui non eſt Aug. Sed, & ſi id ultro daremus Tournelyo, quod tamen non concedimus, cum liber ille ſummo in pretio ſit habitus a D. Thoma, a Magiſtro, aliiſque, ejus auctoritas firmiſſimæ rationi ſubnixa ſummo etiam loco habenda eſt.

II. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. ait: *Chriſtus ante hoc tribunal tamquam reos ſiſti voluit peccatores.* III. S. Thomas in 4. diſt. 17. ait, urgente neceſſitate utilius eſſe laico præſenti confiteri, quam per literas abſenti ſacerdoti: non quod illa confeſſio Sacramentalis ſit, ſed quia ob erubeſcentiam auget contritionem & vehemens votum oſtendit: quod juſtificat in caſu neceſſitatis. Sed hoc falſum eſſet in adverſariorum ſententia; ergo &c. IV. Synodus Nemauſen. probat interpretationem Luc. 17. *Ite oſtendite vos*, ideſt: *Ora monſtrate, & omnes, non unus pro omnibus. Non alium ſtatuatis nuntium, ſed qui per vos peccatis.* Hinc laud. Synodus habet: *Non debet confiteri per nuncium, nec per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio, & præſentialiter.*

V. Accedit ratio: nam Sacramentalis confeſſio debet eſſe contritionis, & propoſiti perſeverantis indicium, quod non adeſt in epiſtolari confeſſione; niſi ſcribens adſit, nutuque ſignificet peccata ſcripta ſua eſſe, eorumque abſolutionem expoſcere: quæ confeſſio, licet valida aliquibus videatur, ſi pœnitens mutus ſit, nequit tamen a confeſſario admitti verecundiæ cauſa, qui nequit diſpenſare in eo Eccleſiæ ritu.

Ob. I. Plura ſunt exempla confeſſionis per epiſtolam laudata in I. parte hujus Prop. ergo &c. II. Valide contrahitur matrimonium inter abſentes; ergo a pari. III. Abſolutio Sacramentalis eſt actus judicialis, ſed hic actus in civili rep. exercetur etiam inter abſentes; ergo &c. IV. In abſolutione a cenſuris

ſuris præſentia non opus eſt; ergo a pari. V. Nec obſtat Clementis VIII. Conſtitutio, hæc enim *materiæ proximæ* Sacramenti, ideſt confeſſioni certam appoſuit conditionem, ut fiat ore, & ſacerdote præſente, ſicut Trid. Syn. illam appoſuit aſſenſui nubentium, ut fiat præſente parocho; ergo epiſtolaris confeſſio nulla eſt ex Eccleſiæ definitione, non ex Sacramenti ſubſtantia. Quare cenſet Suarez, Clementem damnaſſe illam propoſitionem *complexive*, non autem *diviſive*; declaraſſe nimirum, non poſſe abſolutionem abſentibus dari; non vero quod Sacramentalis non ſit confeſſio facta abſenti, ſi poſtea a ſacerdote præſente pœnitens abſolvatur.

VI. Multo minus obſtat incertitudo diſpoſitionis in pœnitente, tum quia, ſi poteſt abſolvi pœnitens repente impeditus, ob aliorum teſtimonium; jam præſens confeſſio *eſſentialis* non eſt Sacramento: tum quia de ejus propoſito ſolam moralem certitudinem habere poſſumus, ſed hæc habetur etiam in confeſſione epiſtolari; ergo &c. tum quia præſentia ſubjecti opus eſt in Baptiſmo, in Euchariſtia &c. quorum materia eſt phyſicum elementum, non in Pœnitentia, & Matrimonio, quorum materies in re morali poſita eſt.

R. ad I. neg. conſ. Nam Pontificiis epiſtolis, ex Morino, ipſo conceditur abſolutio, quatenus *per indulgentiam expungitur pœnitentia canonica*, quarum ep. vi pœnitens a privato ſacerdote poteſt abſolvi, ut ſit per literas *ſacræ Pœnitentiariæ*. Adde, eas eſſe abſolutiones a cenſuris, ut ſit apud nos in ſolemnitatibus Ordinis, poſita tamen confeſſione Sacramentali. Quod conſtat ex epiſtola Hincmari ad Hildebold. ubi ei jubet, *ſingillatim ſacerdoti confiteri.* Idem monet Alex. III. in ep. ad D. Thomam Cantuar, quæ erat abſolutio a cenſura, quam S. Martyr incurriſſe timebat, quod olim a ſummis viris deceptus Henrico II. Anglorum regi adhæſiſſet.

Ad II. diſt. ant. Valide contrahitur, ſi ſponſi adſtante ſacerdote (in eorum ſententia, qui matrimo-

nii miniſtrum parochum exiſtimant) conſenſum innovent, ut docet Canus, Eſtius, Sylvius, Vanroy &c. vel aſſenſum per alios præſtitum confirmantes ſibi tradant mutuam corporum poteſtatem, in eorum ſententia, qui ejus miniſtros exiſtimant contrahentes, conc. ſecus, neg. Ad III. diſt. maj. Eſt actio judicialis interior, exigenſque affectionem pœnitentium ſacerdoti manifeſtatam, conc. externa, ut fit in foro civili, neg. Alias concedi poſſet abſolutio non confitenti, nec dolenti, aut deteſtanti peccatum. Ad IV. neg. conſ. Cenſura enim pœna eſt, non culpa, adeoque nedum abſenti, ſed etiam defuncto poteſt abſolutio a cenſuris impartiri, ut alibi dictum eſt.

Ad V. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Nam Clemens VIII. expreſſe declaravit abſolutionem abſentis eſſe per ſe nullam, cum declaret propoſitionem illam antea prolatam *eſſe falſam, temerariam, & ſcandaloſam*; ergo talis erat ante Conſtitutionem; cumque Suarez ſect. 4. docuiſſet: *neceſſarium* quidem *eſſe juxta communem ſent.* ſed *non eſſe eſſentiale Sacramento, ut ſacerdos in præſentia pœnitentis confeſſionem audiat*, & Conſtitutionem non *diviſive*, ſed *complexive* accipiendam, Sectio illa 4. decreto Pauli V. ann. 1605. abraſa eſt; ergo cenſent Romani Pontif. nedum neceſſarium eſſe confiteri ſacerdoti, ſed id eſſe etiam *Sacramento eſſentiale*. Deinde tum ex verborum ſyntaxi dicimus eam definitionem accipiendam eſſe complexe; tum expunctione Suareſianæ interpretationis, tum denique, quia Clemens VIII. declaravit Bellarmino, damnatam a ſe utramque propoſitionis partem. Ad VI. R. caſum infirmi excipi in generali Clementina definitione: in eo enim præſens eſt manifeſtatio & diſpoſitio peccatorum, eo modo, quo poteſt: ſat eſt proinde moralis certitudo, quæ deeſt in confeſſione epiſtolari; ſaltem quoad diſpoſitionis perſeverantiam. Quare negamus opus non eſſe materiæ, & ſubjecti præ-

ſentia

ſentia in omnibus Sacramentis, quæ efficienter gratiam producunt per phyſicam applicationem.

Quæres: quid ſentiendum ſit de confeſſionibus olim factis presbytero per antiſtitam a monialibus? R. Eas commendari a Baſilio in Regulis brev. nec non in Regula S. Donati, S. Iſidori, S. Fructuoſi, Caſſiani, aliiſque collectis in *Concord. Reg.* S. Benedicti Anian. Abbatis c. 15. Plura etiam exempla producit Mabillonius, & Martenius. Sed conſtat ex dictis confeſſiones illas non fuiſſe ſacramentales, ſed ad humilitatem, & monaſticam diſciplinam exercendam ſpectabant, quales ſunt, quæ ſingulis 6. feriis diebus nobis indicunt Conſtitutiones Ordin. p. 6. c. 1.

CAPUT III.

In quo agitur de conditionibus ſacramentalis confeſſionis.

Not. I. Conditiones hujuſmodi hiſce verſiculis comprehendi:

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit punire parata.

De his agunt theologi omnes. S. Bernardinus Senenſ. ad ſeptem coarctavit v. 5. Pſ. 31. comprehenſas, ubi in iis verbis: *Delictum meum cognitum tibi feci &c.* contineri ait I. integritatem confeſſionis. II. In verbo *dixi* ut ſit præmeditata & libera. III. Per τὸ *confitebor*, ut ſi verax. IV. In verbis: *Adverſum me*, ut fiat ſui accuſatio. V. In ſeq. *injuſtitiam meam*, ut enuntiet ſua, non aliena peccata. VI. In τὸ *Domino* ut ſit ſecreta. VII. In verbis: *Et tu redemiſti*, ut juncta ſit fidei, ſpei &c. Eadem docent S. Bonaventura, S. Petrus Dam. D. Th. de Villanova, aliique.

Not. II. Quoad I. conditionem Sacramentalis confeſſionis, nempe: *Ut nulla abſcondatur iniquitas*, cum cap. 1. demonſtratum ſit, quantum ad

dogma, necessariam esse enuntiationem omnium peccatorum mortalium, quæ memoriæ occurrunt, quædam discutienda supersunt, quæ in morali theologia inquiri solent. Sit itaque

Propositio I. Venialia peccata *utiliter*, *& citra præsumptionem*, non tamen necessario in confessione enuntiantur.

Ita definit Trid. Syn. sess. 14. & prob. I. ex usu *piorum hominum*, nempe Theodori Studitæ, Segolenæ virginis apud Mabillonium, Angelæ de Fulginio, Margaritæ Cortonen., Veronicæ de Binasco Ordinis nostri *ab ipso Salvatore edoctæ quoties, & quomodo defecisset* apud Boll, Tom. 1. pag. 927. Merito ergo ait S. Bonaventura, id congruere *maxime viris perfectis*; ergo &c. Prob. II. pars. Deus enim quotidianis defectibus paravit quotidiana remedia, nempe orationem Dominicam, sacrificia, eleemosynas, jejunia, supplicationes. Censet etiam Ven. Beda locum c. 5. ep. Jacobi: *Confitemini alterutrum* ita accipiendum, ut lethalia sacerdotibus, *quotidiana autem & levia alterutrum coæqualibus confiteamur*; ergo &c.

Quæres: an Ecclesia possit certis temporibus præscribere venialium confessionem? R. cum D. Thoma, & Bonavent. affirmative. Licet enim, ait D. Thomas: *Ex vi Sacramenti non teneatur aliquis venialia confiteri*, tenetur tamen *ex institutione Ecclesiæ*, sive ut ait Bonaventura: *Propter Ecclesiasticum statutum: quia omnis fidelis semel in anno tenetur confiteri: & ideo si non habet nisi venialia, saltem illa tenetur confiteri.* Nec obstat, quod ait Estius, Sacramentum pœnitentiæ esse institutum pro peccatis, quæ a regno Dei excludunt, & venialia posse alia via expiari; venialia enim, quæ de jure divino *necessaria materia* pœnitentiæ non sunt, talia fieri possunt ex Ecclesiæ præcepto, & tunc remedia alia ad augmentum gratiæ, meritumque prodessent,

Propo-

PROPOSITIO II. Singula peccata mortalia memoriæ occurrentia debent in confessione aperiri.

Prob. ex Trid. sess. 14. c. 5. & can. 7. Cui præivere Carthag. III. Laodicenum, Cabilonense, Moguntinum, Constantiense & Florentinum. Vide prop. 5. cap. 1. duplex est autem confessionis integritas, *materialis* nempe, qua enunciantur omnia prorsus peccata, quæ memoriæ occurrunt, & *formalis*, qua omnia enunciantur, quæ prævio diligenti examine occurrunt memoriæ. Nos hanc solam necessariam agnoscimus cum Trid. docente: *Ea, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in eadem confessione inclusa esse.*

Dices: in foro externo potest reus absolvi a solo crimine, licet plura occulta patraverit; ergo & in foro pœnitentiæ. II. Potest quis absolvi ab una censura, non ab alia; ergo a pari. III. Plura sunt peccata confessariis nota; ergo frustra panduntur. IV. Si in confessione integra *formaliter* peccata oblita intelligerentur inclusa, non essent aperienda, si post absolutionem occurrant, sed falsum conf. ergo & antecedens.

R. ad I. neg. conf. Nam judicium illud est ad punitionem malorum, hoc autem ad justificationem, & gratiam. Punitur autem unum sine alio scelere, quia hoc ignotum est, sed apud Deum, cui omnia nuda sunt, unum sine alio non dimittitur. Ad II. neg. conf. Nam prior absolutio ordinata est ad fidelium communionem, secunda ad sanctificandam animam, quod una cum peccato stare non potest. Ad III. neg. conf. Requiritur enim criminum etiam notorum confessio, ut habeatur Sacramenti materia, & ut percipiat confessarius statum pœnitentis, & remedii opportunitatem. Ad IV. neg. sequelam. Cum enim *formalis* integritas sit de confessionis essentia, absolutio extenditur ad ea tantum peccata, quæ *inculpate* ignorantur, ideoque, si in memoriam redeant, in sequenti confessione sunt aperienda, ut

conſtat ex prop. oppoſita n. 11. confixa ab Alex. VII. an. 1665.

Propositio III. Idem dicendum de circumſtantiis, quæ ſpeciem peccati immutant, aut valde aggravant.

Not. Circumſtantiæ præcipuæ hoc verſu continentur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, quæ ſunt cuique notiſſimæ. Crimen augent ſequentes: *Ordo*, nempe eccleſiaſticus: *Locus* ſacer: *Perſona*, puta virgo, vel nupta: *Scientia*, ideſt plena notitia: *tempus*, ut feſtum, aut jejunium publicum. *Ætas*, & *conditio*, ut ſi ſenex admittat inhoneſta, aut furtum dives: *Numerus*, ideſt conſuetudo & multitudo culparum: *Copia* rei ablatæ: *Finis* ut in fracto jejunio gula &c. *Modus*, puta cum ſcandalo: *Status altus*, ut antiſtitis, judicis &c. *Lucta puſilla*, ut ſi leviſſima cauſa cædas, dejeres &c.

Prob. I. pars. Ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ubi ſtatuitur: *Eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa nec a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte recenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Ex quibus aperta ratio educitur. Quomodo enim judicium ferret confeſſarius *de gravitate* fornicationis, aut furti, niſi pœnitens circumſtantias perſonæ, puta virginis, vel nuptæ; & loci, puta ſacri, aut profani declaret?

Prob. II. pars. Quamvis enim oppoſita ſententia tribuatur D. Thomæ, Bonaventuræ, Scoto, aliiſque; tamen D. Thomam non ſuam, ſed aliorum expoſuiſſe ſententiam opinatur Soto, & Canus, & de ſolis circumſtantiis eum loqui: *Quæ ſunt intra lineam peccati venialis* Gonetus exiſtimat. S. Bonaventura ait, eas aperiendas *de bono, & æquo, & quanto ſunt magis ſapientes & perfecti, tanto debere diſtinctius eas explicare.* Scotus denique ait: *Non eſt*

eſt ita certum, tamen tutum, & utile eſt illas confiteri. Unde eas aperiendas perſpicue docent Gabriel, Major, Alenſis, Soto, nec non Thomiſtæ, & Scotiſtæ ferme omnes, queis accedunt complures Mediſtæ, atque noſtrates, aliique innumeri recentiores, quos vide apud Auctorem hoc loco. Cum ergo in hac re alii hæſitent, tot vero tantique viri affirmativam ſententiam tueantur, & omnes affirment eam eſſe valde probabilem & tutiorem, huic ſubſcribendum eſſe cenſemus.

Prob. II. ex ratione. I. enim Trid. Syn. licet hanc ſententiam non definierit, ait tamen opus eſſe, confeſſione omnium criminum ut ſacerdotes *de gravitate criminum recte cenſere poſſint; & pœnam, quam oportet pro illis imponere.* Sed hoc fieri nequit, niſi exponantur circumſtantiæ valde aggravantes; aliud eſt enim crimen primitus admiſſum ex fragilitate, aliud pervetuſta conſuetudine in naturam mutatum; ergo &c. Prob. III. ex Catech. Rom. qui de Conf. n. 48. ait: *Explicare oportet, quæ peccatum circumſtant, & pravitatem valde augent, vel minuunt.* Innoc. III. Serm. 2. de Mart. ait: *Debet peccator omnem peccati circumſtantiam confiteri, ſecundum quod magis peccavit in loco; ſi facile, ſi frequenter, ſi perſeveranter.* Eadem habet liber de vera & falſa Pœn. S. Bernard. Senen. Petrus Bleſen. Concilium Vormat. Londinen. Farfen. Ariminen. Tandem S. Carolus in Act. Eccleſ. Mediol. p. 232. docet confeſſarium *inſtrui debere de circumſtantiis aut ſpeciem immutantibus, aut valde aggravantibus, quæ duo neceſſario in confeſſione exponi debent;* ergo &c.

Quæres: quænam ſint hujuſmodi circumſtantiæ valde aggravantes? R. I. eſſe peccandi conſuetudinem, quam miniſter explorare, pœnitens autem *tenetur confeſſario interroganti fateri*, ex contraria Prop. 98. ab Innoc. XI. damnata. II. debet manifeſtari qualitas, & quantitas criminis, ubi de reſtitutione res eſt. III. Circumſtantia loci ſacri, ut ſi

turpis

turpis res fiat coram SS. Sacramento, vel dum ſacrum peragitur. IV. Perſonæ, ſi crimen augeat, puta ſi raptor ſit prætor, aut ſi ſcandalum a præſule oriatur, aut injuria ſit ab eo, qui beneficium recens & magnum recepit. V. in eadem ſpecie luxuriæ debet exprimere conditionem perſonæ. In inceſtu, ſi fiat cum matre, aut filia: in adulterio, ſi utrique ſint conjugati: in ſtupro, ſi virgo per ſponſalia viro ſit obligata. In nefando crimine, num ab ephebo, aut viro patratum ſit.

Ob. I. Trid. memorat circumſtantias, *quæ ſpeciem peccati mutant*, non quæ aggravant; ergo &c. II. oppoſitum docent plures theologi cum D. Thoma. III. exprimi non debent circumſtantiæ, quæ minuunt peccatum; ergo a pari. R. Ad I. rationem, quam affert Trid. de circumſtantiis, *quæ ſpeciem mutant*, valere etiam de iis, quæ eam aggravant, ut ſupra dictum eſt in prob. 2. part. 2. Ad II. Vide prob. 1. 2. partis. Ad III. R. Suarez neg. conſ. Nam circumſtantiæ, quæ minuunt peccatum, *non deſerviunt ad accuſationem, ſed ad excuſationem, quæ non incumbit ipſi reo:* quæ reſponſio vera eſt, ſi fiat humilitatis cauſa, non hypocriſis, aut ſcrupuloſæ moleſtiæ. R. II. alii: circumſtantias notabiliter minuentes eſſe aperiendas, ut miniſter recte judicet.

Propositio IV. Peccata dubia ex rationabili cauſa, non levi & inani, aperienda ſunt.

Ita poſt D. Thomam Fervaques, Girken, Vanroy, Piette, aliique noſtrates adverſus Caramuelem: & prob. I. Quia in lege veteri nedum leproſi, ſed ii etiam, in quorum cute candor apparuiſſet, & lepræ ſuſpicio ex Lev. 13. ad ſacerdotes adducebantur, quod erat pœnitentiæ ſymbolum, ex D. Thom. & ex Cap. *Quem pœnitet.* II. Leo X. articulum 8. Lutheri proſcripſit, quo aſſerit: *In primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.* Sed Lutherus *manifeſta mortalia* non intelligit publica, ſed quæ certo mortalia ſunt, ut teſtatur Eraſmus ep. ad Card. Mogunt. & Lutherus ipſe in aſſert. art. ſuorum;

rum; ergo &c. Hinc Joannes Roffensis pag. 121. ait: *Si articulum de iis intellexeris, quæ confessus norit, vel dubitat esse mortalia, meritissime damnatur.* Et Latomus in art. 3. Luth. ait: *Qui dubitat, an peccaverit mortaliter, an non, nonne tutius erit confiteri? & quis secundum Martinum* (Lutherum) *securum reddet pœnitentem de confessione? Nonne in tali casu non confitens amat periculum?* Bellarminus l. 3. de Pœn. c. 1. demonstrans Lutherum in eo articulo nec de omnino incognitis, nec de occultis fuisse locutum, concludit de dubiis intellexisse: *Qui certe*, ait, *non parvus est error;* ergo Luthero assentiri videntur, qui oppositum docent.

III. Trid. sess. 14. præcipit, ut recenseantur *omnia peccata* mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet; ergo peccata dubia illo vocabulo *omnia* comprehensa, dum memoriæ occurrunt, sunt enuntianda. Nam etiam in dubiis sacerdos debet consilia, & remedia præbere. IV. *In dubiis tutior pars est eligenda*, maxime in Sacramentis, ut constat ex prop. 1. ab Innoc. XI. proscripta, unde in nova editione Sylvii tom. 4. p. 392. monetur lector, ut *caveat* ab ejus *sententia: ob prop. 1. ab Innocentio* XI. *damnatam.* V. Confirmatur exemplis ægroti, qui in ancipiti valetudine medicum consulit, & baptismi, qui confertur, si prudenter dubitetur non fuisse collatum; ergo a fortiori id fieri debet de pœnitentia, quæ seclusa culpa iteratur. Templa denique iterum consecrantur, si de eorum consecratione dubitetur; ergo multo magis curari debet, ne templa Spiritus S. ob Sacram. neglectum priventur gratia.

Ob. I. Caramuel. Vult Trid. ut confiteamur *omnia peccata, quorum conscientiam habemus;* sed de dubiis non habemus conscientiam, idest certam notitiam; ergo &c. II. Requiritur confessio, ne sacerdos judicet *incognita causa*, sed causa dubia, dici nequit *cognita causa;* ergo &c. III. in forensi judicio non fertur sententia de dubio crimine; ergo a

pari,

pari. IV. Alias exponitur Sacramentum periculo nullitatis. V. Cum dubium sit admissum esse peccatum, dubia est etiam obligatio illud confitendi; ergo &c. VI. Id vetatur scrupulosis; ergo & aliis.

R. ad I. dist. maj. *Quorum habemus conscientiam*, sive certam sive dubiam, conc. tantum certam, neg. Vult enim Trid. ut pœnitens exploret *conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras*, adeoque nedum certa & explorata crimina, sed etiam dubia, quæ intus latent. R. II. neg. min. Nam etiam de peccatis dubiis potest haberi certa persuasio illa revera esse dubia. Ad II. dist. maj. Ne judicet incognita causa, sed certa pro certis, dubia pro dubiis accipiat, conc. ut nullo modo de dubiis intelligat, neg. sicut enim medicus de ancipiti morbo debet erudiri, ut consulat ægroti saluti, sic etiam sacerdos.

Ad III. neg. ant. Sæpe enim in forensi judicio de dubiis incertisque agitur, sicubi adsit vel levis suspicio. Ad IV. neg. ant. Vitatur enim periculum illud, si pœnitens dubio addat mortale vel veniale certum, sive impendatur absolutio sub conditione, quam probat ipse Caramuel. Ad V. neg. ant. Potest enim ex dubio certa oriri obligatio, si dubio sit adnexum periculum, sicut tenetur ad medicinam, qui dubitat de sumpto veneno. Ad VI. neg. conf. Scrupulosi enim non prudenter dubitant, sed levissimis momentis nituntur.

Propositio V. Socius criminis non est manifestandus, nisi id postulet confessionis integritas.

Quamvis olim criminis socios revelari in confessione consuevisse constet Irenæo, qui narrat mulieres a Marco vitiatas prodidisse sceleris auctorem; item ex epist. Cypr. de sanctimonialibus, quæ cum viris cubaverant, inter quos diaconum eas nominasse notum est: qua de re plura vide apud Morinum l. 2. de admin. pœnit. Prop. tamen I. pars ex Auctore formulæ vitæ honestæ, qui ait: *De nullo sinistre loquaris, nisi in confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* S. Thom. Op.

Op. 12. ad Lect. Bisuntinum qu. 6. ait: *De expressione personæ, cum qua aliquis peccavit, videtur quod non sit in confessione facienda, quando potest vitari.* Et ratio est, quia famam proximi absque gravi causa lædere non debemus.

Prob. II. pars. Ex locis supra productis, præsertim ex D. Thoma, qui hæc statim subdit: *Si vero speciem peccati exprimere non possit, nisi personam exprimendo, puta si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimat.* Accedit ratio: I. enim ut ait S. Raymundus l. 3. de pœnit. & remiss. *Non est dicendus proditor, qui non dicit ut alium prodat, vel gravet, sed ut se liberet, quod alias facere non possit.* II. Tenetur quivis accusare se ipsum; ergo debet & alterum, si id postulet confessionis integritas. III. Debet quisque detegere patriæ, & amici proditionem ab adversario intentatam; ergo a pari: est enim salus animæ bonum longe præstantius, quam probrosi hominis fama.

IV. Dici nequit, eum diffamare aliquem, qui apud rectum judicem, & prudentem medicum revelat crimen alterius, non conviciandi animo, sed consulendi propriæ saluti, præsertim cum reus criminis eo ipso cesserit juri suo. Cum tamen quis complicem producere necessario debet, fieri debet confessio apud eum, qui illum non novit, ut monet D. Thomas loco cit. cui consentit S. Thom. de Villanova Conc. in Dom. 4. Quadr.

Propositio. VI. Confessio dividi non debet, nec uni una pars, alteri pars altera manifestari.

Prob. I. Ex cap. *Consideret* de Pœn. dist. 5. ubi habetur: *Quidam uni celant, quæ alteri manifestanda reservant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere.* II. accedit ratio. Sacerdos enim Dei vices gerit; ergo ei, ut Deo, simpliciter peccata enuntiari debent. III. plura crimina majorem animi perversitatem ostendunt; ergo &c. IV. si peccata sint lethalia, utraque ab-

ſolutio erit invalida: non enim dimittitur unum peccatum ſine alio.

Quæres I. quid ſentiendum ſit de eo, qui in grave ſcelus prolapſus, ne apud ſuum confeſſarium ſuam exiſtimationem amittat, peccatum ipſum alteri enuntiat, confeſſori autem detegit leviora? R. Natalis Alex. illum inanem gloriam & imprudentiam præſeferre, & periculo ſe exponere iterum prolabendi. Alii putant licitum eſſe, modo vera adſit contritio. Cavendum tamen, ne pudore decipiamur, aut amari medicamenti faſtidio.

Quæres II. Quibus in caſibus quis excuſetur ab integritate confeſſionis? R. I. Cum poſt diligentem diſcuſſionem, peccati obliviſcitur. II. Quando imminet periculum mortis, ut in incendio, naufragio, apoplexia &c. III. Quando ex circumſtantiæ declaratione timet confeſſus ſibi maximum detrimentum. Vide D. Thomam, Soto, Suarez, De Lugo, & alios apud Auctorem. Ubi nota, non excuſare ab integritate Confeſſ. inanem trepidationem, ſed requiri grave momentum: deinde adeundos confeſſarios alios, ſi fieri poſſit, vel differendam confeſſionem: tandem niſi confeſſio differri poſſit, puta ob communionem Paſchalem, omnia peccata integre eſſe enuncianda. Vide Theol. Moral. Petrocoren. Errarunt proinde, qui dixere licitum eſſe *ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos in die magnæ alicujus feſtivitatis*, *aut indulgentiæ*, quæ Prop. n. 59. ab innoc. XI. merito proſcripta eſt. Vide Hennum diſp. 5. q. 9. concl. 7.

Altera confeſſionis conditio eſt, ut ſit *libera*, & *præmeditata*, ideſt non coacta, ſed ſpontanea, non cæco modo, ſed matura diſcuſſione peracta. Qua de re frangenda ſunt quædam vincula voluntatis: *pudor*, præſertim in pueris & mulieribus: *ſpes longioris vitæ*: nimius juſtitiæ *timor*, atque vana de ſumma Dei pietate *præſumptio*. De quibus plura S. P. A. Ser. 393. Fulgentius ep. 7. ad Venant. & Salvianus l. 1. ad Eccl. Cathol. *Præmeditata* confeſſio

fessio erit, si ei accuratum examen præmittatur: cum prima medela peccantis sit, *ut incipiat nosse quod langueat*, ait S. Prosper ad Cap. Gall. c. 6. Hinc S. P. l. 8. Conf. c. 7. per illud examen se vidisse ait, *quam turpis esset, quam distortus, & sordidus, maculosus, & ulcerosus.* Idipsum probat Chrysostomus exemplo Domini, *qui a servo exigit rationem expensarum, ut videat quid perperam, quid in legitimos usus insumptum fuerit. Quanto magis id in actionibus nostris faciamus, & rationes exigamus ab ea verborum, actionum, cogitationum.* De modo discutiendæ conscientiæ egregie pertractant Confessionalia S. Antonini, & Jo. Nider, Gerson, Medina, a Ponte, Tombeur, Toletus, Segneri, S. Carolus, & S. Franciscus Salesius.

III. Conditio est, ut confessio sit *verax*, nempe *clara, nuda, aperta, non velata, non fuco colorata, sic ut nudum, si posset, cor suum sacerdoti monstraret*, ait S. Thomas de Villan. Conc. in Dom. 4. Quadr. Quare mentiri circa peccata mortalia mortale est: & reddit confessionem sacrilegam, & nullam. Idem dicendum de mendacio circa venialia, si hæc tantum enuncientur, ut sint Sacramenti materies, quia tunc mendacium, licet in re parva, reddit nullum Sacramentum.

IV. Conditio est, ut pœnitens sit accusator sui: *Cave*, ait S. Thomas supra laud. *ne declinet cor tuum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, ne culpam tuam in mulierem, vel in serpentem rejicias, ut Adam, hoc est in carnem, vel diaboli suggestum*, Vitanda est etiam hypocrisis, & meritorum fastidiosa ostentatio, qualis erat illa Pharisæi: *Non sum sicut ceteri hominum*: sed imitandus Publicanus. Ut enim ait S. P. Serm. 301. *Ad justos pertinet confessio peccatorum, ad superbos defensio meritorum.*

V. Conditio est, ne aperiantur in confessione aliena scelera: *Quidam enim*, ait S. Thomas de Villan. loco cit., *dum se justificare prætendunt, fiunt pro-*

ximi detractores, & discedunt a confessione deteriores. Dicunt enim: Odi hominem, & merito, quia pravus est & iniquus. VI. conditio est, ut sit *secreta.* Constat enim ex Sozomeno confessarios *ab initio* maxima præditos fuisse *taciturnitate,* & *prudentia.* Agemus ergo de *confessionis sigillo.* Sit itaque.

Propositio VII. Confessarius ad *sigillum* tenetur jure naturali, divino, & ecclesiastico.

Prob. I. pars. Nam revelare alterius crimen est eum diffamare, eique facere, quod sibi fieri quis nollet. II. Id postulat ordo benevolentiæ, ut servetur secretum sponte & fideliter creditum, juxta illud Prov. 11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui fidelis est, celat amici commissum.* III. Cum hanc fidelitatem laudabiliter plures ethnici servaverint in humanis officiis, quanto magis in confessione custodienda est, quam hæretici ut odiosam traducunt?

Prob. II. pars, ex institutione pœnitentiæ, quæ teste D. Th. q. 11. suppl. poscit, ut peccator sacerdoti subjiciatur in signum humilitatis, qua Deo subjicitur; sicut ergo Deus, ita sacerdos, tegere debet peccata: *Alias peccat,* ait D. Thomas, *tamquam violator Sacramenti.* Et S. Thomas a Villanova, loco cit. ait: *Domino confiteris, non homini; unde nullo casu licet homini confessionem revelare.* Prob. III. pars. Ex cap. *Sacerdos* dist. 6. ubi confessario revelanti peccata indicitur *depositio perpetua, & ignominiosa peregrinatio.* In cap. *Omnis utriusque* (1) eidem indicitur *arctum in monasterium perpetua pœnitentia;* ergo &c.

Ob.

(1) Huc spectant Const. Synod. Auxim. an. 1593. quæ cap. 23. de Sacr. „Pœn. hæc habent Com„mendamus confessariis „sigillum confessionis „caveantque omnino, ne „detegant verbis, signis, „aut alio quovis modo „peccatorem, peccatum, vel

Ob. I. Gabriel, Vasquesio teste, censuit confessionem revelari posse, si grave damnum immineat confessario. II. Idem affirmat Guillelmus Altisiodoren. de impedimento criminis, quod ait manifestari posse episcopo. III. Innocent. III. reprehendit abbatem quemdam, qui non revelaverat confessionem sibi factam monachi non ordinati, & quotidie celebrantis. IV. Publica confessio, & pœnitentia sine manifestatione stare non potest; ergo &c. V. Stante sigillo, confessarius interrogatus necessario mentiri, aut pejerare debet; ergo &c. VI. Licet confessionis integritas sit de jure divino, potest tamen quis aliquando ab ea dispensari; ergo a pari. VII. Confessarius non revelans patriæ aut Reip. proditionem præfert bonum privatum publico, quod vetitum est; ergo &c.

R. Ad I. neg. ant. Gabriel enim oppositum docet, & fallitur Vasquesius, ut legenti patet. Ad II. neg. ant. Guillelmus enim solum scribit, id fuisse opinatos nonnullos ob supinum errorem. Ad III. R. Innoc. declarasse in Lateran. Concilio a se Abbatem reprehensum non quidem ob non revelatam

„ vel aliquam illius circumstantiam, etiam de „ pœnitentis licentia, & „ quamvis non revelando „ aliquod magnum immineret periculum, cui „ tamen pro viribus providere studeant non „ prodendo confitentem „ ullo modo, nec odiosam faciendo confessionem. Sacerdotes etenim, quæ sibi in confessione dicta sunt, non „ tamquam homines sciunt, sed tamquam Deus, „ ideoque nec juramento, „ nec summi Pontificis „ mandato ad ea detegenda compelli possunt. „ Animadvertant etiam „ confessarii, ne unquam „ de rebus in confessione „ auditis aliquo modo loquantur. Si quis autem contrarium attentare præsumpserit, non „ solum officio sacerdotali deponetur, juxta „ Innoc. III. Constit. sed „ etiam aliis pœnis arbitrio nostro punietur.

latam confessionem; sed quia alia via id poterat investigare.

Ad IV. neg. ant. Plures enim sponte ex humilitate pœnitentiam subibant, & eadem pœna pluribus criminibus indicebatur. Ad V. neg. ant. Ut enim ait S. Thom. q. 11. Suppl. art. 1. ad 2. *Homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo; & ideo sine læsione conscientiæ jurare potest se nescire, quod scit tantum ut Deus.* Ita Christus diem judicii se nescire ait Matth. 24. Quod si judex ita confessarium coarctaret: *Jura hoc a te nesciri etiam tamquam Dei ministro*, non debet mentiri, sed ei respondere cum S. Jo. Nepomuceno: *Sine sacrilegio talia tentari non posse;* adeoque *abstineret captandis, quæ uni Deo cognoscenda servantur.*

Ad VI. neg. cons. Nam illa tantum integritas est de jure divino, quæ homini possibilis est, unde ab ea excusantur inculpate ignorantes, & extremo morbo laborantes, non sani, aut scientes, ut fit in secreto confessionis, a quo nemo sui compos potest dispensari. Ad VII. neg. ant. Nam, qui frangit sigillum, nedum lædit famam proximi, sed etiam Sacramento summam irrogat injuriam, exosam reddit confessionem, Deum afficit contumelia &c. sed hæc ordinis præstantioris sunt, quam salus reip. ergo *sigillum* hoc frangi nequit, & si mundus rueret universus.

Quæres: Quænam comprehendantur in lege sigilli? R. Peccata omnia eorumque circumstantias, quæ sacerdoti confessione innotescunt, licet absolutio non impendatur. Sacerdos enim ut Dei minister ea peccata excipit, quæ ipsi *sacramentaliter* enuntiantur, ex cap. *Quod quidam* Extra de Pœnit. & remiss. Hinc laicus, cui alter committit secretum *sub sigillo &c.* non est ejus fractor, quia non committitur illi arcanum tamquam Sacramenti ministro, licet illud arctius custodire teneatur; reus tamen foret violati sigilli, qui simulans se sacerdotem exciperet confessionem ad ipsum recta intentione accedentium. Hinc sequitur ad solos sacer-

ſacerdotes *proprie* ſpectare Sacramenti ſigillum, qui ſoli Dei miniſterio funguntur : qui vero pœnitentes audiunt, aut ſchedas inſcripta crimina continentes inveniunt, aut alienæ confeſſionis interpretes, obſtringuntur ſilentii lege peculiariter, ideſt lege naturæ, & ob Sacramentorum dignitatem.

Quæres II. Quomodo *ſigillum* violetur? R. I. revelando quod ſpectat ad ejusdem confeſſionis materiam. II. Qui audita, ex. gr. publici latronis aut pellicis confeſſione diceret: *Ille patravit homicidium, hæc adulterium*, licet enim hæc crimina ſint pervulgata, revelata ſunt tamen confeſſario ſecreto: ſecus ſi alia via ante vel poſt id didicerit. II. Violaret *ſigillum* antiſtes, qui vulgaret a ſe conceſſam tali confeſſario facultatem abſolvendi ab aliquo reſervato, ſi hinc poſſet inferri criminis reus. IV. Ex can. 21. Lateranen. ne dum *verbo*, ſed etiam quolibet ſigno, unde peccatum poſſit deprehendi, ſigillum violatur. V. vetat Clem. VIII. decr. ann. 1594. *Ne ſuperiores ex notitia de aliorum peccatis in confeſſione habita ad exteriorem gubernationem utantur.* VI. Et ex decreto Rom. Inquiſitionis anno 1682. vetitum eſt, ne id fiat *cum gravamine pœnitentis*. VII. Immunis tamen erit a culpa, ſi id fiat expreſſa, & liberrima pœnitentis licentia, & ad pœnitentis utilitatem, quia tunc pœnitens cedit juri ſuo.

VII. Conditio eſt firma ſpes remiſſionis, de qua l. 23. c. 2. actum eſt: *Salubris enim converſio*, ut ait Fulgentius ep. 7. c. 5. *duplici ratione conſiſtit, ſi nec pœnitentia ſperantem, nec ſpes deſerat pœnitentem, ac ſi ex toto corde renunciet peccato ſuo, & toto corde ſpem ponat remiſſionis in Deo.* Quærunt hoc loco ſcholaſtici, an confeſſio poſſit eſſe *valida*, cui nihil deeſt ad rationem Sacramenti, & *informis*, quam nempe gratia non ſequatur? Affirmant Thomiſtæ id fieri, cum quis integre peccata confitetur, ſed ſine ſufficienti deteſtatione peccati. Alii idem fieri ſentiunt, cum quis vel naturalem

 habet,

habet, vel insufficientem dolorem, sive qui non ad omnia peccata, sed ad quædam memoriæ occurrentia tantum extenditur. Negant tamen Major, Adrianus, Gabriel, Poncius, Brancatus, & *melioris notæ* Scotistæ, ut ait Mastrius. His accedunt nostrates ferre omnes, quibuscum sit

Propositio VIII. Nequit Sacramentalis confessio esse valida & informis.

Prob. I. Ex Trid. sess. 14. c. 3. nam *quasi materia* pœnitentiæ sunt ipsius pœnitentis actus, nempe contritio quæ sit *detestatio de peccato cum proposito &c.* confessio omnium peccatorum, *quorum post diligentem discussionem conscientiam habet*, & satisfactio. Vel ergo hi actus sunt in pœnitente, vel non: si hoc; ergo desunt in Sacramento partes, quæ vicem gerunt materia, nec Sacramentum est *validum*: si illud; ergo non erit *informe*. II. Idem docet S. Thom. 3. p. q. 90 ubi ait assignari partes pœnitentiæ, *in quantum est Sacramentum, ad quod actus comparantur ut materia.* Et in Suppl. q. 8. art. 1. ait: *Est etiam de Essentia Sacramenti contritio, & confessio*: unde infert Sylvius, S. D. tacite retractasse, quæ scripserat in 4. dist. 17. III. Deinde S. Th. in 4. dist. 23. q. 1. art 4. docet, semper consequi remissionem peccati in Sacramento pœnitentiæ *existente contritione, quæ est de essentia eusdem Sacramenti*, ut sequitur *character in baptismo, & confirmatione*; si ergo non sequitur remissio, non erit contritio, quæ ex Angelico D. spectat ad essentiam hujus Sacramenti. III. Vel in examine talem adhibet pœnitens diligentiam, ut omissio excusetur inculpabili oblivione, vel fit ex negligentia; si hoc, confessio est nulla, & *invalida*, si illud, etiam oblita ex Trid. in enumeratis censentur inclusa; ergo &c.

Ob I. S. Thomas dist. 17. q. 3. art. 4. ait: *Confessio potest esse etiam in eo, qui non est contritus, quique recedente fictione fructum recipere incipiet, sicut in aliis Sacramentis, unde non tenetur iterare con-*

confessionem, qui fictus accedit; sed tenetur fictionem confiteri; ergo &c. II. Nedum baptismus, sed etiam pœnitentia, ex Melch. Cano, & alia omnia, ex Cajetano, recedente fictione suum consequuntur effectum; ergo &c. III. alia est contritio necessaria ad gratiam, alia ad Sacramenti materiam; ergo hæc sat erit ad Sacramenti substantiam. IV. valida est confessio, qua quis furtum enuntiat, non blasphemiam, cujus post diligens examen non meminit; sed is gratiam non consequitur, cum non habeat contritionem universalem; ergo &c. V. Per nos pœnitens cum sola attritione formidolosa gratiam non conseqitur, licet Sacramentum omnibus partibus constet; ergo &c.

VI. Qui bona fide existimat se diligens examen adhibuisse, nec adhibuerit, non confitetur sacrilege, quia Sacramentum non irridet, nec gratiam obtinet defectu integritatis; ergo &c. VII. Si quis cum fictione baptizatus confiteatur peccata post baptismum commissa, & non enuntiet peccata ante baptismum commissa, talis confessio caret effectu, nam peccata ad confessionem spectantia remitti nequeunt, nisi remittantur alia ante baptismum patrata; ergo &c.

R. Ad I. D. Thomam ab ea sententia recessisse, ut supra dictum est. R. II. neg. cons. Vult enim S. D. ib. quod si pœnitens eundem confessarium rursus adeat, & sacrilegium exponat, absolvi valeat non repetita confessione, secus, si alium adeat, aut post longum tempus, unde sacerdos sit peccatorum oblitus: tunc enim non debet absolvere causa incognita. Ad II. neg. cons. Nam alia sacramenta stare possunt sine gratia: quia actus pœnitentis, quibus ad gratiam disponuntur, non sunt in iis de Sacramenti substantia, ut sunt in pœnitentia.

Ad III. & V. R. quod si contritio non sit supernaturalis, nec actum inchoatum charitatis includat, nec peccata detestetur ut sunt offensa Dei,

non eſt pars Sacramenti, nec ipſum conſtituit. Ad IV. & VI. reſponſum eſt ſupra in prob. III. Ad VII. R. baptizatum non facere integram confeſſionem, niſi etiam ſimulationem fateatur, hæc enim, ut alia peccata, perſeverans in ſuſceptione baptiſmi, enumeratur inter alia a regeneratis admiſſa, ut lib. 31. dictum eſt. Vide Vaſqueſium, Sylvium, Maſtrium, Gavardi &c. apud Auctorem.

CAPUT IV.

De miniſtro Sacramentalis confeſſionis.

Not. I. Lutherum abſolvendi munus non ſolum iis conceſſiſſe, qui officium paſtoris aſſumunt, ſed etiam diabolo, ſi ſpecie hominis irrepſerit in Eccleſiam. Calvinus tamen ab eo excludit laicos fœminaſque. Valdenſes autem, nec non Flagellantes id laicis ſancte viventibus tribuunt, quod munus cum Albigenſibus, & Huſſitis improbis ſacerdotibus denegant.

Not. II. Diaconos olim in extremo vitæ periculo confeſſiones excepiſſe, lapſoſque abſente presbytero reconciliaſſe, quod ex ep. Cypriani 12. ad Clerum de Lapſ. evinci putat Morinus l. 8. de Pœn. c. 23. & Rigaltius in notis in cit. epiſtolam 12. & 14. Laicis etiam abſente ſacerdote, & urgente neceſſitate aperienda eſſe peccata lethalia tradere videntur Petrus Cantor, S. Thomas, D. Bonaventura, Gratianus, aliique apud Morinum de admin. Pœn. Cujus rei plura exempla collegit Martenius. Tandem a pluribus ſacerdotibus abſolutos viros SS. conſtat ex hiſtoricis monumentis apud laud. Scriptores. Sit itaque

Propositio I. Soli epiſcopi, & presbyteri poſſunt Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare.

Prob. ex Matth. 18. & Jo. 20. *Quæcumque alligaveritis &c. Quorum remiſeritis &c.* ſed hæc verba ſpectant ad ſolos ſacerdotes, non ad laicos; ergo &c. Prob. min. Tunc enim Chriſtus ſolos diſcipulos alloquebatur; ſiquidem hæc verba: *Quæcumque*

que alligaveritis &c. subjicit, poſtquam ait contemptores fraternæ correptionis deferendos eſſe ad Eccleſiæ judicium. Hinc Trid. ſeſſ. 14. c. 6. declarat: *Falſas eſſe doctrinas omnes, putantes, verba illa: Quæcumque alligaveritis &c. & Quorum remiſeritis &c. ad omnes Chriſti fideles promiſcue ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata.* Idem dicimus de alio loco Jo. 20. ergo &c.

Prob. II. ex PP. Nam Cyprianus de Lapſ. docet, remiſſionem fieri per ſacerdotes, & horum eſſe dare *dolentibus, ac deprecantibus pacem, & ſpei ſalutaris ſubſidium.* Baſilius in Regulis brev. ait peccata ſacerdotibus aperienda, quia iis credita eſt diſpenſatio divinorum myſteriorum. Ambroſ. l. 1. de Pœn. c. 11. ait, ligare, & relaxare peccata eſſe *officium ſacerdotis.* Eadem habet c. 3. n. 10. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerd. c. 5. ait, ſacerdotibus tantum dictum eſſe: *Quorum remiſeritis*, unde ipſi *non lepram corporis, ſed animæ purgandi acceperint poteſtatem.* S. P. A. ſerm. 351. n. 9. ait, ut ſolvantur peccata veniendum eſſe *ad antiſtites, per quos in Eccleſia claves miniſtrantur*, quod oſtendit ex reſurrectione Lazari, de quo ait Chriſtus diſcipulis: *Solvite illum.* Innocentius I. in epiſt. ad Decentium ait: *De pondere delictorum ſacerdotis eſt judicare*; ergo &c.

Prob. III. ratione. I. Cyprianus in ep. ad Corn. & S. P. in ep. 228. ad Honoratum ſacerdotes deterrent, ne deſerant Chriſti gregem, eo quod magnum ſequatur exitium, ſi aliqui de hoc ſæculo exeant *ligati*: ſed hæc fruſtranea eſſent, ſi quiſque fidelium a peccatis ſolvere poſſet; ergo &c. Hinc fideles in perſecutione Vandalica hæc habent apud Victorem Viten. *Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt: Quæcumque alligaveritis &c.* II. Cauſa, quæ agitur in Sacramento pœnitentiæ, verſatur inter Deum, & homines; ergo iis tantum committi debuit, qui Dei legatione funguntur. Hinc Paulus

ad

ad Hebr. 5. ait: *Sacerdotes constitui in iis, quæ sunt ad Deum*, & neminem debere sibi hunc honorem assumere, nisi vocetur a Deo *tamquam Aaron*: ergo &c. Addit S. Th. qu. 8. art. 1. hanc rationem: *Cum in Sacramento pœnitentiæ gratia conferatur, solus sacerdos est hujus minister.* Videtur tamen Sylvio hæc ratio concludere tantum de ministro ordinario, ut patet in baptismo, qui gratiam confert, & tamen urgente necessitate a non sacerdote confertur.

Propositio II. *Exomologesis*, de qua in ep. 12. Cypriani, & reconciliatio per diaconum non erat confessio Sacramentalis.

Not. Hoc vocabulum, nedum confessionem sacramentalem, sed sæpe eam pœnitentiæ partem ex Tertulliano de pœn. c. 9. significat, quæ *prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, quæ mandat sacco, & cineri incubare.* Et Cypr. epist. 9. ait: *Persecutione adhuc perseverante peccatores, nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta*, idest *substratione, Eucharistia illis datur.* Exomologesis ergo non semper confessionem sacramentalem importat, sine qua nulli peccatori dabatur Eucharistia. Vide Pamelium, Baluzium, Petavium, aliosque apud Auctorem. Hinc Conc. Mogunt. can. 21. ait: *Exomologeses agi pro peccatorum confessione.* Reapse qui sacco & cineri incubans in *substratione* agit pœnitentiam, se peccatorem esse profitetur. His prænotatis

Prob. I. Exomologesis, de qua Cypr. in ep. 12. est exercitium pœnitentiæ, & *substrationis*, quod subsequebatur confessionem Sacramentalem publicæ pœnitentiæ præmissam, ex Prop. 2. Cap. 2. De hac exomologesi accipiendum Cyprianum constat ex ejus verbis, ait enim: *Apud diaconum exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace*, sed hæc exomologesis, & manuum impositio non est

est Sacramentalis confessio, nec absolutio lapsis concessa, ut dictum est; ergo &c.

Opp. Morinus: *Manus in pœnitentiam imponere* nil aliud sonat, quam absolvere pœnitentem. Nam diaconus eo in casu pacem dabat, quam dedisset episcopus, aut presbyter, si adfuissent, sed hi sacramentaliter absolvissent; ergo & ille. Rursus dici nequit impositam a diacono manum, ut absolveret lapsos morti proximos ab excommunicatione tantum, cum nec fuerint excommunicati, & proxime morituro non minus succurrendum sit absolutione a peccatis, quam a censuris. R. impositionem illam manuum diaconorum fuisse *ceremonialem*, & dedisse reconciliationem uti dabatur impositione manus presbyteri: licet enim adderet presbyter impositioni absolutionis formam, quam ex Cypriano nec proferre poterant diaconi; tamen eo in casu supplere poterat votum Sacramenti & contritio, ut ait cl. Auctor tom. 7. pag. 583. ideoque reconciliatio illa diaconi non erat *sacramentalis*, ut conveniunt Pamelius, Baluzius, Petavius, Albaspinæus &c.

Propositio III. Plures in morte laicis absente presbytero confessi sunt, sed hæc confessio Sacramentalis non fuit, nec necessaria ad salutem.

Prob. I. pars. Ex cap. *Sanctum* de Consecr. dist. 4. habetur, quemdam imminente naufragio *petiisse ab ipso*, catechumeno, *quem baptizaverat, ut eum reconciliaret.* II. Cæsarius in Dial. dist. 3. c. 21. narrat, quosdam navigantes sodalibus laicis fuisse confessos. Commilitonibus suis Richerium Aquilensem, Guidonem magistrum equitum, nec non Hispanos milites fuisse confessos scribunt clariss. historici; ergo &c. Prob. II. pars. Auctor de vera & falsa Pœn. ait: *Si deest sacerdos, confiteatur proximo.* Hinc Magister in 4. dist. 11. ait, perspicuum esse: *Peccata primum Deo, deinde sacerdoti esse confitenda, & si ipse defuerit etiam socio.* Et S. Th. q. 8. suppl. art. 2. ait: *In necessitate etiam laicus vicem sacer-*

ſacerdotis ſupplet. Eadem habet D. Bonav. in 4. diſt. 17. part. 2. S. Raymundus l. 3. de pœn. &c.

Prob. III. pars ex prop. I. ubi oſtenſum eſt, miniſtrum legitimum confeſſionis eſſe ſolum ſacerdotem; ergo ſola ſacerdotalis confeſſio ſacramentalis eſt. Qui ergo laudant confeſſionem laicis factam, ideo laudant, quia, *etſi ille, cui quis confitebitur, poteſtatem ſolvendi non habet, fit tamen dignus venia ex deſiderio ſacerdotis, qui ſocio confitetur criminis turpitudinem.* Eadem repetit Magiſter, & S. Thomas, qui ibi ſubdit, quod in laicali confeſſione *non eſt aliquid ex parte miniſtri, ſcilicet abſolutio, & ſatisfactionis injunctio*, ſed eſt tantum quod requiritur ex parte pœnitentis, nempe *contritio, & confeſſio.* Item S. Bonaventura ibi ait: *Non fit ſocio, ut ſuppleatur locus ſacerdotis, vel ut confeſſio Sacramentum habeatur; ſed ut voluntas confitentis probetur.* Hinc patet laicos, qui auderent confeſſiones excipere & abſolvere, ſacrilegium committere, & fieri irregulares, ſi forent clerici, & juxta plures, quibus ſubſcribimus, etiamſi forent laici.

Prob. IV. pars. I. enim confeſſio neceſſaria eſt ob abſolutionis beneficium ex Prop. 4. c. 1. II. Chryſoſtomus, aliique PP. docent confeſſionem non oportere fieri conſervis. III. Licet confeſſio laicis facta commendetur, ea tam non expedit, niſi ubi a laicis facta commendetur, ea tamen non expedit, niſi ubi a laico injuria affecto peti debet reconciliatio, aut ad tollendum ſcandalum, aut ubi pœnitens conſilio indiget, quod poſtulat criminis revelationem. Licet ergo laudari debeat, qui morti proximus laico ſua peccata revelaret ad vehementiorem contritionem excitandam, modo id omni circumſpectione fieret, generatim tamen dico, nullum eſſe hujus confeſſionis præceptum, nullamque haberi neceſſitatem. Eadem tradit Scotus, Soto, Suarez, Sylvius, De Lugo, aliique apud Auctorem, qui ajunt id vel raro, vel numquam fieri debere.

PROPO-

Propositio IV. Quidam pluribus simul sacerdotibus confessi sunt, non ex necessitate, aut præcepto.

Prob. I. pars exemplis Guillelmi Normanniæ ducis, & Michaelis Palæologi, apud Morinum: Theodardi episcopi, Vitalis abbatis, & Ludovici pii apud Martene: Ebbonis Remensis episcopi, & Goffridi Antisiod. apud Mabillonium, qui plures in extrema confessione sacerdotes adhibuere. Prob. II. pars, tum quia unus sacerdos sat est ad solvendum, nec ulla lex statuit pluribus aperienda esse peccata. Vide prop. 1. c. 1.

Ob. I. In Jacobi ep. habetur: *Confitemini alterutrum*; ergo &c. II. Idem eruitur ex comparatione baptismi. III. In lege nova omnes sunt sacerdotes; ergo &c. R. ad I. Jacobi verba exponenda esse de confessione facta presbyteris, quos ad infirmos inductos supponit. Vide prop. 1. c. 1. Ad II. vide prop. 4. c. 1. Ad III. vide prop. 1. c. 13. l. 33. ubi exposuimus quo sensu omnes fideles in nova lege dicantur sacerdotes.

Ob. II. Martinus V. præcepit, ut suspecti de erroribus Wiclefi interrogarentur: *Utrum credant, quod Christianus habita copia sacerdotis idonei ex necessitate salutis, illi soli confiteri teneatur, non laico*; ergo quando non est copia, non improbat Pontifex confessionem laico faciendam. R. neg. conf. Ex iis enim verbis infertur confitendum sacerdoti, si hujus copia habeatur, non vero laico, cui Wiclefus potestatem clavium attribuit. Ut si dicam pauperi stipem erogandam, si adsint, non sequitur diviti dandam, si desit pauper. Consulto addit Pontifex, ex necessitate salutis, ut ostendat confessionem ab aliquibus laico factam, non fuisse necessariam, neque *sacramentalem*. An vero utilis fuerit, vel noxia, ut aliquibus visum est, non opus erat attingere in damnatione Wiclefi.

Ob. III. Diaconi ex Cypr. ep. 12. in extrema necessitate excipiebant exomologesim pœnitentium, iisque

iisque pacem donabant; ergo &c. Idem statuit Conc. Illiberitanum, Toletanum I. & Londinense, quæ omnia diaconis potestatem faciunt imponendi manus supra pœnitentes, sed hæc impositio non est *ceremonialis*, sed sacerdotalis, nam per Cyprianum habetur in diaconatu honor sacerdotii; ergo &c. II. cap. *Fures* habetur: *Si comprehensi presbytero, vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus*, ergo &c.

R. ad I. Ex prop. II. Conc. Illiberatinum loqui de Eucharistia non deneganda a diaconis in mortis articulo constitutis, nisi presbyter inhibuerit. Toletanum I. vetat diaconis illegitime ordinatis: *Ne manus imponant*, idest ne altari ministrent, & cum aliis de clero substratis imponant manum, vide Tom. 2. Conc. Hispan. pag. 131. Londinense agit de excipienda pœnitentium satisfactione ex Tom. 11. Collect. Labb. pag. 14. Honor vero sacerdotii, qui a Cypriano &c. diaconis tribuitur, non infert parem iis fuisse cum presbyteris dignitatem. Tria enim sacerdotii genera veteres distinguebant: *Primi sacerdotes*, ex codice Theodos. de Episc. l. 5. de fide cath. dicebantur episcopi: *Secundi ordinis viri*, apud Rab. l. 1. Inst. Cler. *presbyteri sunt. Diaconos* vero *in tertio sacerdotio constitutos* scribit Optatus l. 1. n. 13. ergo &c. Ad II. R. cap. *Fures* exponi posse cum Basilio Poncio de reconciliatione ceremoniali, vel de communione orationum Ecclesiæ, de quibus ibi sermo est, ut notat Gonzalez. Adde in Conc. Triburiensi, unde excerptum est cap. *Fures*, pro *diacono* haberi *Deoque*, teste Van-Espen &c.

Ob. IV. illorum loca, qui commendant communionem laicis factam in mortis periculo. R. Hæc dilui ex dictis Propos. 3.

CAPUT V.

De requisitis in pœnitentiæ ministro.

Agemus hoc loco de confessarii potestate, ac prudentia in excipiendis confessionibus. Sit itaque

PROPO-

Propositio I. Nequit ſacerdos abſque poteſtate juriſdictionis valide abſolvere, excepto mortis articulo.

Prob. I. ex cap. *Quod autem* 5. Decr. tit. 38. *A non ſuo judice ligari nullus valet, aut abſolvi.* Et cap. *Presbyteri* qu. 6. n. 4. *Presbyteri de occultis peccatis juſſione epiſcopi reconcilient.* Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de Ref. ſtatuit: *Nullum regularem poſſe confeſſiones ſæcularium audire, niſi aut parochiale beneficium, aut ab epiſcopis approbationem obtineat.* Prob. II. ratione. Abſolutio enim ſacerdotalis eſt *actus judicialis, quo ſententia pronunciatur* ex Trid. ſeſſ. 14. c. 6. ſed hic actus expoſcit: *Ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur*, ib. c. 7. ergo &c.

Dices: presbyteris in ordinatione dicitur: *Quorum remiſeritis &c.* ergo &c. R. neg. conſ. His enim verbis confertur presbyteris poteſtas *ordinis*, ſed *jurisdictionis*, aut exercitii, cum ſit actus judicialis, non confertur, niſi promoveantur ad curam animarum, cui adnectitur juriſdictio ordinaria, aut ex epiſcoporum approbatione, unde fluit *ſubdelegata.* Nam Apoſtolis etiam, præter facultatem expreſſam iis verbis: *Quorum remiſeritis &c.* opus fuit, ut in orbem mitterentur, ut paſtores & judices populorum. Hinc ſequitur nullum vel leve peccatum poſſe a ſacerdote *ſacramentaliter* abſolvi ſine ordinaria, aut delegata juriſdictione.

Not. I. Trid. cit. cap. 15. comprehendere etiam regulares, qui proinde nequeunt confeſſiones ſæcularium (non fratrum, ad hoc enim ſat eſt ſui ſuperioris facultas) excipere, niſi epiſcopus iis hanc det facultatem, quæ valet pro ea tantum diœceſi, ubi eſt ordinatus, non pro aliena. Hinc merito proſcripta eſt ab Alex. VII. tamquam *falſa, & pernicioſa* hæc propoſitio: *Regulares Ord. mend. ſemel approbati ab uno epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua diœceſi, habentur pro approbatis in aliis diœceſibus*: quam prop. damnarunt Præſules Gall. an. 1656. Nec obſtant privilegia, quæ a Trid. a Pio IV. & V.

necnon a Greg. XV. aliifque funt abrogata. Statuit etiam Greg. XV. in Conftitutione an. 1621. *Ut confeffores five regulares, five fæculares, tam ordinarii, quam extraordinarii ad confeffiones monialium, etiam regularibus fubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nifi prius ab epifcopo diœcefano idonei judicentur.* Hinc regulares approbati pro audiendis confeffionibus unius monafterii, non poffunt in alio confeffiones audire.

Not. II. Poffe fidelium confeffiones audire qui habent *parochiale* beneficium, quia illis cura animarum commiffa eft, quæ fine jurifdictione ftare non poteft. Si tamen curam dimittat, aut ea privetur, privatur etiam jurifdictione. Cenfent nonnulli parochum non poffe extra limites parœciæ fuæ hanc jurifdictionem exercere, fi hoc valeat exercere ratione beneficii parochialis. Quod extra dubium eft, fi epifcopus ejus facultatem coarctet ad gregem ejus curæ commiffum, fecus, fi non coarctet.

Not. III. ex iis Tridentini verbis: *Per examen, fi videbitur neceffarium*, fatis conftat etiam regularibus fubeundum examen epifcopi, fi videatur opportunum. Ita ftatuit Urbanus VIII. in Conft. ann. 1628. Nec ab eo examine quis difpenfari cenfetur, etfi plurima fcientia polleat, aut publici doctoris munere fungatur. Quia tamen Concilium disjunctive loquitur: *Aut alias idoneus judicetur*, confuevit Benedictus XIV. cum Bononienfem regeret Ecclefiam, viros doctrinæ laude commendatos, adigere, ut coram fe ceteros inferioris ordinis examine explorarent: ficque jura epifcopalia tuebatur, probabat idoneos, & doctiores honore profequebatur. Quare non *fatisfacit præcepto annuæ confeffionis, qui confitetur regulari ab epifcopo*, etiam *injufte reprobato*, ex Prop. 13. ab Alex. VII. damnata. Nec obftant privilegia regularium, cum fuerint a Trid. Synodo, & a Rom. Pontificibus revocata. Tandem epifcopus hanc facultatem coarctare poteft, revocare, ac fufpendere: *Ex caufa ad confeffiones pertinente,*

nente, quam non tenetur ipsis regularibus indicare, sed tantum sedi Apostolicæ, ut statuit in Brevi ad episcop. Corduben. Urbanus VIII. Et in causa Angelopolitana Innocent. X. Vide Suaresium, Mersesium &c.

Propositio II. Jure possunt graviora crimina summis sacerdotibus reservari.

Ita Trid. Sess. 14. c. 7. & prob. I. Cum enim jurisdictionis potestas ab antistite conferatur, potest ipse jurisdictionem illam certis limitibus coarctare; ergo nulla erit absolutio illa sine episcopi licentia, ut docent Trid. PP. ib. c. 11. Hinc sequitur, eos peccata reservare posse, qui aliis conferunt jurisdictionem. Et I. Rom. Pontificem, qui omnem habet plenitudinem potestatis relate ad universos episcopos. II. Episcopos respectu inferiorum presbyterorum. III. Superiores relate ad regulares sibi subditos. Sequitur etiam peccata venialia non esse reservanda, quia absque Sacramento pœnitentiæ remitti possunt. Quamquam, si potestas jurisdictionis attendatur, quæ necessaria est, ut eadem venialia absolutione Sacramentali solvantur. possent ex Suaresio, Sylvio, Soto &c. etiam venialia sic episcopis reservari, ut a tali ministro, non ab omnibus absolverentur.

Idem docent laud. Theologi de mortalibus *internis*; licet enim puniri nequeant Ecclesiasticis censuris, nisi quæ pertinent ad externum Ecclesiæ forum, cum tamen peccata interna jure divino in interiori foro enuntientur, & judicialiter absolvantur, sicuti Ecclesiæ jurisdictioni, ita & reservationi subjici possunt. Id tamen non expedit, nec fit a Rom. Pontificibus, aut ab episcopis, quorum nemo hactenus *internum* crimen sibi reservavit.

Hinc sequitur, merito a Rom. Inquisitione proscriptam anno 1744. cujusdam theologi sententiam, qui ex hisce principiis, quod nempe reservari non soleant venialia, & mortalia tantum interna, inferebat, octavum casum reservatum Venetæ diœcesis:

fis: *Quælibet impudicitia, cum monialibus peracta, vel quocumque modo attentata, non comprehendere actus subimpudicos de se veniales, e. g. genas vellicare, & mammillas tangere, solum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales, hac ratione, quia nonnisi peccata per externam malitiam mortalia reservantur.* Actus enim illi non veniales sunt, sed mortales. Quamvis enim D. Thomas q. 154. 2.2. a. 4. scribat, oscula, & tactus posse quandoque fieri absque peccato; loquitur tamen S. D. de iis actibus inspectis secundam speciem, ut ait ib. in R. ad III. Ad iidem actus peracti cum tali fœmina nulla urgente necessitate (quæ in chirurgo esse potest) non *secundum speciem*, sed in *individuo* debent attendi; frustra ergo ad laxam illam sententiam tuendam productus est cit. articulus.

Casus Pontifici reservati sunt I. ii, qui extant in Bulla Cœnæ edita a Sixto V. an. 1586. His adde quæ ex mandato Clem. VIII. S. Congr. Episc. & Reg. recensuit: *Violationem immunitatis ecclesiasticæ in terminis Constit. Gregor. XIV. Violationis clausuræ monialium, ad malum finem. Provocantium, & propugnantium in duello. Injicientium violentas manus in clericum. Simoniæ realis scienter contractæ, & confidentiæ beneficialis.* Qui excipit confessionem complicis in peccato turpi contra VI. præceptum excommunicatur ex Constit. Benedicti XIV. an. 1741. quam confirmavit ann. 1745. declarans, solum in mortis articulo sacerdoti licitum esse complicem audire & absolvere, dummodo non adsit alius sacerdos, etiam simplex, qui pœnitentem possit absolvere, aut vocari & adesse non possit absque infamia, vel scandalo. In casibus, in quibus adnexa est excommunicatio, qui a culpa ex indulto Apostolicæ sedis absolvitur, censetur etiam ab excommunicatione solutus: at in facultatibus etiam Jubilæi casus Apostolicæ sedi reservati, nisi exprimantur, intelliguntur excepti, ut statuit in laud. Constit. Benedict. XIV. Si alii casus sint occulti,

potest

poteſt epiſcopus vel per ſe, vel per vicarium abſolvere ex Trid. ſeſſ. 14. c. 6. excepta irregularitate orta ex homicidio voluntario.

Nota, ex Bulla Benedict. XIV. quæ incipit, *Apoſtolica indulta*, ſi per eam concedatur alicui facultas eligendi ſibi confeſſarium ex approbatis, a quo valeat abſolvi a cenſuris reſervatis, opus eſſe ut idem confeſſarius ſit approbatus ab ordinario loci, ubi excipitur confeſſio: nec ſat eſſe quamlibet aliam approbationem, licet foret epiſcopi, qui olim fuerit loci ordinarius: atque hac lege etiam regulares obſtringi.

Quæres: Quinam caſus ſint ab epiſcopo reſervandi? R. Prudenter reſervari enormiora crimina, quæ laudabiliter ejus prædeceſſores reſervarunt, nec non illa crimina, quæ plurimum labefactant Eccleſiaſticam diſciplinam. Ex cap. *Inter cunctas* in Extr. Com. de Privil. & ex decreto Clem. VIII. Reſervari autem ſolent furta, ſacrilegia, homicidia, divinationes, & invocationes dæmonum, crimen falſariorum in judicio, quævis percuſſio parentum, inceſtus graviores, nefandum crimen, abortus procuratio, incendium ex malitia, ſuffocatio, monialium violatio &c. In his autem, aliiſque non poſſe regulares quemquam epiſcopo ſubjectum abſolvere conſtat, tum ex natura poteſtatis jurisdictionis, de qua ſupra, tum ex pluribus S. Canonibus, nec non ex Conſtit. Gregor. XIII. Clement. VIII. Pauli V. Innoc. X. & Alex. VII. a quo proſcripta eſt Propoſ. 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id epiſcoporum facultate.* Idem docent Soto, Suarez, Alexander, Vanroy &c. Excipe tamen mortis periculum, in quo ex Trident. Seſſ. 14. cap. 7. omnes ſacerdotes abſolvere *quoslibet pœnitentes, a quibuſvis peccatis & cenſuris:* ſi deſit ſacerdos jurisdictione pollens, ſecus ſi adſit. Ita Rit. R. de Sacr. Pœn.

Propositio III. Confeſſarius ſcientia, ac ſagacitate pollere debet.

Prob. I. pars, ex cap. *Qui vult confiteri* de Pœnit. dist. 6. ubi habetur: *Caveat spiritalis judex, ut non careat munere scientiæ. Oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare discernat.* Tenere ergo debet, quæ de hoc Sacramento mandarunt literis moralis Theologiæ tractatores; quænam peccata sint de genere suo mortalia, quænam venialia, quæque restitutionem, contractus, censuras, proscriptasque propositiones respiciunt. Quæ item adversus confessarios ad turpia sollicitantes sanxerunt Gregor. XV., & Benedict. XIV. ann. 1741.

Prob. II. pars. Debet enim confessarius, quantum potest, explorare pœnitentium affectiones, in rudibus interrogandis, in danda, vel suspendenda absolutione, & satisfactione injungenda, sed hæc absque solerti sagacitate fieri non possunt; ergo &c.

Indicia autem decem præcipue numerantur, quæ animi pravitatem in pœnitente demonstrant. I. Est omissio examinis conscientiæ. II. Si pœnitens asserat se libenter confiteri peccata, sed ab iis abstineri non posse. III. *Si scelera alia deploret, aliis anhelet*, ex cap. *Pœnitentiam* de Pœn. dist. 3. IV. Si confessionem dividat *ad hypocrisim tendens*, ex cap. *Consideret* ibid. Si nolit deserere negocium, quod nequit sine peccato exerceri. Ex cap. *Falsa.* VI. si odium servet in corde ex cap. *Fratres.* VII. Si rem alienam, aut famam reddere nolit ex distinct. 14. q. 6. cap. *Si res.* VIII. si proximam peccandi occasionem nolit deserere, ex damnata ab Innoc. XI. prop. 61. & 62. IX. cum pœnitentiam agere detrectet, aut de uno tantum crimine illam agit spretis aliis. X. Si frequenter mutet confessarios, nec velit prudentibus se committere, ex c. 6. Inst. S. Caroli p. 2. & ex can. 8. Concilii Rom. S. Gregorii VII.

Quæres: quid prudens confessarius interrogare debeat rudiores? R. I. inquirere debet a Pœnitente quandiu sit ex quo non est confessus? num examen præmiserit? quo dolore detestetur peccata? an sit solu-

ſolutus, vel conjugatus &c. Vide Toletum de Inſtr. Sac. l. 3. c. 17. II. An articulos fidei, & præſertim Incarn. myſteria, & præcepta Dei, & Eccleſiæ teneat? III. Quærat numerum ac ſpeciem peccatorum, incipiens a præceptis Dei & Eccleſiæ, tum a vitiis capitalibus ad obligationes cujuſque ſtatus diſcurrat per ea, quæ patrare ſolent parentes, filii, domini, ſervi, mercatores, artifices &c. IV. Caveat, ne inquirat peccati complicem, niſi ad integritatem confeſſionis neceſſario ſit revelandus. V. Nec quærat pœnitentium nomen, domicilium, ætatem &c. VI. In iis, quæ ſpectant ad ſextum decalogi præceptum, gerat ſe cautiſſime, & ut ait Gerſon. *Procedat pedetentim a generalibus, & quæ nullam videntur culpam includere*, non ea inquirens, quibus poſſit innocentior ætas apprehendere turpitudinem. VII. Si confeſſionis initio audiat peccata, quæ nequit abſolvere, a reliquis audiendis abſtineat. VIII. Vitet ſequentes abuſus. I. Ne confeſſionis initio ſe præbeat nimis auſterum, & difficilem. II. Ne audiens graviora crimina pœnitentes perterrefaciat. III. Ne cum fœminis habeat prolixiora colloquia. IV. Ne ægre ferat, aut reprehendat, qui alios adeunt confeſſarios. V. Ne munuſculis ſe delectari ſignificet.

CAPUT VI.

De tempore ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ.

Quæri ſolet in ſcholis, an ſtatim poſt lapſum quis teneatur confiteri? an præcepto annuæ confeſſionis ſatisfaciant qui parocho non confitentur, vel ſacrilege confitentur? Sit ergo

Propositio I. Qui in grave ſcelus prolapſi ſunt curare debent, ut quamprimum confiteantur.

Not. Communior opinio eſt: *Non teneri hominem ad ſtatim confitendum, quamvis periculum ſit differre*, ut q. 6. ſupplem. art. 5. ait S. Thom. ac poſſe laicum *rationabiliter expectare tempus Quadrage-*

dragesimæ, quod est tempus pœnitentiæ, ait in 4. dist. 17. p. 1. a. 2. S. Bonav. Excipiunt tamen mortis periculum, necnon si conscientia dictet confitendum esse, aut ex dilatione oblivioni subjiciatur, si peccet frequentius, aut munus obire teneatur, quod nequeat in peccato exerceri. Alii contra tenent, statim admisso peccato gravi teneri peccatorem illud detestari, præsertim si menti occurrat, prout est offensa Dei, nec differendum confessionis propositum, sed cum primum fieri possit implendum. Ita Alex. Alen. Guillelmus Paris. Maldonatus, Vanroy, Piette &c. Alii denique, quibuscum sentimus, media incedunt via: ajunt enim confessionis præceptum obligare etiam extra vitæ periculum, cum nempe conscientia peccati horrore concutitur, & habetur loci, temporis, ac sacerdotis opportunitas, quæ nisi habeatur, putant saltim eliciendum esse actum contritionis, nec opus esse, ut peccator statim, & quamcitius confiteatur. Ita Victoria, Soto, Canus, Estius, Sylvius &c.

Prob. I. Cum enim ait D. Thom. præceptum confessionis urgere *in mortis periculo*, non intelligit mortis articulum, sed plures casus, unde mors solet accidere, ut in Bello, in mari turbato, in partu fœminæ; ergo &c. II. Præcepta affirmativa, nedum obligant in extrema necessitate, sed etiam quando eorum actus existimantur rationabiliter necessarii, ut l. 23. c. 7. & 15. dictum est. III. differendam non esse in longum tempus confessionem constat ex momentis secundæ sententiæ, quæ infra proferemus, & suadet lex naturæ, quæ docet, quamcitius ei reconciliari oportere, quem offendimus; ergo &c.

Ob. I. Ex D. Th. *Præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum*; ergo &c. II. Baptismus diu, & non mortem usque dilatus fuit ex libri 31. c. 20. ergo & pœnitentia. III. Præceptum contritionis non obligat statim ac peccatum admissum est ex Juenin diss. 6. de Sacr

q. 4. art. 6. ergo nec confeſſio. IV. Eccleſia præcipit tantum, ut ſemel in anno confiteamur, ergo &c.

R. ad I. ex probatione II. hujus propoſitionis, tum ex iis, quæ diximus de actibus fidei, ſpei, & caritatis. Ad II. neg. conſ. Baptiſmus enim differebatur, ut catechumeni inſtruerentur & diſponerentur, & tunc ſtatim. conferebatur baptiſmus. Ad III. neg. ant. Non enim videntur aliorum ſaluti conſulere, qui docent oppoſitum. Ad IV. neg. conſ. Ibi enim mens Eccleſiæ eſt cohibere quorumdam licentiam, qui putabant, poſſe quemlibet pro lubitu confiteri: ſtatuit autem, ut ſemel in anno id fiat, quia vix reperitur qui eo intervallo aliquod crimen non admittat.

Ob. II. alterius ſententiæ patroni. I. Præceptum contritionis obligat ſtatim poſt peccatum, ex Eccli. 8. *Ne tardes converti, & ne differas de die in diem*, & ex Aug. c. 76. Ench. *Non dixeris cras convertar &c.* ſed idem de confeſſione dicendum eſt, ſi adſit miniſtri copia; ergo &c. II. Statim debet adhiberi corpori medicina; ergo & animæ. III. ſtatim reconciliari debemus proximo; ergo & Deo. IV. Peccatum vel placet, vel diſplicet; ſi hoc; ergo illud deteſtamur, & dolemus: ſi illud; ergo peccatum peccato addimus. V. regem offenſum ſpernit, qui ab eo veniam non petit; ergo &c.

R. ad I. loca illa ſuadere quod melius eſt, quia ex dilatione ſæpe evenit corporis & animæ interitus, friget pœnitentiæ ſtudium, & occaſio converſionis elabitur. Ad II. retorq. argum. *Non eſt enim de neceſſitate ſalutis*, ait D. Thom. ib. *ut ſtatim medicus quæratur, niſi quando neceſſitas curationis incumbat.* Ad III. & V. R. in ipſa fratrum reconciliatione opportunitatem attendendam eſſe, licet præſtet id fieri quantocius. Ad IV. R. poſ-

ſe mentem averti a peccato, ut ipſum nec placeat, nec diſpliceat.

Propositio II. Satisfit Eccleſiæ præcepto annuæ confeſſionis, ſi hæc fiat cuique ſacerdoti, etiam non parocho.

Eſt contra Launojum, cui acceſſere Juenin, Vitaſſe Van-Eſpen &c. & prob. I. Nam Joannes XXII. ann. 1321. damnavit hanc propoſitionem Joannis de Poliaco: *Stante Omnis utriuſque ſexus edicto in Concilio generali Rom. Pontifex non poteſt facere, quod prochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteri, quem conſtat eſſe parochialem curatum.* Item aliam: *Confeſſi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones tenentur iterum confiteri proprio ſacerdoti;* ergo &c.

R. Launojus, eam propoſitionem proſcriptam, eo quod aſſereret, iterum aperienda eſſe peccata a regularibus ſoluta, neque Romanum Pontificem a neceſſitate confitendi proprio parocho eximere poſſe. Sed contra. Vel enim regulares ea pollent jurisdictione, vel non; ſi hoc, cur non ſunt enuntianda parocho peccata ab iis ſoluta? ſi illud, cur nequeunt pœnitentes abſolvere? Deinde, ſi RR. Pontifices eximere poſſint ab ea neceſſitate, cur eorum decretis obſiſtit Launojus, cum illi toties declaraverint a ſe fideles exemptos? II. Leo X. idem ſtatuit in Conc. Lateranenſi V. anno 1516. Idem decrevere Paulus III. ann. 1549. Paulus IV. ann. 1555. aliique apud Alex. Tournely, Boucat &c. Accedit definitio Clem. VIII. quæ contentione fervente inter regulares & parochos Cameracen. & Atrebaten. diœceſeos, ſancivit: *Dictis fratribus ab ordinario approbatis, etiam Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licite poſſe, dummodo iidem Chriſti fideles Euchariſtiam ab eorum parocho ſumant.* Idem ſtatuit Clemens X. ann. 1670. Nec dici poteſt ea decreta *eſſe ſubreptitia*, cum extent autographa in Romanis Archiviis.

Nec

Nec obſtat, ea decreta, non eſſe in Galliis recepta, ſiquidem ab aliis Chriſtiani orbis partibus acceptari negare non poſſunt Galli theologi; cur ergo ab omnibus pari obſequio excipi non poſſunt? quod ſi fieri poteſt, poſſunt ergo epiſcopi hanc facultatem regularibus concedere; ergo qui confitentur regularibus ſimpliciter approbatis canonem *omnis utriuſque* non violant. Reapſe in eo canone *proprii ſacerdotis nomine* poſſe intelligi epiſcopum, parochum, & quiſquis delegata jurisdictione excipit confeſſiones, affirmat Alenſis, D. Thomas, Henricus, & Durandus. Ex recentioribus vero innumeri ab ipſo etiam Launojo laudati. Eandem doctrinam amplexi ſunt anno 1252. Theologi Pariſienſes. anno 1450. Guillelmus Gaſtrofortius, ann. 1509. Greg. Gemingenus, ann. 1530. Jo. Aurelianen. ann. 1550. Ludovicus Carnotenſis, anno 1561. Carolus epiſcopus Sueſſionen. anno. 1587. Germanus Aurelianenſis, anno 1650. Philippus Gamachæus & Iſambertus, anno. 1683. Harleus & Nat. Alex. anno 1737. Tournel. Boucat &c. qui omnes docent, *proprii ſacerdotis nomine* Lateranen. Concil. intellexiſſe Rom. Pontificem, epiſcopum, ejus vicarium, parochum, & omnes ab epiſcopo deputatos, vel ſi parochum intelligunt, docent tamen canonem explicandum ſalvo jure epiſcoporum, qui poſſunt etiam Paſchali tempore ſacerdotes quoslibet deputare.

Accedit ratio: I. Poſſumus in Paſchate juxta canonem Later. permittente *ſacerdote proprio*, ideſt parocho, ut adverſarii contendunt, confiteri alieno ſacerdoti; ergo a fortiori id fieri poteſt permiſſu epiſcopi, qui in parochiis ſuæ diœceſis plenam habet auctoritatem. II. Ille eſt proprius ſacerdos, ſine cujus licentia confeſſarius non poteſt ſolvere, ſed epiſcopi a parocho, utpote inferiori, licentiam petere non debent; ergo ſunt *proprii ſacerdotes*. III. In ſententia oppoſita epiſcopus eſſet *proprius ſacerdos* tantum confirmationis, & ordinis, ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c.

Ob.

Ob. I. *Proprius* ſacerdos ex canone Lateranen. ille eſt, a quo in Paſchate recipi debet Euchariſtia, ſed hæc recipi debet a parocho; ergo &c. II. Lateranen. c. 32. vetat, ne penſiones conferantur de proventibus Eccleſiæ, *quæ curam proprii ſacerdotis habere debet*; ſed huic *proprius* ſacerdos eſt parochus; ergo &c. III. Martinus IV. in Conſtit. *Ad fructus uberes* præcepit, ut qui fratribus confitebantur *ſuis bresbyteris parochialibus confiteantur ſemel ſaltem in anno, ut Concilium ſtatuit.* IV. Idem ſtatuit poſt provinciales plurimas Synodus Mediolan. Facultas Pariſien. quæ damnavit aſſerta Claudii Cuſii docentis impleri caput *Omnis utriusque* ab iis, *qui fratribus confitentur.* V. accedit ratio. Nam privilegia regularium a Trident. revocata ſunt. Nec parochi ſuo jure exui debent, queis epiſcopi ſuam auctoritatem commiſere; ergo &c.

R. Mentem Lateranenſis Synodi fuiſſe damnare pullulantem errorem aſſerentium cuilibet ſacerdoti adeſſe *poteſtatem clavium*, licet ab epiſcopo jurisdictio non conferatur. Mandans ergo Concilium, ut quilibet confiteatur omnia peccata proprio ſacerdoti, nec confiteatur *alieno*, niſi de licentia *proprii*, declarat, in confeſſario neceſſariam eſſe poteſtatem jurisdictionis. Jubens autem, ut ad minus in Paſcha communicet unuſquiſque, cohibet S. Synodus contemptum ſacrorum myſteriorum; ergo quoad confeſſionem proprius ſacerdos eſt ille, qui habet poteſtatem Jurisdictionis, aut ordinariam, aut delegatam. Neque hinc ſequitur, poſſe impleri extra parœciam præceptum communionis, cum hoc privilegium regularibus non ſit conceſſum, imo ſtatutum ſit, ut Euchariſtia ſumatur a proprio parocho.

Ad I. ergo diſt. min. Secluſa epiſcopi facultate, conc. ſecus, neg. ſi enim epiſcopus permitteret alicui, ut extra parœciam communicaret, is non teneretur accipere communionem a parocho; ergo

a pari.

a pari. Ad II. R. neg. min. Nam canon ille æque ſpectat parœcias ac nobiliores Eccleſias. Ad. III. R. a Martino IV. revocatum fuiſſe privilegium regularium excipiendi confeſſiones ſine approbatione ordinarii. Ad IV. R. ut ad I. Ceterum Cuſii propoſitio, teſte Launojo ipſo, erat *de regularibus ab epiſcopo reprobatis*: adeoque jure a Pariſ. Facultate, imo ab Apoſtolica Sede proſcripta eſt. Ad V. R. privilegia regularium eſſe revocata quoad examen, & approbationem epiſcoporum, ut ſupra dictum eſt: nec noſtra ſententia parochi ſuo jure expoliantur, nemo enim noſtrum præſumit Sacramenta ordinaria jurisdictione miniſtrare. Verum dum annuunt Pontifices & præſules, aſſerere jura parochorum regulares invadere, eſt epiſcopis injurioſum.

Propositio III. Non impletur præceptum annuæ confeſſionis per ſacrilegam confeſſionem. Demonſtratur hæc propoſitio ab Auctore lib. 33. c. 14. Tom. 7. p. 358. Rom. ed.

Propositio IV. Veteres certis anni temporibus Sacram. confeſſionem emittebant: ubi de præcepto annuæ confeſſionis.

Prob. I. ex veteri canone apud Burchard. l. 19. n. 2. ubi legitur: *Presbyteri admonere debet plebem, ut omnis, qui ſe ſentit mortifero peccati vulnere ſauciatum, feria 4. ante Quadrageſimam, cum humilitate & contritione cordis ſimpliciter confeſſus, ſuſcipiat modum pœnitentiæ.* Alios plures canones profert Menardus. II. ex Concilio Toletano celebrato ann. 1228. Vigorienſi ann. 1240. & Albienſi ann. 1254. c. 9. quidam epiſcopi plebem adigebant, ut confiterentur ter in anno. Alii præter feſtum Paſchale addidere diem nativitatis Chriſti, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. M. V. & omnium Ss. De Nativitate narrat Egbertus in fine dialogi: *A temporibus Vitaliani Papæ* (qui ſedit ab ann. 657. ad 672.) *inolevit in Eccleſia Anglorum conſuetudo, ut etiam laici cum conjugibus & familiis*

liis suis ad confessores pervenirent, & se fletibus mundarent, quatenus puriores communionis perceptionem in Natali Domini perciperent; hinc refellitur Dallæus negans majores nostros confessionem Eucharistiæ præmisisse. III. Monachi veteres ante tirocinium confessionem edebant ex Climaco in 4. Scalæ gradu, eaque semel ad minus in hebdomada præscribitur a Constitutionibus Ord. nostri p. 1. c. 8.

IV. De ejus necessitate in mortis articulo alibi dictum est, cujus rei plura profert exempla Mabillon præf. 1. in Sæc. 3. Adde constitutiones Rom. Pontificum Pii V. & Greg. XIII. præcipientium medicis, ut moneant infirmos de confessione facienda. V. Ex Anselmo & Alcuino longum iter *confessione confirmare* debemus. VI. Ex monitis S. Caroli part. 2. Instr. c. 11. laudabilis est eorum consuetudo, qui semel in vita edere student generalem peccatorum confessionem. Eamdem saluberrimam esse ad *resarciendas juventutis ignorantias, & plurimos defectus, qui in confessione fiunt a juvenibus*, docet S. Thomas de Villan. Conc. in Dom. 4. Quadragesimæ. Plurimas etiam illius utilitates recenset S. Franciscus Salesius in Praxi spirit. inter quas recenset majorem conscientiæ tranquillitatem, præsertim iis, qui ob nimium pudorem aliquando confessionem emiserint sacrilegam.

CAPUT VII.

De forma absolutionis Sacramentalis.

Not. I. Absolutionis formulam hanc esse: *Ego te absolvo*, ac preces additas ad formæ essentiam non spectare, Concilium Florentinum in Instr. Arm. & Tridentinum sess. 14. c. 3. definiunt. De ea tria quæremus, I. ad historiam spectat, II. ad dogma, III. ad moralis Theologiæ Institutiones. Quoad I. quæritur an obtinuerit, & Sacramento idonea sit *forma deprecativa?* Hanc autem in Lati-

na Ecclesia usque ad medietatem sæculi XIII. obtinuisse, & etiamnum in usu esse apud Græcos, adeoque validam esse constanter pronunciant Morinus, Juenin, Du Hamel, Tournely, Vitasse, Gotti, Martene, Vanroy, Piette ab Auctore laudati. Pro forma indicativa, quam superiores Theologi necessariam existimarunt, pugnant Frassen, Henno, Boucat. Mirum proinde est, Emin. Gotti scripsisse tom. 14. p. 335. *Certum omnibus esse*, Græcos uti forma deprecativa, cum Launojum, ac Morinum refutare studuerint Vincentius Baronius, P. Nicolai, Gonet, Alex. aliique Thomistæ cl. Et D. Th. Opusc. 22. scribat: *Qui petit aliquid esse solvendum non solvit: miror qua temeritate aliquis asserat, esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.*

Quoad II. Cum hæretici omnes affirment, sola fide: *Quæ concipitur ex Evangelio, seu absolutione, & credit propter Christum certo remitti peccata*, ut habet Confessio Augustana art. 12. certa fide tenendum est, absolutionem Sacramentalem esse *actum judicialem*, non vero *nudum ministerium declarandi remissa esse peccata confitenti*, ut can. 9. sess. 14. definit Trid. a quo errore quam longe absunt veteres Scholastici, qui ajebant, contritionem vi sua peccatum delere ante sacerdotis absolutionem, hi enim, ut cap. 1. dictum est, non negabant, a sacerdote *actum judicialem exerceri*, nec ajebant, absolutionem esse *nudum declarandi ministerium*; sed docebant contritionem delere culpas absolutionis vi, aut voto, vel per eam conferri gratiæ incrementum; frustra ergo opponunt adversarii, τὸ *solvere* interpretari a Scholasticis pro *declaratione absolutionis*. Quoad III. quæritur, in quo sita sit essentia formæ, qua utuntur Latini? Sit itaque

Propositio I. Incertum est, an olim viguerit forma

forma deprecativa, & aptior est ea, qua utitur Romana Ecclesia.

Prob. I. Nituntur I. adversarii veteribus Pontificalibus, ac libris Liturgicis; sed in his agi videtur de reconciliatione *canonica*, cum plures apud Martene hunc titulum habeant: *De Reconciliatione fer. 5. maj. hebd.* ergo &c. II. *Forma Sacramentalis* brevis est, definita, nec repetitur, nisi repetita Sacramenti materia; sed hi libri ritum exhibent valde prolixum, psalmis, longisque orationibus constantem, & sæpe repetitum; ergo &c. III. In Pontificali Romano Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognito exhibetur ritus hujus *reconciliationis* sub verbis tantum deprecatoriis, sed ætate horum Pontificum sola forma *indicativa* in usu erat in absolutione Sacramentali; ergo in libris illis continetur tantum modus *reconciliationis canonicæ*.

IV. In ipso Pontificali Egberti a Martenio laudato habetur: *Absolvimus vos*, vel *vobis*, *vice Beati Petri* &c. In Pontificali Anglicano verbis deprecatoriis additur: *Ego immeritus Episcopus hanc absolutionem manu, ore, corde confirmans Dei clementiam imploro*, ubi τὸ *confirmans* vim habet absolutionis *indicativæ*. In Ordine Ecclesiæ Aquen. p. 91. legitur: *Absolvimus te vice Beati Petri &c. cujus vicem, quamvis indigni, gerimus.* In pervetusta plumbea Cruce hæc absolutionis forma legitur: *Dominus te dignetur absolvere F. Elia a cunctis peccatis tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, sis absolutus ante faciem illius:* quæ formula *imperativa* comprehendit actum judicialem, ut *indicativa*. V. Fatentur adversarii indicativam formam præscribi a Conc. Londinensi, & Neumacensi, docere D. Thomam ex Parisiensium Theologorum sententia absolutionem fieri non posse per solam deprecativam orationem, & Fr. Mayronem afferere hanc formam: *Absolvat te Deus*, in Provincia fuisse ab omnibus improbatam, cum a Tridentino & Florentino non

non negent probatam *indicativam*; ſed hanc nonniſi ex traditione illi accepere; ergo &c.

Nituntur II. Patrum & Theologorum auctoritate, nam Tertullianus l. de Pud. c. 19. aſſerit, veniam dari *per exoratorem Patris Chriſtum*. Ambroſius l. 3. de Spiritu ſancto ait, quod in remiſſione peccatorum *homines rogant, divinitas donat*. S. Hieron. in Pſ. 28. ait, ceſſare in nobis flammam libidinis *per orationem ſacerdotis*. S. P. l. 15. de Trin. c. 26. ait: a nobis Spiritum ſanctum *invocari*, non conferri, & l. 3. de Bapt. ait: *Quid eſt aliud expiatio ſacerdotalis, niſi oratio ſuper hominem?* & ſerm. 99. arguit Donatiſtas dicentes: *Ego peccata dimitto*. S. Leo Ep. 136. ait: *Pro delictis ſacerdos precator accedit.* Eadem habet in epiſt. ad Theod. Forojul. Accedunt Theologi, Anonymus Scriptor de Pœn. Petrus Cantor, Guillelmus Pariſien. Alexander &c. Sed hæc momenta infirma ſunt; ergo &c.

Prob. min. Patres enim, ut obſervat Sylvius, abſolutionem vocant ſupplicationem, quia verba illius a legitimo miniſtro proferuntur cum intentione conferendi Sacramentum a Chriſto inſtitutum, & ſunt tacita divinæ potentiæ invocatio. Nam laudati Patres ajunt etiam Euchariſtiam *precibus* conſecrari; ſicut ergo Tournelyus, Juenin &c. reponunt precibus Euchariſtiam conſecrari non *formaliter*, ſed *concomitanter*, & *diſpoſitive*, quia ſine orationibus ſancta myſteria non fiunt: ita nos quoque huic argumento reponimus.

Adde, Patres laudatos ibidem refellere hæreticos, qui negabant divinitatem Spiritus ſancti, & fidei ſuæ & probitati vim omnem remiſſionis tribuebant; recte ergo ajebant: *Iſti*, homines, *rogant*, *divinitas donat* &c. Alias non ſibi conſtarent, dum iis judiciariam tribuunt poteſtatem. Tandem, cum Patres nollent vulganda eſſe arcana fidei, & formam Sacramentorum, ex Innoc. ep. ad Decent. negari poteſt in iis Patrum locis agi de *forma ſubſtantiali*, non autem de precibus ſupra *ſubſtratos* effu-

ſis cum impoſitione manuum. De Theologis adverſantibus hæc habet D. Thomas Opuſc. 22. *Numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini:* QUODCUMQUE SOLVERITIS? *Numquid, ſi nunc viverent, præjudicare poſſent ſententiæ magiſtrorum, qui contrarium ſentiunt, decernentes absque his verbis: Ego te abſolvo, abſolutionem non fieri?* Adde, quod cum laudati Scriptores tenerent hominem reconciliari Deo per contritionem, per abſolutionem autem reconciliari Eccleſiæ, & per hanc non juſtificari, ſed augeri gratiam, & a debito pœnæ enodari; dum formam deprecatoriam dixere, accipi debent de remiſſione culpæ. Hinc S. Bonaventura in 4. diſt. 18. ait: *In forma abſolutionis præmittitur deprecatio, & ſubjungitur abſolutio per modum indicativum, & deprecatio gratiam impetrat, ſed abſolutio præſupponit tantum, numquam enim ſacerdos abſolveret quemquam, niſi eſſet abſolutus a Deo.*

Nituntur III. etiam Græcorum conſuetudine, a quibus uſurpatam etiamnum *formam deprecatoriam* probant ex Euchologio Goarii. Sed reſponderi poſſet, ibi haberi formam *reconciliationis canonicæ*, *non ſacramentalis*, cum preces illæ iterum ſæpiusque recitentur. Deinde teſtatur Menardus, Græcos poſt eas preces hæc proferre: *Habeo te venia donatum.* Tandem in Euchol. Goarii legitur pag. 678.: *Inſuper ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis &c.* Et infra: *Ego vero condono tibi omnia peccata tua*, quæ forma Latinæ ſimilis eſt.

Proferunt IV. teſtimonium Arcudii l. 4. Concord. c. 3., ſed ibi Arcudius formam deprecativam rejicit, ex quo forma pœnitentiæ debeat eſſe judicialis. Ait 2. aliquas preces Euchologii æquivalere formæ latinorum. Profert 3. ex Gabriele Philadelpho hanc formulam: *Gratia ſpiritus ſancti per meam humilitatem habent te venia donatum, & abſolutum.* Addit 4. a Græcis nonnullis adhiberi tantum preces, ſed hos eſſe degeneres ab inſtitutis majorum. Hæc

Arcu-

Arcudius. Cui addimus ritus Ecclesiæ Græcæ Latine redditos a Fhelavio, ubi c. 22. hæc formula habetur: *Ex potestate, quam Christus Apostolis concessit, ... quamque ego ab Episcopo meo nactus sum, absolveris & criminum purus pronunciaris a Patre, Filio & Spiritu S.*

Proferunt V. Instructionem Clem. VIII. ann. 1595. qua Græci jubentur uti *forma in Concilio Florent. præscripta, & postea illa deprecativa, quam pro forma absolutionis dicere tantum consuevere:* unde inferunt nunquam apud Græcos obtinuisse formam *indicativam.* Sed R. Card. de Lugo, ideo Græcis præscriptam formulam Florentini Conc., quia *deprecativa*, qua utebantur, valida non censebatur, alias novam non indixisset Conc. Deinde non sequitur, ex quo Græci, quos Clem. VIII. instruxit, sola deprecatione uterentur, idem præstitisse Græcos omnes; nam in pluribus Græcis formis habetur sententia judicialis expressa forma indicativa. Prob. II. pars. I. Ex quo latinam formam tantum probarint Concilia & Rom. Pontifices. II. Quia ex Tridentino absolutio Sacramentalis est actus judicialis, deprecatio autem est supplicantis officium. III. Sacerdos absolutioni præmittens ea verba: *D. N. J. C. te absolvat*, non absolvit; nam ex Tridentino ad formæ essentiam non spectant; alias frustra adderet; *Ego te absolvo.*

IV. De validitate formæ indicativæ nemo dubitat, ut de forma deprecativa; ergo in re sacramentaria certa incertis præponi debent. V. Forma *indicativa* aptior est revincendis hæreticis: nam *solvere* non est idem ac *solutum ostendere*, ut notat Estius. VI. in aliis Sacramentis usurpatur forma *indicativa;* ergo a fortiori in pœnitentia, quæ est actus judicialis. Ex quibus constat, Romanam Ecclesiam præscribere formam absolutionis indicativam, & hanc optimam esse, & inviolate servandam. Num vero ab Apostolorum ævo ad hæc tempora

ex deprecatoria evaſerit indicativa, non eſt ita exploratum, ut plures exiſtimant.

Propositio II. Sacerdos per abſolutionis formam non declarat eſſe remiſſa a Deo, ſed vere peccata dimittit.

Ita Trid. Syn. ſeſſ. 14. c. 9. *Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata, anathema ſit.* Et prob. I. ex Evangelio. Chriſtus enim dicens Apoſtolis: *Accipite &c.* & *Quorum remiſeritis &c.* contulit eis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ſicut PP. tradidere: ſed exercere poteſtatem, & peccata dimittere eſt aliquid, præter veniæ enunciationem; ergo &c. II. Chriſtus ait ibidem: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ideſt cum eadem poteſtate; ſed Chriſtus vere peccata dimiſit, dum ait mulieri: *Remittuntur tibi peccata;* ergo &c. III. In ſolutione Lazari, juſſu Chriſti a diſcipulis facta, ſignificata eſt abſolutio ſacerdotalis, ſed Apoſtoli non pronunciarunt Lazarum eſſe ſolutum a Domino, ſed ipſi vere ſolverunt; ergo &c.

IV. Chryſoſtomus præfert ſacerdotes novæ legis Leviticis, quod iſti explorabant lepram corporis, illi lepram animæ *procul arcent.* V. Auguſtinus, Leo M. &c. ajunt, *claves datas Eccleſiæ, & fruſtrare Evangelium*, qui putant ſola interna reſipiſcentia deleri culpam: addit, probari in cælis, *quod a ſacerdotibus judicatur in terra &c.* ſed hæc falſa eſſent in adverſar. ſententia; ergo &c. Vid. c. 1. VI. Accedit ratio I. ex forma pœnitentiæ: dicitur enim: *Abſolvo te*, non *Declaro &c.* II. Ex efficacia Sacramentorum, quæ gratiam per ſe conferunt ex dictis l. 30. III. ex poteſtate *clavium* ſolis ſacerdotibus facta, cum declaratio a quovis laico fieri poſſit. IV. Novatores poteſtatem clavium ita deprimunt, ut nihil valere aſſerant apud Deum, ſed hoc adverſatur Matth. 16. *Tibi dabo claves, . . . quodcumque ligaveris &c.;* ergo &c.

Op,

Op. I. Sacerdos ligans non ſtringit peccati vinculo, nec damnat, ſed tantum declarat; ergo &c. II. Peccator a ſacerdote ſolvendus incertus & anceps erit, an ſit revera ſolutus; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Falſum eſt enim poteſtatem ligandi eſſe nudum declarantis officium, nam per abſolutionem vere peccata remittuntur, & per negationem abſolutionis vere permanet nexus peccatorum. Ubi notat Virveſius Philip. 9. non dixiſſe Chriſtum: *Quos damnaveritis erunt damnati &c.* ſed: *Quorum retinueritis &c.* retentio autem non eſt damnatio, ſed eſt judicium, quo peccator pronunciatur indignus abſolutione. Ad II. neg. conſ. Non enim admittimus jactatam ab hæreticis fiduciam, firmiſſimamque juſtitiæ perſuaſionem, quam cap. ult. l. 9. refutavimus, licet ſpem, quæ nititur Chriſti meritis neceſſariam exiſtimemus. Deinde, ut ratiocinatur S. P. A. ſer. 351. de Pœn. *Quis certus eſt quod Imperator ignoſcat? & tamen maria tranſmeantur, ut mors evitetur . . . Certiores ſunt claves Eccleſiæ, quam corda regum, quibus quodcumque in terra ſolvitur, etiam in cælo ſolutum promittitur.*

Propositio III. Videntur ſolum verba: *Abſolvo te* ad formæ eſſentiam ſpectare.

Prob. Nam pronomen *ego* in verbo *abſolvo* continetur, ut de forma baptiſmi dictum eſt l. 31. Deeſt etiam in forma confirmationis. At pronomen *te* vel ei æquivalens ad eſſentiam ſpectat, nam eo ſublato oratio non eſt demonſtrativa, ex Navarro, Soto, Suarez, de Lugo, Sylvio &c. ergo &c. Cenſet tamen de Lugo ſufficere, ſi dicatur: *Abſolvo a peccatis tuis*, cum ea verba æquivaleant iſtis: *Remitto peccata tua*, quod non probo, cum eadem peccata poſſint eſſe alterius complicis, nec ea forma ſignificetur, cui peccata dimittantur. Verba autem: *A peccatis tuis*, non ſunt eſſentialia, cum ex præmiſſa confeſſione ſatis conſtet pœnitentem abſolvi a culpis, de quibus cauſa peragitur. Ita cum ju-

dex reum absolvit a culpa *absolute*, satis constat eum absolvere ab ea, cujus postulatus fuerat reus. Merito ergo a Ledesma, Sylvio, & Suaresio confutatur Vasquesius oppositum docens. Fallitur etiam Durandus, qui censuit verba: *In nomine &c.* non secus ac in baptismi forma essentialia esse: nam baptismus est quædam fidei professio, pœnitentia autem est judicialis remissio, qua fideles reconciliantur. Adde traditionem, quæ hoc docet de baptismo, non de pœnitentia.

Nota I. Licet preces formæ præmissæ: *D. N. J. C. te absolvat &c.* ad ritum spectent, non ad formæ substantiam, non sunt tamen omittendæ; nisi urgente gravi necessitate. Possunt tamen ex Rituali Roman. omitti: *Misereatur &c.* & *Passio D. N. J. C. &c.* in confessionibus frequentioribus, & brevioribus. II. Cavendum etiam, ne pro lubitu immutentur verba, quæ ipsam formam constituunt: unde merito in castigatis Ritualibus expuncta sunt a consueta forma: *Absolvo te a peccatis tuis*, tria illa vocabula: *Contritis, confessis, & oblitis.* III. Cum constet ex iis, quæ diximus l. 30. de intentione ministri, non esse in ipsius potestate suspendere, nullumque reddere Sacramentum, vel ejus effectum, si materiam, formam, & intentionem adhibeat, hinc sequitur, quod sacerdos, dum a pœnitente conditio aliqua impleri debet, puta, si rem ablatam restituat, non debet eam in forma absolutionis exprimere; sed eam tantum præcipere: & si pœnitens veraciter promittat, se obtemperaturum, debet illum absque conditione absolvere, ut docet Card. Toletus. V. Absolutio impendi non debet infantibus ante rationis usum missis a parentibus ut confiteri assuescant, nec iis, in quibus nulla apparent signa contritionis. Nec unquam in eadem confessione absolutio est iteranda.

CAPUT

CAPUT VIII.

De iis, quibus danda est, vel deneganda absolutio.

Absolutionem iis denegandam, qui vincibili ignorantia laborant mysteriorum fidei, aut pravi animi præbent indicia, cap. 3. dictum est. Jam vero ad peculiares quæstiones ex principiis illis generalibus descendentes, sequentia subjicimus.

PROPOSITIO I. Inolita peccandi consuetudine implicati non sunt absolvendi, nisi in mortis periculo.

Prob. I. Ex S. Carolo in tract. de Pœn. §. *Quando absolutio sit differenda*, ait præter eos, qui in otio, luxu, crapula, inhonestis amoribus, turpiloquiis, detractionibus, odiisque versantur, & confessionem differunt ad ultimos Quadragesimæ dies: *Idem faciendum cum iis, qui cum multos annos in peccatis suis perdurant, nulla adhibita opera in emendationem vitæ, in eadem peccata iterum, atque iterum labuntur.* Et S. Franc. Salesius Instr. Confess. c. 6. ait: *Concubinarii, adulteri, ebriosi absolvi non debent, nisi summum faciant propositum non solum peccata sua relinquendi, verum etiam occasiones eorum*, quod intellige de iis, qui consuetudinem assumpsere. Innocentius XI. proscripsit anno 1679. Prop. 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi non est neganda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

IV. Idem docent PP. Ambrosius in Ps. 118. de veteri vulnere ait: *Aut sectione, aut adustione curari*, quod sacerdotibus inculcans ait: *Consideremus ne deteriorem faciamus, cujus miseremur injuste.* S. P. A. Tr. 49. in Jo. ait: *Quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit*, Fulg. l. 1. de Remiss. pecc. *Numquam diluunt gemendo peccatum, qui non desinunt peccare post gemitum.* Consentit Greg. M. Isidorus, aliique: imo etiam ethnici Aristoteles, Horatius, Juvenalis, Ovidius, Martialis &c. docentes, consuetudinis vim summam esse, & vim habere naturæ. Hinc sequitur ea, quæ ex

ex consuetudine fiunt, cum majori fiant propensione, quasi in naturam cupidine commutata, non posse excusari ex inadvertentia, quæ, cum sit voluntaria, culpa non vocat: imo majorem habet ex concupiscentia malitiam. Hinc de ea consuetudine ait Apostolus: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ;* errant proinde qui putant ex ea posse gravitatem criminis excusari.

Propositio II. Nec sunt absolvendi, qui nolunt proxime peccandi occasionem deserere.

Prob. I. ex cit. loco Salesii, necnon ex D. Carolo, qui subdit: *Nec eos absolvat, qui etiam occasiones vitare non proponunt.* Et Innoc. XI. damnavit hanc propositionem n. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere*, una cum duabus aliis, in quibus dicitur, licitum esse occasionem quærere, si adsit causa utilis, & honesta. II. Ambrosius l. 2. de Pœn. in lapide, quem Christus jussit e Lazari sepulcro amovendum, agnovit peccatorum occasiones & incitamenta. III. Accedit ratio: qui enim occasiones vitare nolunt, satis ostendunt, se non habere propositum emendationis, ut hom. 15. ad Pop. Ant. ostendit Chrysostomus, vide Merbesium, Vanroy, Pontas, Concina, aliosque apud Auctorem.

Nota. Cum ergo tales peccatores ad confessarium accedunt, caveat, ne aut nimia illos facilitate (quæ ex D. Th. de Villan. Conc. f. 6. post Dom. 4. Quadr. *Ecclesiam Domini perdit*) solutos dimittat, aut nimia austeritate deterreat: *Volo reus veniam speret*, ait S. Ambros. l. 1. de Pœn. c. 16. *petat eam lacrymis, & cum secundo, & tertio fuerit dilata ejus communio, fletus augeat, teneat pedes brachiis, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus: Remissa sunt ei peccata multa &c.* quæ sane de peccatis occultis profert S. D. ut advers. Dallæum notant Maurini tom. 2. p. 413. Non tunt tamen laudandi difficiles quidam, & asperrimi confessarii, ut enim ait S. Thom.

Thom. de Villanova loco cit. *Vera caritas onuſtis peccatoribus non indignatur, ſed miſeretur potius, non irritatur, non exardeſcit, non linguæ verbera lapſis ſub onere addit, ſed infirmitati condolens fratris neceſſitati ſuccurrit.* Et S. Ambroſius ib. c. 17. exemplo Pauli producto 2. Cor. 2. ait: *Moralis Magiſter noſtræ fragilitatis conſcius, vult donari peccatum, vult conſolationem adhiberi, ne triſtitia pœnitentem tædio longæ dilationis abſorbeat;* ergo cavenda eſt nimia facilitas, & nimia auſteritas: *Ne improbi homines noſtram laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem.* Ita Rom. Clerus inter ep. Cypr. 31.

Hinc patet, denegandam abſolutionem iis, qui in eadem ſcelera ſæpe prolapſi negligunt adhibere opportuna remedia, & proximas occaſiones vitare: *In iis enim aut ſimilibus impedimentis*, ait D. Carolus loc. cit. *confeſſarius pœnitentem abſolvere non debet, niſi prius illam ipſam occaſionem prorſus abſcindat.* In aliis vero, quæ non per ſe, ſed ex pravo habitu in peccatum inducunt, ut in frequenti fœminarum colloquio, in choreis &c. ei, qui ſæpe cadit, abſolutio differenda eſt, uſque dum ſigna emendationis appareant. Secus ſi adhibeat opportuna remedia, ſi conetur vitiorum radices evellere, ſi non ita frequenter cadat ut antea, aut gravitate peccati, quam ignorabat, cognita exhorreſcit, dolet, & firmiſſime pollicetur non ultra peccaturum. Humaniter etiam excipiendi, qui ſunt in occaſione proxima, quam nullo modo amovere poſſunt. Tandem quoties abſolutio differri debet, præſcribenda eſt repetita contritio, & caritatis actuum exercitatio, ut, ſi forte ſuperveniat repentinus carnis interitus, anima ſacerdotum incuria non pereat.

PROPOSITIO III. Nulli, quamvis perditiſſimo, reconciliationem petenti in mortis articulo neganda eſt, licet poſtea loquela & ſenſu deſtituatur.

Prob. I. Pars. I. Ex can. 13. Nicænæ Synodi, ubi legitur: *Cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communio-*

munionis gratiam tribui; episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. Sed si Euchariſtia cuilibet peccatori annuente episcopo tribui poteſt, multo magis concedi debet abſolutio, & Sacramentum prorſus neceſſarium ad ſalutem; ergo &c. II. Cauſa 26. q. 6. n. 12. habetur: *Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum. Vera enim confeſſio ultimo tempore eſſe poteſt &c.* Et Trid. ſeſſ. 14. c. 7. ait: *Ne aliquis pereat, pie in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt;* ergo &c.

II. Idem tradidere Romani Pontifices. Nam Cæleſtinus I. in ep. ad epiſ. Viennen. & Narbonen. ait: *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari. Quid hoc rogo aliud eſt, quam morienti mortem addere?* Leo M. in ep. ad Theodor. epiſc. ait: *His autem, qui in tempore neceſſitatis præſidium reconciliationis implorant, nec eſt deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire.* Clem. V. l. 5. Clem. tit. 9. de Pœn. & remiſſ. c. 1. damnat abuſum denegandi Pœnitentiæ Sacramentum ultimo ſupplicio afficiendis, ut damnabilem, & ſtatutis canonicis adolendum. Ex quibus conſtat, ſequendam non eſſe quarundam Eccleſiarum ſeveriorem diſciplinam, quam Romana Eccleſia ut Dei miſericordiæ contumelioſam improbavit: ut in Notificatione edita anno 1733. pluribus demonſtravit Benedictus XIV. III. Accedit ratio: nam pœnitentia neceſſaria eſt ad ſalutem, & urget in vitæ periculo; ergo &c.

Prob. II. pars ex 12. can. Conc. Africani apud Ivonem, ubi legitur: *Ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſint, & voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum.* Idem legitur in Conc. Tolet. XI. c. 12. & q. 6. n. 7. *Subito obmuteſcens pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum habet, aut præſentis in ſuo nutu.*

Idip-

Idipſum extat in excerpto Greg. III. & in cap. *Is qui pœnitentiam.* Et S. Leo ep. cit. ait: *Teſtimonia circumſtantium prodeſſe debebunt*, pœnitentibus, *ſi ita aliqua ægritudine aggravati ſunt, ut quod paulo ante poſcebant, ſignificare non valeant.*

Propositio IV. De viro probo, repentino morbo correpto, nullo dato pœnitentiæ ſigno non conveniunt Theologi, quibuſdam affirmantibus abſolvendum eſſe, negantibus aliis; abſolvendus eſt ergo ſub conditione.

Prob. Huic enim denegandam abſolutionem cenſet, fatente Morino, theologorum *pars magna*: nempe Card. de Lugo, Suarez, Vaſquez, Henriquez, Turrianus, Soto, Sylvius, & auctor Theologiæ Petrocoren. Cujus ſententiæ præcipuum momentum eſt, quod in eo caſu nulla habeatur *materia ſufficiens* ad Sacramentum. Nec diluit hoc argumentum, qui cum Morino ait, Tridentinum actus pœnitentis appellaſſe *quaſi materiam*: nec deeſſe, qui cum Scoto negent pœnitentis actus eſſe materiam eſſentialem hujus Sacramenti, tandem ampliorem eſſe teſtificationem vitam præcedentem ægroti irreprehenſibiliter traductam, quam teſtimonium aſſerentium eum dediſſe pœnitentiæ ſigna; non diluit inquam, licet enim actus pœnitentis dicantur *quaſi materia*, neceſſe eſt tamen, ut ſigno aliquo reddantur ſenſibiles, ut patet in matrimonio, cujus aſſenſum conjuges debent exprimere.

Fruſtra etiam confugiunt ad Scoti ſententiam, quam ut Florent. & Trident. Syn. oppoſitam rejiciunt, a quibus actus pœnitentis dicuntur *quaſi materia.* Nec Scotus negat ad Sacramentum requiri pœnitentis actus, ſed eos vocat materiam, *circa quam*, non vero *eſſentialem.* Tandem vita irreprehenſibilis indifferens eſt, nec ad claves Eccleſiæ ordinata. Niſi ergo conſtet, moribundum elicuiſſe contritionis actus, & confeſſarium petiiſſe, non ſufficit ad abſolutionem impetrandam. Adde, veteres canones apponere has conditiones. *Si volunta-*

luntatis præteritæ teſtimonium habeat, ſi qui audierunt ipſius deſiderium ſignificent. Nam canon. 2. Tolet. XII. *excommunicationi unius anni ſubjicit ſacerdotem, qui non ſentienti, neque petenti pœnitentiam dederit, neque manuum indiciis, vel aliis ſignificationibus invitatum fuiſſe probaverit.*

Et Concil. Treviren. apud Martene tom. 2. Anecd. p. 271. ſtatuit indiſcriminatim, nullum eſſe abſolvendum, niſi ſacerdotem petierit, & aliqua ſigna oſtenderit pœnitentiæ: idque præſcribit in Rituali Rom. Paulus V. Merito ergo Facultas Pariſien. ann. 1665. damnavit propoſitionem Guimenii: *Infirmus, qui amiſit loquelam, vel uſum rationis, ſi bene vivebat, & frequentabat confeſſionem, & communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, debet præſupponi contritus: & faciente aliquo confeſſionem generalem pro eo, ſacerdos faciat abſolutionem ab omni peccato:* quæ verba de ſolis viris probis Guimenius protulit, ut notum eſt, non de omnibus indiſcriminatim, ut quidam opinantur.

Nec S. Facultatis judicium præpoſterum cum Morino dicendum eſt, niſi velimus eadem cenſura notare Theologorum *partem magnam*, quos ſupra laudavimus. Ex adverſo virum probum abſolvendum cenſent, præter Molfeſium, Homobonum, & Antonium de Literatis, qui paulo ante ſoli laudabantur pro hac ſententia, poſtquam prodiere Morini commentaria & ſumma Merbeſii, qui eam ampliori argumentorum copia exornarunt, in eam deſcenderunt viri cl. Gummarus Huigens, Alexander Nat. Genettus, Vanroy, Concina, aliique, qui tamen iis, quos ſupra laudavimus, longe minores ſunt numero & ætate, inter quos Merbeſius immerito pro ſe laudat Coninkium, & Suareſium, qui ſibi aperte adverſantur. Genettus quoque ab aliis diſtat, nam cum alii in hoc caſu adhibendam cenſeant formam conditionalem, ille conſtanter id negat. Quis autem in re tam dubia for-

formam ſacramentalem abſolute proferret? Verum quidquid ſit de Theologorum conſenſu.

Nituntur ipſi I. *Sacerdotali Romano*, ubi apertiſſime eorum ſententia traditur. Necnon c. 21. Statut. Synodi Lemovicen. & abſolutioni, quam Clem. VIII. dedit operario ruenti ex alto Vaticani ædificio. Addunt memoriale Bononienſe editum an. 1623. Sed hæc nequeunt cum præcedentis ſententiæ momentis comparari. Nam Sacerdotale Romanum non ſemel fuit emendatum, adeoque *approbatio ſummorum Pontificum*, quam in titulo gerit, qua de re plurimum Merbeſius exultat, convenit ſacris ritibus, non adnotationibus Alberti de Caſtello, qui hunc librum fertur conſarcinaſſe. Quod narrant de Clem. VIII. fabulam eſſe ex plurium teſtimonio demonſtrat Card. de Lugo. In memoriali Bononien. additur: *Si tamen aliquis teſtetur eum oſtendiſſe confitendi deſiderium*, & in eo præcipitur tenendum eſſe, quod tradit Rituale Pauli V.

Nituntur II. Auguſtino, qui l. 1. de adult. Conjugiis c. 26. ait, catechumenos morbo oppreſſos baptizandos eſſe: *Quia ipſorum in fide Chriſtianæ voluntas jam nota eſt*, addit ſatius eſſe nolenti dare, quam volenti negare, *etiamſi voluntas ejus incerta ſit*. Et ita concludit: *Quæ autem baptiſmi, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem vitæ periculum præoccupaverit*. Sed ex his conſtat Auguſtinum loqui de catechumenis, & pœnitentibus, qui conſiſtebant in *ſubſtratione*, *& quorum*, *ſi incerta erat voluntas* actualis, nec poterat manifeſtari, hujus tamen ſigna præceſſerant, cum illi inter catechumenos, iſti inter pœnitentes adſcripti ſunt, alias abſolvi poſſent, quod abſurdum eſt, qui nullo dato pœnitentiæ ſigno *retinent adulterina conſortia*, quos ibi baptizandos aſſerit Aug. Idem dicendum de catechumeno Æthiope apud Fulgentium in ep. ad Ferrand. *qui ſine voce*, *ſine ſenſu nihil valebat reſpondere*. Adde illum Æthiopem Symbolum

Apo-

Apoſtolicum pronunciaſſe, & ſubito morbo fuiſſe invaſum, *dum futuro baptiſmati parabatur.*

Nituntur III. ratione: nam ad abſolutionem ſufficiunt nutus, & teſtes, ſed his prævalet laudabilis vita, qua fit ut vix credibile videatur eum, qui ſæpe, & lubens, & ſanus ſumebat Sacramenta, id etiam non expetere in ſummo vitæ diſcrimine. Sed hæc ratio ex dictis refellitur. Qua de re ingenue fatendum eſt, primam ſententiam argumentorum pondere alteri præferendam; cum tamen ſecunda probetur etiam a vir. cl. nec deſtituatur omnino auctoritate, & ratione, dicimus huic moribundo impendendam abſolutionem conditionatam his verbis: *Si es capax &c.*, quæ a ſæc. XII. probata eſt ab Alex. III. & Clem. VIII. cum pœnitentiæ Sacramentum, præſertim in mortis articulo, ſit maxime neceſſarium.

CAPUT IX.

De quæſtionibus nonnullis ad veterem diſciplinam ſpectantibus.

De veteri Eccleſiæ diſciplina circa abſolutionem lapſis concedendam, non una eſt eruditorum ſententia. Petavius tria diſtinguit tempora: I. ab Apoſtolis usque ad ætatem Tertulliani, in quo gravioribus criminibus apoſtaſiæ, homicidio, mœchiæ &c. venia denegabatur: quæ ſeverior diſciplina, quoad mœchiam, fuit relaxata. II. quo nulli pax denegabatur, ſi lapſi, dum ſani erant, pœnitentiam petiiſſent, ſecus ſi ad mortem diſtuliſſent. III. cum impetrata Eccleſiæ libertate, & priſtinæ diſciplinæ ſeveritate remiſſa, lapſis omnibus indiſcriminatim reſipiſcentibus conceſſa eſt reconciliatio, & communio. Idem tenet Albaſpinæus, & Lupus, qui tamen ſeveriorem illam diſciplinam, qua mœchis, apoſtatis &c. negabatur abſolutio, poſt tempora Apoſtolorum inductam opinatur. Quoad mœchiam latum ait a Zephirino decretum, ut poſſet remitti. A Cornelio deinde ac Cypriano datam

datam pacem etiam idololatris, & homicidis. Idem tradunt Menardus, Martene, Tournely, Vitaſſe &c.

Afficiendis ſupplicio denegatam aliquando abſolutionem teſtatur Morinus, qui etiam putat, Romanam, Carthaginen. & omnes Orientales Eccleſias cuilibet crimini veniam indulſiſſe: idem oſtendit expolita diſſertatione Eminentiſs. Joſeph Auguſt. Orſi O. P. His prænotatis ſit

Propositio I. Ab Apoſtolorum tempore usque ad Tertullianum omnibus peccatis venia conceſſa eſt.

Prob. I. ex Apoſtolo, qui 2. Cor. 2. hortatur Eccleſiam Corinthi, ut inceſtuoſum excommunicatum conſolentur, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur, eique pacem & communionem donent, ut PP. & interpretes hunc locum exponunt. II. Jo. Apocal. c. 2. Thyatirenos fornicarios ad pœnitentiam hortatur, ſcribens, hæc crimina a Deo ſacerdotum miniſterio dimitti, ut oſtendunt S. Pacianus, & Hieronymus l. 33. c. 3. laudati. III. Narrat etiam Euſebius l. 3. H. E. c. 23. S. Jo. Apoſtolum conſcenſo equo latronem ſequutum, qui cædibus omnes vincebat, eique non ſolum veniam dediſſe, ſed ejus dexteram exoſculatum fuiſſe. IV. Mulieres a Marco vitiatas in pœnitentiam ſuſceptas cap. I. vidimus ex Irenæo: alia etiam exempla proferunt Morinus, Martenius, Vitaſſe &c. V. Tertullianus de Pœn. c. 7. productis variis gravioribus criminibus Epheſiorum, Thyatirenorum, Sardorum, Pergamenorum, & Laodicenorum, quos S. Jo. Apoſtolus in Apoc. objurgat, ſubdit: *Et tamen omnes ad pœnitentiam commonet ſub comminationibus. Non comminaretur autem non pœnitenti, ſi non ignoſceret pœnitenti.* VI. Conſtat ex Prop. IV. cap. præc. nulli in vitæ exitu negatam pacem, & neceſſarium viaticum; ergo &c.

Propositio II. Quidam Tertulliani ævo mœchis abſolutionem negabant, ſed non ex communi

Eccle-

Ecclesiæ consuetudine, quam nec Tertullianus recenset, unde injuria de mendacio accusatur.

Prob. I. pars ex Tertull. l. de Pud. c. 1. ubi vellicans Zephirini decretum, quo *Pontifex maximus edicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*, clamat: *O edictum, cui adscribi non poterit, bonum factum;* illi ergo queis Tertullianus adhæsit, negarunt mœchis reconciliationem. II. Idem testatur S. Cyprianus ep. 52. ad Antonianum dicens: *Quidam de episcopis in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt.* Prob. II. pars. Nam Zephirini decretum *in Ecclesiæ legi, & pronunciari* ait Tertull. ibid. Unde adversariorum sententiam pluribus refellere nititur. Cyprianus etiam ib. asserit in eadem provincia plures extitisse, qui pacem dabant adulteris, imo crudelitatis redarguit eos, qui pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt; ergo &c. Prob. III. pars. Accusatur enim de mendacio Tertullianus, eo quod l. de Pud. c. 12. scribat: *Neque idololatriæ, neque sanguini pacem ab Ecclesiis reddi.* At Ecclesiarum nomine non Catholicas accipit, sed Montanistas, in quorum castris tunc militabat; ergo &c.

Propositio III. Zephyrini decreto non relaxatus est rigor circa mœchiam, sed repressa est durior disciplina Tertulliani ævo inducta.

Prob. I. Zephyrinus enim, ex ipso Tertulliano, solum edixit: *Ut pœnitentia functis dimitterentur mœchiæ & fornicationis delicta*, sed hæc fuit antiqua Ecclesiæ disciplina ex dictis; ergo &c. II. Non debuit Tertull. in Zephyrino damnare, quod in Africa plures episcopi servabant, qui mœchis pacem dabant, ut ex Cypriano monstratum est; ergo &c. III. Cyprianus, aliique putarunt nimis durum mœchis pœnitentibus pacem negare, ergo Zephyrinus relaxavit duritiem aliquorum, non antiquam Ecclesiæ disciplinam. IV. Nil mirum Tertullianum Montanistis addictum Zephyrinum, qui Mon-

Montanum & Proclum damnaverat, ejusque edictum Montaniſtis odioſum laceraſſe. Errant proinde Novatores, qui Zephyrinum Donatiſtis adnumerant, cum ipſe Cataphrygas omnes, & ipſum Tertullianum damnaverit, & fuerit apertiſſimus hoſtis Montaniſtarum, qui lapſis pœnitentiam negabant.

Propositio IV. Recte ſe geſſit Cyprianus lapſis pœnitentibus veniam indulgens, qui nec lapſis, neque *Sacrificatis* negavit in exitu vitæ reconciliationem.

Prob. I. pars. Demonſtrat enim S. Cypr. in ep. ad Antonianum ex ſacris literis Deum omnibus pœnitentibus veniam polliceri: debere epiſcopos largam Dei pietatem imitari: obſtinationem eſſe indicere pœnitentiam, & nolle pacem concedere. Addit, a ſe ſolis impœnitentibus eam denegari, & iis, quos ad veniam rogandam, *non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit.* Deinde ſecutus eſt S. Martyr S. Cornelium, qui Trophinum, & magnum *thurificatorum* numerum redeuntem ad Eccleſiam ad communionem admiſit, & Africani Concilii ſententiam, in quo ſtatutum fuit, ut *Libellaticis* pax, *Sacrificatis* vero pœnitentia daretur, ut conſtat ex ep. 54. ad Corn. ergo recte ſe geſſit. Neque putandum eſt S. Cypr. priſtinæ diſciplinæ rigorem relaxaviſſe, tum quia Apoſtolorum ævo nulli pœnitentium pax negabatur, tum quia Zephyrinum ſecutus eſt, ſuosque anteceſſores, & exempla Rom. Eccleſiæ; ergo &c.

Prob. II. pars. Conſtat enim ex cit. ep. ad Anton. S. Cyprianum commendare S. Cornelium, qui Trophimum, ac plurimos apoſtatas recepit: oſtendens non communicare apoſtatis, qui ipſis periclitantibus ſuccurrit. Diſcrimen tamen eſſe inter *Libellaticos* (qui nempe ut ſe & ſua a perſecutione ſubtraherent, etiam *libellis* ſe ſacrificaſſe, aut thurificaturos profitebantur) & *Sacrificatos*, qui reapſe ad impium ſacrificium acceſſerant. Ac illis qui-

dem dandam esse pacem, his vero pœnitentiam, & in exitu reconciliationem donandam asseruit. Idem statuerant PP. Concilii Afric. ex Cypr. epist. 54. ubi legitur: *Statueramus quidem, ut qui in persecutionis infestatione sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent.* Verum excitata iterum persecutione statim lapsis dare pacem decreverunt, ut fideles ad prælium, quod imminebat, instruerentur: ut legitur in ep. 54. ad Antonianum, ubi Cyprianus *non sine librata ratione a se factum esse* demonstrat, *quod Evangelicum vigorem primum defenderit, postmodum his, qui nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putaverit*: qua de re nonnihil commotus visus fuerat Antonianus. Non debuit ergo Albaspinæus, & Gothofredus opponere Cypriano severitatem disciplinæ, in qua potius rigorem justa de causa remisit. Nec obstat Cyprianum pag. 158. circa finem illius Epistolæ scripsisse: *Apostatæ vero, & desertores, nec si occisi foris fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem, quando nec Ecclesiæ tenuerunt unitatem.* Constat enim ex præmissis, hæc dici de iis, qui in schismate Felicissimi separati ab Ecclesiæ unitate trucidabantur, quibus sane nihil profuit martyrium: ut docent Patres, & Cyprianus l. de Unitate Ecclesiæ.

Propositio V. Cyprianus immerito accusatur de laxata disciplina, pro cujus æquitate strenue pugnavit.

Prob. I. pars. I. Accusatur enim Cyprianus, quod in ep. 55. pag. 184. ait: *Vix plebi persuadeo, imo extorqueo, ut tales patiantur admitti*, sed ibi non agit S. Martyr de *Sacrificatis*, & desertoribus, quos de consilio Coepiscoporum statuerat ad pœnitentiam admittere, ut asserit in ep. præc. 54. ad Corn. sed de revertentibus a schismate Felicissimi cum pravitate, & contumacia, ait enim: *O si posses, frater carissime, istic interesse, cum pravi isti de schismate*

mate revertuntur, videres quis mihi labor ſit perſuadere patientiam fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito recipiendis malis conſentiam. Namque ut gaudent cum tolerabiles redeunt, ita fremunt, quoties inemendabiles, & ſuperbi ſic ad Eccleſiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi perſuadeo &c. *Et juſtior factus eſt dolor ex eo, quod unus, atque alius, obnitente plebe, mea facilitate ſuſcepti pejores extiterunt;* ergo in recipiendis deſertoribus nec facilitate Cyprianus uſus eſt, nec habuit plebem reluctantem, ſed tantum in admittendis ſchiſmaticis, una aut altera vice faciliorem ſe fuiſſe fatetur. Deinde S. Cyprianus admittens deſertores ſecutus eſt Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem; ergo &c.

Prob. II. pars. I. enim nonniſi pœnitentia functis abſolutionem conceſſit, excepto mortis articulo, & urgente perſecutione, ut protectione corporis Chriſti muniti alacrius martyrium ſubirent, ex Ep. 54. ad Cornelium. II. Cum *Libellatici* æquari non deberent *Sacrificatis*, quia etſi conſcientia polluti, manus tamen & os ab immolatione, & cibo nefando abſtinuerant, cenſuit Cyprianus *Libellaticis* contritis & flentibus dare pacem, ne ob duritiam in ſchiſma raperentur; *Sacrificatis* vero pœnitentiam, & in gravi morbo etiam pacem: ut part. 2. propoſ. 4. dictum eſt. III. Lapſis redeuntibus cum libellis martyrum pro eorum pace ſupplicantium partem aliquam canonicæ pœnitentiæ relaxabat; noluit tamen pacem largiri, niſi ſtuderent Deum ſatisfactione placare: quia, inquit, *facilitas veniæ non concedit pacem, ſed tollit.* IV. S. Martyr audiens lapſos nonnullos literas martyrum impudenter quærere, ne pœnitentiam ſubirent, Martyres graviter hortatur Ep. 10. & 14. *Ut ſollicite & caute lapſorum deſideria ponderarent*, & delictorum genera expenderent. V. In epiſt. 59. ad Fidum objurgat Therapium Ep. Bullenſem, quod *immaturo tempore, anteaquam*

pœnitentiam plenam egiſſet, Victori cuidam pacem dederit; ergo &c.

Propositio VI. Quod ſtatuit Cyprianus, ut nempe ſatisfactio abſolutionem præcederet, aliorum praxi probatur; licet de Sacramenti ſubſtantia non ſit.

Prob. I. Ex Romanis Pontificibus. Extat decretum Zephyrini, de quo Propoſ. 2. *Ego, & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Et Innocentius I. in ep. ad Decentium can. 7. ait: *Sacerdotis eſt jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem.* S. Leo Ep. ad Theodorum ait, ejuſdem eſſe *ſatisfactione purgatos ad communionem Sacr. per januam reconciliationis admittere.* Prob. II. ex Patribus, S. Pacianus in ep. ad Sempr. ſcribit, veniam dandam *magno pondere, poſt multos gemitus, & poſt totius Eccleſiæ preces.* Ambroſius l. 2. de Pœn. c. 9. ait, prius agendam pœnitentiam, deinde tribuendam veniam. Prob. III. Ex praxi Eccleſiæ univerſalis vigente etiam apud Orientales, ſaltem ante ſublatam a Nectario actionem publicæ pœnitentiæ, ut conſtat ex Sozomeno, & ex canone 2. Conc. Toletani, ex Gennadio, ex antiquo Ordine Romano, & ex aliis monumentis apud Nat. Alex. Menardum, Martene &c.

Prob. II. pars ex propoſ. 3. cap. præced. Imo in articulo mortis veniam petentibus imponendam non eſſe laborioſam ſatisfactionem recte monent S. Antoninus, S. Thomas de Villanova & Rituale Romanum. Conſtat etiam ex cit. epiſt. Cypriani, ante exactam pœnitentiam, urgente perſecutione, reconciliatos fuiſſe lapſos, & *Libellaticos*, ne in ſchiſma, aut hæreſim raperentur. Quod probat etiam S. P. l. 3. contra ep. Parm. Aliquando etiam, ut Felici Decimi miniſtro, Victoriæ conjugi, & Lucio, accelerata eſt venia, quod poſt lapſum iterum tentati, & Chriſtum confeſſi, in exilium ſunt deportati. Humanius etiam actum eſt cum iis, qui ad Eccleſiam redeuntes alios etiam reducere curarunt, ut

Tro-

Trophimus, ſed ſi pœnitentia debuiſſet neceſſario abſolutionem præcedere, nulli ex his reconciliatio danda fuiſſet; ergo &c.

Prob. II. Ex cenſuris latis in oppoſitam ſententiam, quam in Petro Oxomenſi proſcripſit juſſu Sixti IV. Alphonſus Carillus Archiep. Tolet. Eundem errorem proſcripſit facultas Pariſienſis, Alexander VIII. & Clem. XI. Prob III. Exemplis mulieris peccatricis, adulteræ, latronis &c. qui ſtatim omnes poſt converſionem a Chriſto in gratiam recepti ſunt; conſtat ergo pœnitentes olim longa pœnitentia detentos, ad explorandam potius illorum converſionem, quam ad explendum definitum, ac neceſſarium tempus abſolutionis. Reapſe in Orientali Eccleſia, poſtquam Nectarius pœnitentiarium ſubſtulit, continuo pœnitentes a culpis abſolvebantur, & pro ſua conſcientia ad communionem accedebant. Simeon Stylita, qui VI. ſæculo floruit, quendam ſceleſtiſſimum, qui dæmoni ſacrificaverat, comperta vehementi ejus contritione, ſtatim abſolvit apud Bolland. die 24. Maji. Idem probavit VII. ſæculo S. Eligius Noviomen. VIII. ſæculo S. Bonifacius Archiep. Mogunt. ſæculo IX. Jonas Aurelian. aliique apud Martene, & Bellelli. Prob. IV. Ratione. Satisfactio enim non *ad eſſentiam*, ſed ad *integritatem* pertinet *Sacramenti*. Dummodo ergo pœnitens illam implere velit, ac promittat, neceſſe non eſt, ut abſolutionem præcedat, ſed ſat eſt, ſi injungatur, & acceptetur. Unde juxta diverſam Eccleſiæ praxim, modo præceſſit, modo abſolutionem ſubſecuta eſt.

Propositio VII. Plura apud Cyprianum, alioſque leguntur de pace aliquando lapſis deneganda in mortis articulo, ſed ea non evertunt eorum ſententiam, qui docent, abſolutionem eo in caſu nulli eſſe denegandam.

Prob. I. pars. Cypr. enim in ep. 12. ait: *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communio-*

munionis & panis, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. II. Concilium Illiber. an. 305. celebratum can. 1. statuit, eum, qui idolis sacrificavit, *nec in finem communionem accipere.* Idem statuit can. 2. de Flaminibus, idest sacerdotibus idolorum, *qui geminaverunt scelera accedente homicidio, vel mœchia.* Et can. 6. de eo, *qui veneficio alterum interfecit.* Et can. 7. de fideli, si *post lapsum mœchiæ accepta pœnitentia denuo fuerit fornicatus.* Et can. 8. de fœminis nulla causa denuo nuptis &c.

III. Conc. Arel. an. 314. can. 2. ait: *De his, qui apostatant, nec pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam, nisi revaluerint, & fecerint fructus dignos pœnitentiæ.* IV. Innocentius I. in ep. ad Exup. cap. 2. de iis, qui voluptatibus dediti omni vitæ tempore, in extremo pœnitentiam simul, & communionis reconciliationem poscunt, ait: *De his consuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio;* ergo &c.

Nec dicas, loca cit. accipienda esse, aut de communione Eucharistica, aut de reconciliatione canonica, per quam restitutum sit jus in societatem, & congregationem fidelium, non vero de absolutione Sacram. I. enim hæc dabatur tantum post pœnitentiam peractam, quam statim consequebatur sumptio Eucharistiæ, teste Morino, Albaspinæo &c. II. S. Cyprianus pacem negabat iis, qui in sola infirmitate eam poscebant, eo quod non exhiberent *dolorem delictorum suorum, nec delicti pœnitentia, sed mortis admonitione* moveantur; sed ubi deest dolor & pœnitentia, tum Eucharistia, tum communio neganda est; ergo &c. III. Innocentius I. ait, datam

datam iis *pœnitentiam*, ſed negatam *communionem*, quam poſtea *remiſſionem* appellat; ergo pœnitentiæ nomine non abſolutionem, ſed *actionem pœnitentiæ* intelligit, quam ſi pœnitentes expleſſent ante mortem, procul dubio ſolutionem impetraſſent. Nam a Cypriano, aliiſque Patribus abſolutio nulli poſt actam pœnitentiam ad differentiam Novatianorum denegabatur. Licet autem ordinaria lege abſolutio nonniſi poſt pœnitentiam completam data fuerit, ut præced. Prop. dictum eſt: aliquando tamen urgente neceſſitate datam fuiſſe ante communionem, & reconciliationem canonicam, adeoque duplicem abſolutionem non eſſe commentitiam ſequentibus momentis oſtenditur.

I. *Reconciliatio pœnitentium*, cujus forma extat in vet. Ritualibus, unde quidam formam abſolutionis *deprecativam* eruere nituntur, non videtur abſolutio Sacram. utc. 7. prop. I. dictum eſt; ergo hæc ab illa eſt diſtincta. II. Canones Illiberitani ſupra laudati dum ajunt, ſceleſtiſſimis peccatoribus, *neque in fine dandam eſſe communionem*, accipi non poſſunt de abſolutione ſacramentali, alias Illiberitani Patres fuiſſent Novatiani, quod dici nequit, cum ex canone 22. conſtet, lapſis in hæreſim ad Eccleſiam redeuntibus pœnitentiam, & communionem concedere, unde Baronius, qui ex can. 37. de cultu Imaginum in ea Synodo plura eſſe ait, quæ prope attingunt fines Novatiani erroris, ad annum 305. judicium ſuum retractavit; exponendi ſunt ergo cum Mendoza Tom. II. Conc. Hiſpan. de Communione Euchariſtica, ſeu de ſocietate fidelium, & participatione orationum; ergo &c.

III. Morinus ipſe l. 6. c. 24. pluribus demonſtrat, apud Græcos ab annis 1200. poſt abſolutionem peccatorum communionem Euchariſticam retardari, impoſita interim longa pœnitentia, eaque completa aliam impendi abſolutionem; idem ergo dici poteſt de Eccleſia Occidentali & de illa ſolemni reconciliatione apud Sozomenum l. 7. c. 16. cujus

ritus extat in Pontificali Romano p. 3. tit. 3. IV. in cap. *Presbyter si fornicationem* statuitur, ut Sacerdos fornicarius 10. annis pœnitentiæ insistat, & tamen ei permittitur, ut *finito primo anno & dimidio corporis Domini particeps fiat;* ergo Sacerdos ille pacem obtinuit, nondum peracto pœnitentiæ cursu, alias non fuisset particeps Eucharistiæ sacramenti.

Idem eruitur ex cap. *De viro nefando* 12. q. 2. Necnon ex Can. 5. 6. & 8. Concilii Ancyr. an. 314. celebrati. Hinc Sylvius colligit, quod, *licet non impenderetur illis pœnitentibus plena, & publica absolutio, qua reciperentur ad oblationem, & conversationem fidelium, dabatur tamen sacramentalis absolutio*, ut possent communicare; qua sententia refellit vir cl. errorem Petri Oxom. ergo &c. Hujus duplicis communionis præsidio facile conciliantur Patrum loca supra laudata. Illi enim negarunt reconciliationem, per quam jus tribuitur in societate fidelium, quo pacis solatio ad terrorem aliorum scelestiores privarunt. Licet enim nemini *in ultima necessitate posito negarent quod petunt*, nempe sacramentalem absolutionem, jure tamen de eorum salute timebant cum Aug. serm. 393. qui ait: *Agens Pœnitentiam ad ultimum & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.* Vel ergo Cyprianus, Innocentius, aliique non loquuntur de absolutione sacramentali, aut de severitate disciplinæ loquuntur, quam cessante persecutione relaxare opus erat; inde ergo non infertur, hos pœnitentes absolvi non posse.

DISSERTATIO III.

De operis satisfactione in Sacramento pœnitentiæ.

Satisfactionis nomine eam compensationem intelligimus, qua homo pro peccatis commissis Deo aliquid persolvit, sive solutionem pœnæ temporalis

lis indictæ a judice ſpirituali ad ſatisfaciendum exercitio bonorum operum injuriæ Deo per peccatum illatæ. Hujus ſatisfactionis neceſſitatem, & modum tum ex parte confeſſarii, tum ex parte pœnitentis hoc loco expendemus: deinde publicæ ſatisfactionis ritum, tandem varios pœnitentiæ effectus, aut fructus.

CAPUT I.

De Sacramentalis ſatisfactionis neceſſitate.

Hanc denegarunt, poſt Audianos, & Manichæos nonnullos, Lutherus, Melanchthon, Kernnitius, Calvinus, Dallæus, qui ex firmiſſima in Chriſtum fiducia, qua noxam omnem & debitum ſibi dimiſſum putant, eo quod ille cumulate pro omnibus ſatisfecerit, aſſerunt, juſtificatis per Chriſtum nullam pœnam eſſe diluendam, nullamque ſatisfactionem a ſacerdote imponendam. Contra quos ſit

Propositio I. Plerumque fit, ut dimiſſa culpa pœnæ temporales luendæ ſuperſint.

Prob. I. ex ſacris literis. Adamo enim, ex Sap. 10. & ex l. 12. c. 14. remiſſum eſt primæ tranſgreſſionis peccatum & tamen in ejus pœnam una cum poſteris innumeris ærumnis ſubjectus fuit: idque non ad exercitium virtutis, ſed *quia comedit de ligno &c.* Exod. 32. v. 14. legitur Dominum, intercedente Moyſe, placatum ſuper Iſrael ob aurei vituli idololatriam. Et tamen ib. v. 34. ait Dominus: *In die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* Num. 12. Maria, pro qua Moyſes Deum deprecatus fuerat, ablegata eſt *ſeptem diebus extra caſtra.* Ibid. c. 14. 20. & 24. Populus obmurmurans, cui Dominus teſtatur ſe dimiſiſſe culpam, Aaron, & Moyſes Deo accepti, excluduntur tamen a terra promiſſa. Et 2. Reg. 12. David cui ait Dominus: *Tranſtulit peccatum tuum*, filiorum morte punitur; ergo &c.

Prob. II. ex PP. Aug. in Pſ. 50.: *Aliquando Deus, cui ignoſcit in futuro ſæculo, corripit eum de peccato in iſto ſæculo. Nam ipſi David, cui dictum fuerat,*

dimissum est peccatum tuum, venerunt, quæ minatus erat Deus propter ipsum peccatum. Et tract. 124. in Jo. *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, productior est enim pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.* Eadem habet de Davide l. 22. contra Faustum. Consentit Ambrosius, Fulgentius, Gregorius M. merito ergo ait Trid. sess. 14. c. 8.: *Falsum omnino esse, culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur.*

Prob. III. ratione producta a PP. Trid. *Decet enim divinam clementiam, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, veluti injurii Spiritui S., in graviora labamur. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi freno coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt;* ergo &c.

Ob. I. In sacris literis duo memorantur suppliciorum genera, primum quod impiis infligitur, de quo David ait: *Domine ne in furore tuo arguas me,* alterum quo Deus exercet amicos juxta illud: *Castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.* Sed illud supponit pervicaciam, non remissionem delicti, hoc autem non punitionem importat, sed meritum; ergo &c. II. Ezech. 18. habetur: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatem ejus non recordabor.* Ps. 131.: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Rom. 8.: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu:* sed hæc falsa essent in hac nostra sententia; ergo &c.

III. S. P. A. l. 2. de Pecc. Mer. c. 34. loquens de pœnis originalis peccati ait, eas esse *post remissionem certamina, exercitationesque justorum.* Et infra ait: *Ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur, atque probaretur.* IV. Chrysostomus hom. 28. exponens illud 1. Corinth. *Si nos dijudicaremus &c.* ait: *Non dixit si castigaremus nos ipsos, sed solum, si vellemus agnoscere peccata, liberaremur ab eo, quod &*

hic

hic & illic eſt, ſupplicio. V. Remota cauſa removetur effectus; ergo culpa remiſſa remitti debet & pœna.

R. ad I. præter illa duo ſuppliciorum genera dari etiam illa, quæ ferri debent ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, & ad vitæ emendationem. Cujus generis ſunt ea, quæ ſupra memoravimus. Hinc S. David etiam dimiſſo peccato, in cinere & jejunio curabat Deo ſatisfacere. Et S. Paulinus cecinit: *Si cinerem rex ille Deo dilectus edebat, & ſua miſcebat pocula cum lacrymis; quid facere heu miſero mihi competit?* Ad II. retorq. argum. Ibi enim legitur: *Si impius egerit pœnitentiam, & fecerit judicium, & juſtitiam* &c. hoc eſt ſi punierit admiſſa, & Deo ſatisfecerit operibus miſericordiæ. R. II. illa verba: *Iniquitatum ejus non recordabor*, deſignant liberationem a morte æterna, ſicut verba: *Vita vivet & non morietur*, ſignificant vitam ſpiritalem.

In Pſ. 31. non imputari dicitur peccatum, quod debito æterno ſupplicio non punitur. Rom. 8. oſtenditur nullum in renatis manere culpæ reatum, aut debitum æternæ *damnationis*, fomitem vero ad agonem relinqui, nec poſſe nocere reluctantibus, quod conſtat ex Trid. ſeſſ. 5. & ex Auguſt. l. 1. ad Bonif. cap. 10. Vid. l. 6. c. 18. & l. 13. c. 5. Ceterum, ſi poſt originale remiſſum renati hujus vitæ miſeriis, & morti corporis ſubjiciuntur, quanto magis pœnæ exigendæ ſunt ab iis, *qui ſemel a peccato liberati, & accepto Spiritus S. dono cum contriſtare non formidarunt?*

Ad III. diſt. ant. Sunt *exercitationes juſtorum debitæ*, conc. indebitæ, neg. Fatemur ergo etiam ea, quæ merito patimur, deſervire *ad exercitationem neceſſariæ patientiæ*, ut ait S. P. A. tr. 124. in Jo, ſed dicimus etiam deſervire *ad demonſtrationem debitæ miſeriæ*, ut ib. loquitur S. D. Ad IV. R. id unum velle Chryſoſtomum, pœnas nempe hujus ſæculi, *magis eſſe admonitionis & curationis, quam punitionis*, quia Deus *hic pœnas exigens, ubi ſupplicium eſt temporale, vult nos a ſempiternis eruere.* Ad V.

V. dist. ant. Removetur effectus cum ea necessario connexus, conc., quicumque, neg. Nam deleto originali peccato remanet mors, & miseriæ.

Propositio II. Potest ac debet sacerdos confessis pœnas satisfactorias injungere.

Prob. I. ex sacris literis. Nam 18. Matth. & Jo. 20. non solum *ad solvendum*, sed etiam *ad ligandum* Christus concessit claves Ecclesiæ; ergo &c. Ita Trid. PP. Theologi, ac PP. quorum fides ostenditur I. auctoritate S. canonum, nam cap. 3. Concilii Carthaginensis *decernuntur pœnitentibus episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora.* In Synod. Laodiceno: *Pro qualitate peccati pœnitentiæ tempus attribuendum statuitur.* Prob. II. ex PP. Nam Basilius in Reg. brev. ait: *Pro qualitate delicti tempus pœnitentiæ impendatur. Hoc sit judicio eorum qui præsunt.* Et ep. ad Amphil. ait: *Mensuram temporis in agenda pœnitentia non aperte præfigunt canones, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt.* S. P. A. Ench. c. 65. ait: *Recte constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.* S. Leo Ep. ad Nicetam Aquilej. episcopum: *Tempora pœnitudinis constituenda sunt tuo judicio, prout conversorum animos prospexeris esse devotos.*

III. Accedit ratio. *Pœnitentia enim*, ex Auctore libri de vera & fals. pœn. *est quædam vindicta dolentis puniens in se, quod dolet commisisse*, at vindictæ peccatorum ab iis sunt infligendæ, quibus spectat judicii potestas; ergo &c. Deinde, *qui satisfactionis viam claudunt, falsam salutem promittunt*, ex Cypr. de Lapf. pag. 384. Tandem sacerdos curare debet, ut qui delinquunt habeant suæ infirmitatis medelam, & novæ vitæ custodiam, sed hæc duo præstari pœnis satisfactoriis docet Tridentinum; ergo &c.

Ob. I. Christus paralytico, mulieri peccatrici &c. peccata dimittens nullam pœnitentiam imposuit; ergo &c. II. Apostoli solam cessationem a peccatis incul-

inculcant. Nam Ap. ad Ephef. 4. ait: *Qui furabatur, jam non furetur*, ubi Theophyl. ait: *Non dixit Apoftolus: puniatur qui furtum committit, fed a malo deficiat. Punire namque eft fori judiciarii, dehortari a vitiis Chrifti doctrinæ eft.* III. Si facerdotes folvunt a reatu pœnæ, & a debito mortis æternæ, cur non folvunt etiam a debito temporali? IV. Etiam in baptifmo remittuntur peccata, fed in eo nulla pœna præfcribitur; ergo &c.

R. ad I. neg. conf. Chriftus enim, cum fit Dominus univerforum, poteft *folus veniam largiri peccatis, quæ in ipfum commiffa funt. Homo autem, utpote fervus, nec remittere, nec donare indulgentia fua poteft, quod in Dominum delicto graviore commiffum eft. Dominus ergo noftra fatisfactione placandus eft*, ut docet S. Cypr. de Lapf. p.378. R. II. Chriftum tunc voluiffe divinitatem fuam ac pleniffimam poteftatem oftendere, nec confeffionem exegiffe, ut conftaret fe fcrutari renes & corda: nec fatisfactionem quæfiviffe, ut planum fieret, fuam auctoritatem abfolutam effe, non delegatam; ficut ergo exemplo Chrifti non impugnatur oris confeffio, ita nec operis fatisfactio. Non enim abfolutam, fed ordinatam poteftatem dedit Chriftus.

Ad II. neg. ant. Apoftolus enim *tradidit fatanæ* inceftuofum Corinthium *in interitum carnis*: verum five id dæmonis obfeffionem fignificet, ut cenfent Græci PP. five anathema, ut alii, five *caftigationem carnis*, ut Ambrofius, aut *pœnam & pœnitentiam*, ut Aug. exiftimat, conftat Apoftolos in peccata animadvertiffe; ergo &c. Ad prob. R. Ap. ibi non excludere pœnitentiam, fed adftruere, fubdit enim: *Magis autem laboret operando manibus fuis, unde tribuat neceffitatem patienti.* Ad quæ verba Chryfoftomus hom. 14. *Non furati funt, hoc non eft peccatum folvere. Sed quomodo? Laborarunt, & aliis impertierunt: fic folverunt peccatum.* Theophylactus etiam ftatim poft cit. verba ait: *Non enim fatis eft a peccato quiefcere, fed contraria via eft adeunda. Ante*

opera-

operabatur malum? jam nunc operetur bonum: verum cum labore, partim ut conterat corpus, partim ut largiores habeat facultates. Vult ergo ibi Theophylactus ad Christi doctrinam non spectare satisfactiones, quæ cum infamia, aut interitu fiunt: quod innuit Græcum κολάζειν, quod est *subigere, vi reprimere &c.* id enim est *fori externi, & magistratum* non Ecclesiæ & sacerdotum. Ad III. R. ut ad I. Ad IV. dist. maj. Remittunt in baptismo peccata per *modum remedii*, conc., *per modum judicii*, neg. Hoc enim fit in Sacramento pœnitentiæ, ad quam spectat delicti punitio.

PROPOSITIO III. Satisfactiones, nedum ad Ecclesiæ ædificationem, sed etiam ad redimenda peccata, & ad compensandas Deo illatas injurias imponuntur.

Prob. I. Scripturis. Prov. 16. habetur: *Misericordia redimitur iniquitas.* Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Matt. 3. *Facite fructum dignum pœnitentiæ;* ergo &c. Prob. II. ex Ecclesiæ definitionibus. De pœn. dist. 1. c. 13. legitur: *Nullus gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem solverit pœnam.* Et cap. *Porro illi*, habetur: *Si sui ipsius judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia.* Trid. sess. 6. c. 14. ait: *Docendum est, satisfactionem per jejunia, eleemosynas &c. non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ non tota semper, ut in baptismo fit, remittitur illis, qui templum Dei violare non sunt veriti.* Hinc merito proscripta est 76. Baij prop. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam:* ergo &c.

Prob. III. Ex PP. Nam Cypr. de Lapf. ait: *Dominus nostra satisfactione placandus est.* Ambrosius ad Virg. lapsam: *Grande scelus*, ait, *grande habet necessariam satisfactionem.* Hieronymus in Joel.

Qui

Qui peccator eſt cilicio accingatur, *& dormiat in ſacco*, *ut delicias*, *per quas offenderat Deum*, *vitæ auſteritate compenſet*. Et S. P. A. ſerm. 351. *Non ſufficit a malis recedere*, *niſi etiam de his*, *quæ facta ſunt*, *ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem*, *per humilitatis gemitum*; ergo &c. Prob. IV. ratione. Pœnitentiæ enim ex dictis non ad ſolam Eccleſiæ ædificationem, ſed ad peccatorum remiſſionem, & Dei ſatisfactionem inductæ ſunt; ergo &c.

Ob. I. Opera pœnitentiæ, ex productis teſtimoniis, nedum pœnas temporales avertunt, ſed etiam æternas. Sed pro his ex Trid. nulla injungitur ſatisfactio; ergo nec pro illis eſt injungenda. II. Ex Rom. 3. *Juſtificati ſumus gratis per gratiam*, *& redemptionem*, *quæ eſt in Chriſto Jeſu*; ergo &c. III. Chriſtus morte ſua pro nobis cumulatiſſime ſatisfecit, quoad pœnam & culpam; ergo operis ſatisfactio eſt Chriſto injurioſa. IV. Qui putat operibus ſuis poſſe injurias Deo illatas compenſare ſibi gloriam Redemptoris tribuit, & *confidit in homine*; ergo &c. V. Solius juſtitiæ Dei eſt punire peccata; atqui Deus ea punit per terrores incuſſos, queis conſcientiam excruciat; ergo &c.

R. ad I. diſt. maj. Avertunt eodem modo, neg. diverſo modo, conc. Nam opera pœnitentiæ, *reſpectu pœnæ æternæ*, habent quandam rationem ſatisfactionis improprie dictam, in quantum ante ſuſceptionem Sacramenti præparant ad gratiam, eamque promerentur de congruo: & in actu Sacramenti, dum a pœnitente acceptantur, fiunt ejus pars integralis, cujus vi ſolvitur culpæ reatus. Dum vero fiunt poſt gratiam remiſſionis acceptam, habent quidem rationem ſatisfactionis propriæ, *reſpectu pœnarum temporalium*; ſed relate ad æternas non ſunt ſatisfactoria, niſi prout per ſacerdotalem abſolutionem æternæ pœnæ commutantur in temporales. Ad II. neg. conſ. Cum enim quidquid boni agimus gratiæ munus ſit, gratia vero ex

Chri-

Christi redemptione, recte ait Apostolus: *Nos justificari gratis &c.* Recte etiam Ambrosius l. 2. de Abel: *Crimina bonis operibus, fideique pretio & miseratione redimamus.* Vid. Auctorem c. 5. l. 19.

Ad III. neg. conf. Ut enim ait Trid. *Non ita nostra est satisfactio, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis nihil possumus, eo cooperante omnia possumus. Accedit, quod dum satisfaciendo patimur, Christo, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur;* ergo operis satisfactio, qua mortificati carne Christi vestigia sequimur, non est Christo injuriosa, sed grata. Ad IV. neg. ant. Responsio patet ex dictis. Non enim *in homine confidit,* sed in Christo, qui tenet, per gratiam ejus meritis comparatam, non propriis viribus, posse placare Deum, & veniam promereri. Hinc Cyprianus, cum protulit illud Jeremiæ: *Maledictus homo, qui spem habet in homine,* ad opera pœnitentiæ, non ad inanem fiduciam lapsos hortabatur, ut dictum est. Ad V. neg. min. Hæretici enim dupliciter errant, I. quia contritionem statuunt in incussis terroribus, II. quia intimationem supplicii, unde terror incutitur, cum pœnitentia & satisfactione confundunt. Vid. Auctorem tom. 7. pag. 51. Rom. editionis.

CAPUT II.

De modo a confessariis servando in satisfactionibus injungendis.

CUm sacerdos ex cap. præcedenti debeat satisfactionem imponere, curare debet ut injuncta opera qualitati criminum viribusque pœnitentium respondeant. Sit itaque

PROPOSITIO I. Male se gereret sacerdos, qui pro gravissimis culpis opera levissima imponeret, & vicissim.

Prob. I. ex Trid. Synodo sess. 14. c. 8. ubi ait: *Debent sacerdotes quo qualitate criminum, & pœniten-*

tentium facultate convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte indulgentius agant, alienorum peccatorum participes efficiantur. Idem constat ex cap. *His, qui diversorum.* Ex cap. *Pro qualitate*, & ex cap. *Pœnitentibus*, Prob. II. ex PP. Cyprianus de Lapf. pag. 385. ait: *Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne Dominum cito posse placari, cujus templum sacrilega contagione violasti? Orare oportet impensius, diem luctu transigere, in cinere & cilicio volutari &c.*

Eadem habet Clerus Rom., Ambrosius, Gregorius M., Climacus, & S. Carolus in Inst. Confess., ubi ait: *In satisfactionibus, vel pœnitentiis confessarius circumspectus esse debet, ne adeo leves illæ sint & faciles, ut potestas clavium in contemptum veniat, neque nimis graves & longæ, ut vel recusent eas exequi, vel plane non perficiant.* Horatius etiam, licet ethnicus: *Adsit*, ait, *Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas.* Proinde *confessarius*, subdit S. Carolus, *canones pœnitentiales ad unguem sciat oportet. Et si enim pro modo antiquo canonum pœnitentiam non habet sequi; tamen pœnitenti nonnunquam articulos in iis explicatos tractabit, ut sic ad majorem dolorem adducantur, pœnitentiamque leviusculam, quam ipsi dedit, alacrius exequantur.* Idem docet Concil. Parisiense IV. ann. 829., Cabilonen. ann. 813., Moguntinum, aliaque apud Merbesium, & Alex. Meminerint ergo qui levissimas satisfactiones imponunt, illud Ezech. 13.: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito &c.*

Quæres I. An moderata indulgentia nimiæ severitati sit præferenda? R. affirmative. Et ratio est I. Quia Sacramentum pœnitentiæ *non est forum iræ vel pœnarum*, ut ait Trid. sess. 14. c. 8. II. Quia *in lege sacrificium, in Evangelio misericordia commendatur*, ex cap. *Libenter ignosco* de Pœnit. dist. 1. III. Quia in cap. *Alligant* habetur: *Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere,*

quam propter crudelitatem? IV. Quia S. Thomas de Villan. Conc. f. 6. post dom. Quadr. ait: *Satius judico eum modica pœnitentia animas ad purgatorium remittere, quam propter rigorem damnationis periculo exponere*; ergo &c.

Quæres II. Quibus de causis possit sacerdos cum pœnitentibus humaniorem se se facilioremque exhibere? R. Ob plures, & I. ob contritionis vehementiam, non falsis indiciis, sed præcedentibus operibus comprobatam. Nam ex cap. *Mensuram*, apud Deum *non tam valet mensura temporis, quam doloris. propter quod ipsa tempora pœnitentiæ pro fide, & conversatione pœnitentium abbrevianda sunt, & pro negligentia protelanda.* Et cap. *de pœnitentibus* de Consecr. dist. 3.: *Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus corrigentis.* Accedit S. Thomas q. 14.: *Quanto est major contritio, tanto magis diminuit de pœna.* II. Ob pœnitentis infirmitatem, cui ea tantum satisfactio debet injungi, quam sacerdos putat infirmum *verosimiliter impleturum*, ait S. Antoninus p. 3. tit. 17. c. 20. In pœnitentiali Theodori Cantuarien. Ep. c. 48. legitur: *Ab infirmis in periculo mortis per presbyteros pura est inquirenda confessio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed amicorum rationibus pondus pœnitentiæ sublevandum.*

III. Ob conditionem, & qualitatem personarum: levior enim pœna imponenda est, ubi minus est malitiæ, & voluntatis ex cap. *Si quis insaniens.* Attendi etiam debet ætas, occasio &c. item patientia in ferendis adversis, quæ locum habet satisfactionis.

Propositio II. Pro satisfactione imponi debent opera pœnalia, & publicis peccatis publica pœnitentia.

Prob. I. pars. I. Scripturæ, ac PP., dum nos ad Pœnitentiam hortantur, memorant jejunia squalorem

lorem veſtium, fletus, eleemoſynas &c. Dan. 4., Joel 2. Joan. 3. Ita Cyprianus, Ambroſius, & Auguſtinus ſupra laudati. Hinc Trid. monet Confeſſarios: *Ut ſatisfactio, quam imponunt, ſit etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.* II. Inter hæc opera præcipua ſunt ex Trid. ſeſſ. 14.: *Eleemoſyna, jejunium, oratio, & alia pietatis opera:* quæ tamen omnia ad tria illa reduci poſſunt, nempe ad jejunium corporis afflictiones, ad orationem opera ſpiritalia, ad eleemoſynam officia miſericordiæ. III. Hinc patet, imperite ſe gerere confeſſarium, qui homini perditiſſimo pſalmos, *roſaria* &c. non autem jejunia, cilicia, eleemoſynas, vigilias, aliaſque corporis afflictationes injungeret. Prob. II. pars. Ex cap. *Canonica inſtituta*, ex cap. *Ea vero*, & ex cap. *Id tamen* de Pœn. diſt. 1. Item ex Trid. ſeſſ. 24. de Reform. c. 8. & ex Catechiſmo Romano part. 2. c. 5. Accedit ratio Aug. c. 65. Enchir. n. 17. ubi ait, ſatisfaciendum eſſe *etiam Eccleſiæ*, nempe emendationis teſtimonio, ad bonam frugem eos revocando, quos peccator *exemplo ſuo ad malos mores provocavit*, ut ait ibid. Tridentinum; ergo &c.

CAPUT III.

De modo a pœnitentibus ſervando in ſatisfactione adimplenda.

Pro confeſſariis monita quædam præmiſſa ſunt, nunc alia pro pœnitentibus ſubjicimus. Sit itaque

Propositio I. Debet pœnitens injunctam ſatisfactionem acceptare, & ſi levis eſt, graviorem ſponte ſubire.

Prob. I. pars contra Navarrum, Medinam, Armillam &c. I. enim ex Trid. ſeſſ. 14. c. 8. debent ſacerdotes ſatisfactionem imponere, quia ipſis *claves, non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſæ ſunt;* ſicut ergo abſolventes vere peccata dimittunt, ita ligantes vere obligant pœnitentes

ad satisfactionem. Hinc post Trid. id non posse absque temeritate negari ajunt Victoria, Suarez &c. II. Idem docent S. Thomas, & Bonaventura, S. Antoninus, ac S. Raymundus apud Natalem Alexandrum. Prob. III. ex Patribus, & ex Canonum auctoritate, a quibus præcipitur, ut judicio sacerdotum satisfactio imponatur, & non satisfacientibus denegetur communio ex propositionibus præcedentibus. Prob. IV. ratione. Sacerdos enim judex est; illi ergo parendum est. Deinde satisfactio est sacramenti pars integralis; ergo eam mutilat, qui illam negligit.

Dices: Sacerdos est judex arbitrarius, nullumque extat satisfactionis adimplendæ divinum præceptum; ergo &c. R. Esse quidem in pœnitentium arbitrio hunc, vel illum confessarium adire, at illum, quem adit, verum judicem esse, eique parendum, cum polleat potestate solvendi & ligandi, unde sequitur satisfactionis præceptum, ut supra dictum est.

Prob. II. pars. Ex propos. I. cap. præc. ubi ostendimus, debere satisfactionem respondere criminum qualitati: quod Magister probat ex Matth. 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Alii ex cap. *Falsas*, & *Consideret* de Pœn. dist. 5. n. 6. Hinc S. Petrus Damianus serm. 2. de S. Andrea ait: *Ne tibi blandiaris, si graviter peccanti levior pœnitentia dictatur, cum purgatoriis ignibus perficiendum sit quidquid hic minus feceris.* Addit. S. Thom. Quodlib. 3. q. 13. art. 1. peccatorem *dupliciter esse debitorem satisfactionis; uno modo ex injunctione Sacerdotis, altero ex peccato commisso.* Accedit, quod ignoramus, quo studio, animique affectione satisfactionem impleverimus: hinc monemur, ut æquo animo feramus flagella, & cruciatus hujus vitæ, & indulgentias lucremur, quibus peccatorum pænæ luuntur; stultissimi ergo putandi sunt, qui satisfactionem differunt ad aliam vitam, & in Purgatorio. Nam præterquam quod præceptum satis-

ſatisfactionis violant ex Nat. Alex. certe *gravior erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita*, ut docet S. P. A. in Pſ. 37. n. 3.

Propositio II. Pœnitens non ſatisfacit quoad meritum, niſi peccati abjiciat affectum; licet ſatisfacere poſſit quoad præceptum.

Prob. I. cum Merbeſio, Tournelyo, Juenin, Le Droint &c. Nam ſatisfactio eſt actus pœnitentiæ neceſſario conjunctus odio vitæ præteritæ, ac ſtudio placandi Deum; ſed hæc ſtare nequeunt cum affectu peccati; ergo &c. Eum vero, qui peccatum deteſtatur, quamvis non ſit juſtificatus, poſſe ſatisfactionem implere probant laudati Theologi, ex quo antiquitus pœnitentia præceſſerit abſolutionem, & opus bonum cum auxilio gratiæ ab impio patratum Deo placeat, & ſaltem *de congruo* ad juſtificationem diſponat. Ex adverſo S. Thomas, D. Bonaventura, S. Antoninus, Soto, Ledeſma, Lugo, Barboſa &c. docent, neminem in peccato exiſtentem poſſe Deo ſatisfacere.

I. enim ſatisfactio, cum a ſola Dei acceptatione pendeat, locum non habet in operibus, quæ fiunt ab inimico Dei. II. Quod in Pœnitentiæ Sacramento pœna æterna in temporalem mutetur, id fit ex Dei reconciliatione, & amicitia; in hac ergo ſtatui debet æquitas ſatisfactionis. III. Docet Trid. ſatisfactiones noſtras a Chriſto vim habere, quatenus *in ipſo vivimus, meremur, ac ſatisfacimus;* ſi ergo in Chriſto non vivamus, nec per eum mereamur, nulla erit ſatisfactio. IV. Catech. Roman. part. 2. c. 5. ait: *In ſatisfactione requiritur, ut qui ſatisfacit juſtus ſit.* V. Opera in ſtatu peccati facta non habent meritum *de condigno*, ad hoc enim requiritur gratia habitualis, nec *de congruo* ex Suareſio in ordine ad ſatisfactionem; ergo &c. Conciliantur tamen hæ ſententiæ, ſi præceptum ſatisfactionis ab ejus merito ſecernatur. Argumenta prioris ſententiæ evincunt præceptum ſatisfactionis poſſe in ſtatu peccati

 adim-

adimpleri, adeo ut in eo ſtatu injunctum opus efficiens, *non incurrat reatum omiſſionis ex ſatisfactione neglecta*, nec teneatur confiteri, quod pœnitentiam impleverit in peccato, ut docet D. Thomas, & Soto. Argumenta autem ſententiæ oppoſitæ tantum probant, opera facta in peccato non habere meritum ſatisfactionis, & tantum *de congruo* ad juſtificationem diſponere, itaut ſatisfaciens in ſtatu peccati non ſit immunis a pœna temporali, peccatis debita: cum opus illud ſit meriti expers, & mortuum, licet ſublato obice reviviſcat.

Quæres I. An unus pro alio poſſit ſatisfactionem implere? R. I. Ex propoſ. 14. ab Alexandro VII. damnata: *Pœnitentem propria auctoritate non poſſe ſibi ſubſtituere alium, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat;* nam ſatisfactio non ſolum pro ſolutione debiti eſt impendenda, ſed etiam ad vindictam peccati; ergo &c. R. II. Satisfactionem ab alio exhibitam non eſſe ejusdem efficaciæ cum ea, quæ fit ab ipſo pœnitente. R. III. Ex ſcripturis, Patribus, ac ratione indubium eſſe, poſſe unum pro alio pœnam luere, eique *de congruo* gratiam promereri, idque ex communione ſanctorum, per quam conſtat amicorum Dei meritis ſæpe impetratam eſſe indulgentiam.

Quæres II. An poſſit pœnitens pro uno peccato ſatisfacere ſine alio? R. cum diſtinctione. Vel enim quæritur, an qui plura habet peccata lethalia poſſit pœnitentiam agere de uno, nullam de altero ſollicitudinem habens, vel de ſolis venialibus, & de ſola pœna temporali ſermo eſt. Quoad I. R. cum D. Th. q. 14. ſuppl. art. 1. negative, quia non poteſt tolli offenſa, *niſi per inſtaurationem amicitiæ*, quam peccatum tollit. Quoad II. & III. R. affimative. Venialia enim Dei amicitiam non frangunt, unde poteſt unum ſine alio expiari; diverſis vero peccatis diverſæ pœnæ reſpondent, unde uni ſine alia poteſt ſatisfieri. Nam

Ecclesia ipsa plenarias modo, modo limitatas indulgentias concedit, queis sæpe ex parte tantum delicta relaxantur.

Quæres III. An liceat pœnitenti petere a Confessario commutationem satisfactionis sibi injunctæ. R. I. Esse pravi animi indicium id petere, quando onus impositum nec gravitatem criminis, nec vires pœnitentis excedit. II. Posse confessarium pœnitentiam ab alio injunctam commutare, dummodo etiam illi fiat eorundem peccatorum confessio. Nec obstat proloquium illud: *Par in parem non habet jurisdictionem.* Nam Confessarius non exercet, in casu, jurisdictionem in alterum confessarium habentem parem auctoritatem, sed in pœnitentem sibi subditum.

CAPUT IV.

De publicæ Pœnitentiæ satisfactione.

De hoc argumento copiose tractarunt Morinus, Sirmondus, Petitus, Albaspinæus, Menardus, Martene, a quibus tractatus a se editos locupletarunt Merbesius, Juenin, Tournely. Vitasse, Du-Hamel, Le-Droint, Habert, Gotti, &c. Pœnitentiam autem publicam vocat Du-Cangius in Gloss. t. 3. p. 323. *Quæ pro expiandis criminibus, & delictis publicis imponitur:* eamque iis tantum injunctam putant Sirmondus, Petitus, aliique, qui publici alicujus criminis convicti essent. Alii tamen cum Morino, Albaspinæo &c. apud Witasse docent, etiam occulta crimina fuisse publicæ pœnitentiæ obnoxia. Itaque priori definitione rejecta publicam pœnitentiam eam dicimus: *Quæ agitur in conspectu populi, & in Ecclesiæ conventu. Pœnitentes* autem ii dicebantur, qui pœnitentiæ stadium percurrebant, qui etiam dicebantur: *In pœnitentiam missi*, vel *In pœnitentiam positi*, ut legitur in veteribus Conciliis.

Propositio I. Publica pœnitentia ab Apostolicis temporibus obtinuit, licet initio de ea certi canones non extiterint.

Prob. I. Ex epist. D. Pauli, ubi in 1. sæculo profertur exemplum incestuosi Corinthii, in 2. exemplum mulierum, quas Marcus vitiavit: in 3. eorum, quos memorat Tertullianus, & Cyprianus supra cit. II. Ante Montani hæresim circa an. V. Æ. 157. prudentia sacerdotum, non canonum præscriptionibus pœnitentias fuisse indictas probat Morinus l. 4. de admin. Pœn. c. 1. ex l. 1. Const. Apost. & ex l. 3. Hermæ, seu Pastoris. Hinc patet, mulieres adulteras statim post criminis detestationem, non, ut factum est postea, post annos plurimos, a viris fuisse receptas: unde Tertullianus factus Montanista Hermetem *Mœchorum pastorem* appellat. Idem probat exemplo latronis apud Eusebium, quem S. Jo. Apostolus levi pœnitentia statim reconciliavit Ecclesiæ.

Nec obstat can. 24. Ap. *Laicum seipsum abscindens annis tribus communione privatur*, non enim omnes canones Apostolici parem habent vetustatem, & auctoritatem. Exorta Montanistarum hæresi, qui ex Hieronymo *ad omne pene delictum Ecclesiæ fores occluserant*, & Catholicis nimiam facilitatem exprobrabant, paulo severior invecta est disciplina: itaut in quibusdam Ecclesiis fornicariis, & *Sacrificatis* vel negaretur omnino, vel in exitu mortis tantum venia daretur, ut suo loco ostendimus. Interim exorto Novatiano schismate circa an. 251. aut 250. Novatiani ac Montanistæ iniquo fœdere juncti, ut falso zelo disciplinæ fideles ad se traherent, in vulgus spargere cœpere, Ecclesias esse contaminatas, ibique fornicariis, *Sacrificatis &c.* pacem redditam esse. Hinc saluberrime institutum est, ut nec spes lapsis denegaretur contra Novatianam hæresim, & nemo absque certa emendatione reciperetur, ut supra monstratum est, ad eorundem criminationes refellendas.

Propositio II. Quatuor pœnitentiæ gradus, grassante Novatiana hæresi, sunt instituti, at quando desierint incertum.

Prob.

Prob. I. pars ex ep. Canonica S. Gregorii Thaumaturgi, qui interfuit Antiocheno Conc. an. 264. ubi gradus illi, *Fletus* nempe, *Audientiæ*, *Substrationis*, & *Consistentiæ* recensentur. Item ex Jo. Raythuni monasterii antistite apud Morinum l. 6. c. 1. n. 3. Eosdem *gradus definitos* pœnitentiæ laudat can. 4. & 5. Syn. Ancyrana, & can. 25. vacantibus vaticiniis præscribit annos 3. substrationis. Et S. Basilius can. 75. tom. 2. p. 777. scribit, ei qui sororem compresserit, triennio *flendum esse ante oratorii fores*, alio triennio *accedendum ad audientiam*, ac dandam tribus aliis annis *substrationem*, & anno decimo *subsistendum*; ergo &c.

Prob. II. pars. Quidam enim gradus illos sublatos putant quarto sæculo ob Nectarii factum, sed inde non eruitur pro omnibus publicis peccatoribus pœnitentiam fuisse abrogatam, aut Episcopos sibi jus ademisse illam quandoque imponendi, ut alibi dictum est. Reapse Trullana Synodus coacta an. 692. & Abbas Raythuni, qui circa VI. aut VII. sæculum floruit, illa can. 87. hic in schol. S. Jo. Clim. tom. 10. Bibl. PP. pag. 513. hujusmodi graduum expresse meminere. Fallitur ergo Tournelyus, qui putat a Nectarii tempore in Orientalium Ecclesiis cessasse *Fletum*, *Audientiam*, & *Substrationem*, & perseverasse tantummodo *Consistentiam*. Imo *Audientes*, & *Adlacrymantes* memorantur etiam ab alio Climaci scholiaste ad Gradum 12. quem Raderus putat Eliam Cretensem, qui vixit anno 787. In occidentali autem Ecclesia serius gradus hujusmodi cœperunt antiquari. Itaut *Substratio* vix deinceps in epistolis Romanorum Pontificum & decretis Conciliorum commemoretur. Cum enim paucissimi essent Catechumeni, cœperunt omitti preces, & ceremoniæ super substratos, & loco pœnitentiæ canonicæ impositæ sunt peregrinationes, jejunia, eleemosynæ &c. Vide Pœnitentiale Theodori, Decreta Ivonis, & Burchardi.

Propositio III. Tempus publicæ pœnitentiæ ab Episcopis fuit definitum.

Prob. I. Ex can. 10. Conc. Africani, & ex Regulis brev. Basilii; nec non ex ep. S. Leonis ad Nicetam. Ne vero Episcopi in pœnis decernendis livore & odio ducerentur, coepiscoporum consilio, & sæpe adstante plebe utebantur, ut S. Cornelius, & Cyprianus ex ep. 14. & 15. præstitere. II. Eandem consuetudinem viguisse sequentibus sæculis ostendit Morinus ex can. 2. Conc. Tol. an. 675. ex cap. Hincmari, & Herardi Turonen. ep. Qui ergo publicam pœnitentiam subire debebat, sistebat se ante Ecclesiæ præsulem coram populo, & clero fer. 4. cinerum, unde in Liturgiis eo die legitur: *Ordo ad dandam pœnitentiam.* In Pœnitentiali Theodori habetur: *In capite Quadragesimæ omnes, qui publicam suscipiunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo sacco induti, nudis pedibus, vultibus demissis, reos se esse ipso habitu, & vultu protestantes.* Eadem profert de habitu pœnitentium Martene ex Tertulliano, Cypriano, Cæsario, qui ajunt pœnitentes *in sacco, & cinere inhorrescere, in cilicio & sordibus volutari, & foras ejici.* Quod fiebat iisdem verbis, quibus e Paradiso pulsus est primus homo, idest: *In sudore vultus tui* &c. His addi potest S. Pacianus, Optatus, Ambrosius, & Hieronymus ab Auctore laudati, qui *saceum, cilicium, & cinerem* veterum commemorant.

Quæres: Quid præstiterint pœnitentes in his quatuor pœnitentiæ gradibus? R. In primo gradu, qui *Fletus* dicitur, *peccatorem stantem fideles, qui ingrediuntur, orare extra portam Oratorii, ut pro se deprecentur*, ut ait Gregor. Thaumaturgus. Quod Albaspinæus verbis Tertull. confirmat de Pœn. c. 9. ubi ait, eum *ingemiscere, lacrymari dies noctesque ad Dominum, presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Et Sozomenus l. 7. H. E. c. 16. ait: *In populo est pœnitentium locus, in quo illi stant mæ-*

sti

sti ac veluti lugentes. Vid. ep. 84. Hieron. ad Oceanum, ubi pœnitentiam Fabiolæ describit. In hac lugentium statione quidam aliis sceleſtiores extra tectum commorantes, sub diu, imbribus, nivibusque expositi vehementius aliorum commiserationem movebant. De his Ancyranus can. 17. habet: *Eos, qui rationis expertia animalia inierunt, jussit sancta Synodus inter hiemantes orare.* Et Tertullianus de Pud. c. 4. *Libidinum furias ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus.*

In secundo gradu *auditio* est intra portam in Narthece: *Ubi oportet eum, qui peccavit, stare proximum catechumenis, & illinc egredi*, ut ait Gregorius supra laudatus. Ex Narthecis vocabulo, quod ante finem V. sæculi usurpatum non inveniunt, supposititiam putant Gregorii epistolam Morinus, & Lupus; germanam tamen, fatente Morino, eam agnovit Balsamon, & Allatius. *Quidquid sit*, ait Lupus, *res est antiqua.* De loco etiam Narthecis ait Allatius: *Ignorant eruditi, quisnam sit* νάρθηξ, *qui eum porticum esse fatentur.* Exploratum videtur, Narthecem fuisse intra Ecclesiæ ambitum: 1. quia in canone, qui Gregorio tribuitur, ponitur intra portam; 2. quia id asserit in Nomocanone Matthæus Blastares; 3. quia extra fores conciones audiri non poterant, ad quas Catechumeni & peccatores admittebantur. Si ergo Narthex dicatur porticus, erat interior porticus æquans totam Ecclesiæ frontem, Allatius autem potius asserit fuisse locum pro fœminis destinatum, seu *Gynæceum.*

III. Gradus erat *Substratio.* Ex Balsamone ita dicitur ab ὑποπίπτειν *decidere, submittere se*, quod in hoc gradu pœnitentes post ambonem consisterent. Cum enim *Substrati* fuerint altari proximiores *Audientibus*, necesse est, ut citra *ambonem* stationem propriam habuerint. Unde Theorianus apud Lupum ait: *In parte ambonis postica stabunt.* Erat ambo locus superior, quem modo *pulpitum* dicimus,

mus, utrimque gradibus inſtructus, unde epiſcopus plebem S. concionibus erudiebat. In eo autem loco, qui peculiari nomine *locus pœnitentium* appellabatur, proſternebant ſe, ac ſubjiciebant impoſitioni manuum epiſcopi & cleri, ut tali humiliatione pacem reciperent. De *Subſtratione* loquuntur canones 19. Laodic. II. 11. Tolet. III. 80 Carth. IV. S. P. A. l. 3. de Bapt. c. 16. Lupus, Albaſpinæus &c. Vid. c. 1. l. 32. Definitur a Greg. *Subſtratio eſt, ut intra portam templi ſtans cum catechumenis egrediatur.*

IV. Gradus ex canone Greg. *eſt conſiſtentia, ut cum fidelibus conſiſtant, nec cum catechumenis egrediantur*, in quo pœnitentes una cum aliis fidelibus myſteriis adſtabant, non tamen de Euchariſtia participabant, nec ſacrificanda offerebant. De his ajunt veteres canones *orationibus communicare abſque oblatione, & abſque gratia perfectionis.* Sed cum diu inter ambonem, & presbyterium conſtitiſſent, & pœnitentiam compleſſent, ad Synaxim accedebant. Unde ait canon Gregorianus: *Poſtremo eſt participatio Sacramentorum.*

Quæres II. Quid præter Euchariſtiæ participationem interdictum eſſet publice pœnitentibus? R. I. Iis vetitum fuiſſe ad ſacros ordines promoveri ex Tolet. I. & III. ex Carth. IV. ex ep. Gelaſii, Innocentii I. &c. II. Matrimonium contrahere ex Arelat. II. & Tolet. VI. III. Uſum conjugii ex cap. *Pœnitentia conjugatis.* Vide Aug. de adult. Conjugiis c. 2. IV. Militare ex c. *Admonere* 33. q. 2. V. Comas nutrire, ſaccum abjicere, & nitidis veſtibus uti. VI. Jubebantur pedeſtres incedere, mortuos ſepelire, & abjectiſſima quæque miniſteria exercere, ex can. 18. Conc. Carth.

Propositio IV. An pœnitentia publica fuerit injuncta occultis peccatis, nec ne, diſputatur utrimque: ſed lis componitur, ſi dicatur eam, licet ab Eccleſia non indictam, ſponte aliquos ſubiiſſe.

Prob.

Prob. I. pars. Sirmondus enim, qui publicis tantum criminibus hanc pœnitentiam impositam censet, nititur I. auctoritate Augustini, qui c. 65. Ench. ait, in actione pœnitentiæ reum a *Christi corpore separari.* Atqui in ep. 54. ad Maced. docet eos a societate altaris removeri, *quorum crimina manifesta sunt;* ergo &c. II. S. P. serm. 351. docens, quænam pœnitentia *subeunda sit pro illis peccatis, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt,* ait: *Si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videatur antistiti, in notitia multorum, vel totius plebis poenitentiam agere non recuset;* ergo solis peccatis scandali publica pœnitentia imposita est.

Nititur II. etiam canonum definitionibus, nam c. 99. canonum African. legitur: *Si quando episcopus noverit aliquem sibi publicum crimen esse confessum, & ille neget, & poenitere noluerit . . . . . Secrete interdicat ei communionem, donec obtemperet.* Et can. 8. Synodi Vasensis monetur episcopus, *ut quandiu scelus probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso secretis correptionibus elaboret.* Idem docet Arelaten. VI. Cabillonen. II. & Remen. II.

Nititur III. PP. auctoritate. Ambrosius enim, teste Paulino in ejus vita, *nulli, nisi Domino causas criminum, quas illi confitebantur, loquebatur.* Et S. P. A. serm. 82. ait: *Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus: ubi contigit malum, ibi moriatur.* Hinc capitula Hincmari ad canonicam pœnitentiam compellunt eos tantum, *qui publicum homicidium, adulterium, seu perjurium perpetraverint.* Et Ludovicus Pius l. 6. c. 96. ait: *Si publice actum fuerit,* furtum, *publicam agat poenitentiam, si vero occulte, sacerdotum consilio agat.*

Oppositum sentit Morinus, Alex. Petavius, Juenin, Vitasse &c. I. Ex can. 32. Conc. Carthag. ex Origene, Cypriano, Basilio, Innoc. I. & Aug. ex

Prop.

Prop. 2. c. 2. diff. 2. II. ex facto Nectarii, unde constat, mulierem, antequam ftuprum, quod cum diacono admiferat, aperiret, poft fecretam confeffionem, pœnitentiam publicam fubiiffe.

III. Ex Ancyrani Conc. can. 16. 21. & 22. ubi decernitur publica pœnitentia ineuntibus bruta animantia, abortus procurantibus, *&* *voluntariis cædibus*; fed hæc occultiffima putanda funt, tum quia etiam flagitiofiffimi ea occulte agunt, tum quia legibus Imp. capite punita effent, fi in vulgus fparfa fuiffent; ergo &c. IV. Ex Ambrofio l. 1. de Pœn. c. 16. n. 90. ubi ait: *Si quis occulta crimina habens pœnitentiam egerit, quomodo ifta recipit, fi ei communio non refunditur? Volo veniam reus fperet, petat eam lacrymis, petat populi totius fletibus, & cum fecundo & tertio fuerit dilata ejus communio, fletus augeat &c.*; ergo &c. V. Accedunt exempla Genebaldi, Laudunen. Epifc., & Potamii Bracaren. Epifc., qui ob occultiffima crimina publicæ pœnitentiæ addicti funt.

Prob. II. pars. I. enim publicam pœnitentiam non fuiffe illis injunctam, in quibus publicæ pœnitentiæ actio potuiffet occulti alicujus criminis fufpicionem inducere, fatis innuunt argumenta Sirmondi, & confirmat finis publicæ pœnitentiæ, nempe fatisfactio Ecclefiæ exhibenda, & lex figilli inviolabilis. II. Plures item, etiam fpectatæ probitatis, publicam pœnitentiam fubiiffe ex Aug. ferm. 144. de Tem. aperte colligitur, ait enim: *Aliqui ipfi fibi pœnitentiæ locum petierunt, aliqui excommunicati a nobis in pœnitentiæ locum redacti funt.* Idem confirmatur ex can. 4. Arauf. I., & 29. Arel. II., ubi ftatuitur, clericis publicam pœnitentiam petentibus non effe negandam, cum ad eam compelli non poffent. Et S. Cæfarius Arel. Epifc. hom. 1. ait: *Ille qui pœnitentiam publice accepit, poterat fecretius agere, fed credo confiderans contra tam gravia peccata folum non poffe fufficere, ideo adjutorium populi cupit expetere.* Idem evincitur exemplis Fabiolæ, de qua fupra,

ſupra, Wambæ Gothorum regis, & S. Gaudentii Valerienſis epiſcopi.

III. Conſtat pœnitentiam publicam occultis criminibus caute admodum, & pœnitente non invito, nec reluctante fuiſſe impoſitam, ut evincitur ex epiſt. Baſilii ad Amphil., ubi præſcribitur, mulieres adulteras non eſſe publicis pœnitentiis, niſi admodum caute, ſubjiciendas; ne aut viri in adulterii patrati ſuſpicionem venirent, aut illæ ſupplicio punirentur ex can. 9. & can. 34. Non poterat tamen ex publica pœnitentia inferri criminum qualitas, cum peccatores diverſorum criminum rei in eodem gradu conſiſterent, multi etiam ſponte iis ſe ſe adjungerent: cumque Epiſcopus poſſet tempus pœnitentiæ protrahere, aut coarctare; ſicut ergo ex confeſſione aliiſque operibus pœnitentiæ non recte inferimus anteactæ vitæ flagitia, ita nec inferebatur ex fletibus, ex ſubſtrationibus, ex lugubri habitu &c.

Quæres: Quænam peccata publicæ pœnitentiæ ſubjicerentur. R. Tertull. de Pœn. & de Pud. tria enumerat, idololatriam, fornicationem, & homicidium. Ad hæc referuntur eorum ſpecies, ut *Libellaticorum* lapſus, de quo Cypr. maleficia & divinationes ex can. 6. Illib. & 23. Ancyr. quæ ſub idololatria continentur, eidemque pœnitentiæ ſubjiciuntur. Falſum teſtimonium, abortus & veneficii præparatio, ex can. 20. Ancyr. homicidii pœna multabantur: libidinum turpiſſ. rei inter mœchos cenſebantur, ex can. Baſil. 62. & 63. A pœnitentia publica eximuntur, ex can. 4. Syn. Neocæſ. qui in corde ſuo polluti ſunt. Ex Illib. 44. meretrix pagana ad fidem converſa. Ex canone 14. Baſil. uſurarii lucrum pauperibus diſpenſantes. Hæretici redeuntes ad Eccleſiam ſola impoſitione ex can. 8. Nic. aliiſque recipiebantur. Nyſſenus ait, avaritiam abſque pœnæ medela fuiſſe a Patribus prætermiſſam. S. P. A. ſcribit comeſſationes, & ebrietates in ſolemnitatibus ſanctorum martyrum admiſſas, licet ſacri-

facrilegas, non tamen *afpere*, nec *duriter* fuiffe punitas. Tandem S. Leo martyr ep. ad Ruft. Narb. ait: fieri poffe Sacramentorum Chrifti participes, qui *convivio gentilium, & efcis immolatitiis ufi, jejuniis & manus impofitione fuerint purgati.* Vide Morinum, Alex. Vitaffe &c.

Propositio V. Clerici nec primis Ecclefiæ fæculis fubire tenebantur publicam pœnitentiam.

Prob. contra Morinum, Natal. Alex. Juenin, Vitaffe &c. Et Prob. I. ex can. 2. Carth. V. an. 398. ubi ftatuitur: *Ut fi quando presbyteri, vel diaconi graviori culpa convicti fuerint, qua eos a minifterio neceffe fit removere, non eis manus tamquam poenitentibus laicis imponatur.* Et S. Leo in epift. ad Rufticum n. 2. ait: id *alienum effe a confuetudine Ecclefiarum. Quod ex Apoftolica traditione defcendit*; ergo &c. Bafilius can. 51. rationem reddens hujufce *confuetudinis*, ait, quia iis *unum fupplicium* decerni debet, quod eft *a facris Myfteriis amoveri.* Hinc can. 10. edito a S. Petro Alex. an. 306. in Bibl. Patrum ftatuitur: *Ut Clerici lapfi minifterio fuo fpolientur, & contenti fint laica communione.* Optatus l. 2. c. Parm. ait nulli clericorum poft thurificationem fuiffe manus impofitas: redarguens Donatiftas, qui eas imponebant clericis lapfis: quod etiam reprehendit S. P. l. 1. de Bapt. c. 1.

Ob. I. In Epiftolis Cyp. 19. 52. 59. 64. & 68. recenfetur pœnitentia Felicis, Trophimi, Victoris, Fortunatiani, Bafilidis &c. qui erant facris ordinibus infigniti. II. Eufebius l. 5. H. E. c. ult. refert pœnitentiam Natalii, & alterius Epifcopi a fchifmate Novat. III. Idem prob. ex Optato, qui refert, Purpurium in ordinatione Cæciliani dixiffe: *Exeat nunc, quafi imponatur illi manus in Epifcopatu, & quaffetur illi caput de poenitentia.* IV. Item ex Can. 1. Neocæf. & 18. Illiber. ubi clericis mœchis imponitur pœnitentia; ergo &c. R. ad I. Ex Cypr. neque Felicem, neque alios pro fide exules pœnitentiæ fubjiciendos: *Eo quod maculam priftinam*

potiore

potiore virtute deleverint, Presbytero autem (si talis erat) eandem cum laicis subeundam pœnitentiam non asseruit. Trophimus *sic admissus est, ut laicus communicet*. Ep. 59. memorat *plenam pœnitentiam*, non ejus ritum. Ep. 64. Epicteto vetat: *Ne audeat sibi sacerdotium vindicare*. Basilidi etiam & Fortun. interdicit *Episcopatum gerere & Sacerdotium ministrare*.

Ad II. R. Natalem ad Zephirini pedes provolutum omnium commiseratione fuisse ad communionem admissum ex Eusebio ib. De Episcopo autem Novatiano ait S. Corn. ep. ad Fab. *Cui tamquam laico communicavimus*. Ad III. R. Quod Purpurius fuit Donatista, Donatistæ autem rebaptizabant, manumque imponebant, ad quam impositionem alludit Purpurius. Ad IV. neg. ant. Nam canon Neocæs. præcipit tantum, ut presbyter fornicarius extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur; idest pœnitentiam agat, non autem solemnem. Idem dicendum de can. IIlib. Præcipitur enim ibidem, ut clerici e gradu dejecti cum laicis communicent. Ceterum clericis pœnitentiam agendam, publicam etiam ad laicorum ædificationem, probabile existimo, non tamen canonicam & per gradus, sed ergastulo, degradatione, aliisque pœnis ab Episcopo statuendis.

Quæres. Quotuplex fuerit manuum impositio in publica pœnitentia. R. Cum Sirmondo & Albaspinæo fuisse multiplicem: I. cum lapsi ab Episcopo ad pœnitentiam admittebatur, ut constat ex Conc. Agathen. Toletano XI. & ex S. Leone in ep. ad Rust. II. In *Substratione*, & sæpe iterabatur, imo ex Carth. IV. *omni tempore jejunii a sacerdote imponebatur*. III. impositio est, qua pœnitentes expleto *substrationis* tempore quartum gradum subibant, quod absque absolutione Sacramentali, & reconciliatione factum non esse Petavius, & Merbesius demonstrant. IV. Impositio fiebat absoluta pœnitentia, qua majori reconciliatione accepta pœnitentes oblationi & corpori Christi participabant, unde hæc

manus impofitio appellatur abfolute reconciliatio. Hinc can. 78. Conc. Carth. IV. legitur: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariftiæ acceperint, non fe credant abfolutos fine manus impofitione, fi fupravixerint*, unde infertur, duplicem fuiffe reconciliationem, unam facramentalem, alteram canonicam & folemnem, non enim fine illa data fuiffet Euchariftia.

Quæres II. Quando, a quo, ubi, & quomodo fieret folemnis pœnitentium reconciliatio? R. ad I. in Romana Ecclefia, & in Occidentali factam effe fer. 5. maj. Hebd. ut conftat ex ep. Innoc. I. ad Decen. c. 7. ex can. 47. Cabillonen. II. &c. Ad II. R. A folo Epifcopo, & urgente neceffitate etiam a presbytero fieri potuiffe, ex can. 31. Carth. III. &c. Ad III. R. hanc reconciliationem olim factam in Romana Ecclefia *intra Abfidem*, ideft intra partem facræ ædis, in qua locatur altare proprio fornice convolutam. Ad IV. R. ex Sozom. l. 7. H. E. c. 16. ejus ritum defcribi, quo Pontifex obvius fit pœnitentibus, ufque ad Ecclefiæ oftium, eofque apprehenfa manu certis precibus reconciliat. Reconciliati vero fordidis veftibus, barba, crinibufque depofitis, mundis, nitidifque veftibus induebantur.

Quæres III. An publica pœnitentia poffet iterari? R. Negative. Ambrofius enim l. 2. de Pœn. c. 10. ait: *Sicut unum baptifma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur.* Et S. P. A. ep. 54. ad Maced. ait: *Locum humillimæ pœnitentiæ femel in Ecclefia concedi.* Hinc tamen non fequitur eos, qui iterum peccabant, privata pœnitentia numquam fuiffe reconciliatos, licet enim pœnitentia folemnis non iteraretur: *Ne medicina fieret contemptibilis*, ut ait ibidem S. P. A. incredibile eft tamen, lapfos in eadem, vel graviora crimina, poft peractam publicam pœnitentiam, ab omni fpe veniæ fuiffe dejectos.

CAPUT

CAPUT V.

De variis pœnitentiæ effectibus, & præsertim de revivifcentia.

Duodecim S. Bernardinus Sen. recenset, septem S. Thomas de Villan. quinque Scholastici, inter quos præcipuus est meritorum revivifcentia. Ubi nota, aliud esse opus bonum *mortuum*, aliud *mortificatum*: *mortuum* fit ab impio gratia sanctificante exuto, quod tamen, si fiat auxilio gratiæ *moventis*, licet non habitualis, omnino mortuum non est, quoniam per novæ vitæ propositum incipit homo vivificari, & credendo, sperando &c. ad justificationem disponitur. Opus mortificatum illud est, quod ab homine justo patratum, jus habet ad gloriam, sed superveniente mortali peccato, ab ea excidit, nec operis fructum consequitur, juxta illud Ezech. 18. *Cum averterit se justus &c.* Et Jo. ep. 2. *Videte, ne perdatis quæ operati estis.* Et Apoc. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* His prænotatis sit.

Propositio I. Pœnitentia novem fructus producit.

Prob. ex eorum enumeratione I. est *remissio peccati, & veniæ impetratio*, ex Is. 1. v. 18. Ezech. 18. Act. 2. & ex Trid. sess. 14. c. 1. II. est *liberatio, non solum a pœna æterna, sed etiam a temporali*, ex c. 10. prop. 1. & 3.: quod patet exemplo Ninivitarum, qui pœnitentiam agentes a patriæ subversione liberati sunt, *& conversione sua meruere indulgentiam*, ut ait Hieron. ad c. 4. Dan. III. est quod per eam *quis efficitur de corpore Ecclesiæ*, non quod omnis peccator sit extra Ecclesiam, nam hoc est hæreticum, sed quia per eam qui sunt ab ea hæresi aut schismate separati possunt ei copulari, & qui in ea erant tamquam membra mortua, vivificantur, & percipiunt fructus uberiores.

IV. est, quod per eam *restituitur homo ad dignitatem deperditam*, ut scribit Greg. M. in ep. ad Secund. lic. 7. Hinc tamen non sequitur eum, qui

ob censuram deperdidit usum Ecclesiasticæ dignitatis, acta pœnitentia posse eam exercere; sed tantum posse cum eo dispensari, juxta can. definitiones ex cap. *Quia sanctitas* de Pœn. dist. 1. n. 16. V. Est, quod per eam *redditur conscientiæ pax*, ex Trid. sess. 14. c. 3. VI. est, ut per eam *bona opera per peccatum mortificata iterum reviviscant*, ut infra videbimus. VII. est, ut per eam *restituantur virtutes omnes per peccatum deperditæ*, ex D. Thoma, aliisque Theol. Ubi nota, habitus fidei, & spei, qui etiam in peccatoribus perseverant, non restitui *absolute*, sed quoad perfectionem, formamque virtutis, virginitatem vero posse, quoad *formale*, seu quoad propositum vitandi venerea, non vero quoad *materiale*, idest quoad carnis integritatem, quæ ex Hieronymo *suscitari non potest post ruinam*. VIII. Pœnitentia habet & ipsa proprium meritum: nam contritio ad justificationem disponit, satisfactio temporalem pœnam avertit, & *quoties digne suscipitur, toties gratia augetur, & gloria*, ex D. Thom. de Villanova. IX. est, ut per eam *homo surgat ad ampliorem firmioremque virtutem*. Ut enim ait S. Maximus Taurinen. *Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deflevit.*

Propositio II. Bona opera peccato mortificata reviviscunt per pœnitentiam.

Prob. I. Lucæ 15. ex parabola de filio prodigo, qui ad patrem reversus annulo, ac priori stola exornatus est, qua significavit Dominus, pœnitentiam agenti gratiarum præcedentium ornamenta restitui. II. ex Ap. ad Gal. 3., ubi eos redarguens ait: *Tanta passi estis, sine causa, si tamen sine causa*: quæ verba PP. exponunt de meritorum reviviscentia, quam sperabat Apostolus, si Galatæ ad Evangelicam veritatem rediissent. III. Hebr. 6. ait Apost. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri*: ex quibus caput *Intermittentes*, quod Pauli verbis fabricatum est, de operibus meritoriis ait: *Hæc, sicut peccando fiunt irrita, ita per*

per pœnitentiam revivifcunt. II. Ex Trid. feff. 6. ubi ait, operibus, *quæ in Deo funt facta*, a juftificato, fi in gratia deceſſerit, *vitam æternam fuo tempore confequendam*, fed hæc opera in Deo funt facta; ergo &c.

III. Ex PP. nam Chryfoftomus in 3. ad Gal. exponens cit. verba ait: *Si volueritis expergifci, non fruftra vocati eftis.* Hieron. ib. ait: *Sicut priora fine caufa quis dicitur paffus dum peccat; fic rurfus non perdit ea, fi ad antiquum ftudium revertatur.* Et S. Anfelmus ib. *Sine caufa paffi eftis, fi in hoc errore perfeveretis, non fine caufa, fi refipifcatis.* IV. Accedit ratio. Nam bonis operibus ex Dei promiffione debetur merces, nifi quis accedente peccato ea fe reddat indignum; ergo fublata culpa ei merces debetur. Hinc S. P. Serm. 109. de Temp. ait: *Sententia mutata eft, non juftitia, quæ integra manet.* Deinde non minus eft efficax gratia, quam culpa, fed hæc tollit meritum præcedens; ergo illa rurfus inftaurat.

Ob. I. Ezech. 18. habetur: *Si averterit fe juftus a juftitia fua, omnes juftitiæ ejus non recordabuntur;* ergo &c. II. Peccatum mortale caritatem *habitualem* extinguit; ergo tollit jus ad gloriam, quæ in ea fundatur. III. Nec Adam peccator originalem juftitiam, nec virgo corrupta, nec innocens contaminatus integritatem potuit acquirere: ergo &c. IV. Peccata dimiffa per fubfequens peccatum non redeunt; ergo nec merita per pœnitentiam. R. ad I. dift. ant. Si perfiftat in iniquitate fua, conc. fecus, neg. Subdit enim Ezech. *Si averterit fe ab impietate fua, ipfe animam fuam vivificavit;* ergo recordabuntur juftitiæ, quas fecerat. Ad II. neg. conf. Gratia enim habitualis per pœnitentiam recuperatur, & per eam redit jus priftinum.

Ad III. neg. conf. Non eft enim eadem ratio de innocentia & virginitate, ac de merito: illa enim irreparabilem jacturam patiuntur, quippe fieri non poteft, ut qui peccavit, non peccaverit, & qui ali-

aliquid amiſit non amiſerit. Hoc tamen non valet de merito, quod bonis operibus tranſeuntibus perſeverat in juſto, & inſtauratur in pœnitente: ad meritum enim requiritur libertas, gratia ſanctificans, & divina promiſſio; recuperata ergo gratia, ac Dei promiſſione perſeverante, meritum redit. Ad IV. neg. conſ. & paritatem, de qua in ſequenti prop.

Propositio III. Peccata remiſſa per ſequentem culpam non redeunt, niſi *ſecundum quid.*

Not. Certum eſt actionem tranſeuntem peccati non redire, & eadem peccata ſpecie poſſe iterum admitti, atque poſt culpam remiſſam remanere temporalem pœnam, majorem carnis luctam, animique languorem. Quæritur ergo num idem peccatum redeat, quoad reatum damnationis æternæ, itaut ſi quis rurſus cadat, culpa dimiſſa ei iterum imputetur? Hoc ſenſu prob. Prop. I. Ex D. Proſp. qui ad 2. Obj. Gall. ait: *Qui in perditionem cadit, in originali peccato quod remiſſum eſt non damnabitur, qui tamen propter poſtrema crimina morte afficietur:* alias non tolleretur, ſed tegeretur originale peccatum, ſed tam actuale, quam originale deletur per pœnitentiæ lavacrum; ergo &c. II. Remiſſio peccati in eo ſita eſt, ut non ultra imputetur ad damnationem: alias non eſſet dimiſſum peccatum, ait Eſtius, ſed dilatum ſupplicium; ergo redire nequid quoad damnationis reatum.

III. In ea remiſſione applicatur nobis fructus paſſionis Chriſti; ergo ſolutum eſt debitum, quod peccando contraximus: ſed juſtus Deus nequit repetere debitum, pro quo pretium ſolutum eſt, & acceptatum; ergo &c. IV. Gelaſius apud Gratianum diſt. 10. de Pœn. ait: *Divina clementia dimiſſa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.* V. Inter bona opera per peccatum mortificata, & inter peccata dimiſſa hoc intereſt, quod illis ex Dei promiſſione, & juſtitia debetur merces, quæ ideo non confertur, quia obſtat culpa: contra

tra vero peccata remiſſione omnino abolentur, quia homini infunditur gratia habitualis delens peccati maculam : quare bona opera mortificata dicuntur, peccata vero remiſſa & deleta. Ex quibus objectio ultima propoſitionis præcedentis plane ſoluta eſt.

Prob. II. pars. Redire enim peccata dicuntur, *ſecundum quid.* I. Quia in peccatum relapſus iterum damnationi ſubjicitur. II. Quia Deus novis culpis provocatus novas pœnas infligit, quæ remiſſa culpa luendæ ſuperſunt. III. Quia culpæ remiſſio eam reddit acerbiori dignam ſupplicio. IV. Auguſtinus l. 1. de Bapt. c. 12. ſcribit: *Redire dimiſſa peccata, ubi fraterna caritas non eſt, apertiſſime Dominus docet de illo ſervo, quem cum inveniſſet debitorem decem millium talentorum, omnia dimiſit; ille autem conſervum ſuum, cum miſeratus non fuiſſet, juſſit eum Dominus reddere, quæ ei dimiſerat.* V. Redeunt denique peccata, quia quædam directe opponuntur remiſſionis beneficio, ut odium fraternum, apoſtaſia a fide, & Sacramentorum contemptus. Ex his facile omnia objecta ſolvuntur, quæ probare videntur oppoſitum.

CAPUT VI.

De aliis Sacramenti pœnitentiæ ritibus nondum explicatis.

Cum partes omnes hujus Sacramenti percurrere hucuſque pro virili ſtuduerimus, ſupereſt, ut de congruo, & decenti pro excipiendis confeſſionibus loco, tempore, ac habitu pauca dicamus.

Propositio. Confeſſiones, præſertim mulierum, audiendæ ſunt in loco patenti, non ante ſolis ortum, nec poſt ejus occaſum, & habitu ſacerdotali cuique proprio.

Prob I. pars. Ex c. 8. Concilii Colonien. anno 1280. celebrati, ubi legitur: *In locis obſcuris confeſſiones non audiant, nec extra Eccleſiam, niſi in magna neceſſitate, vel infirmitate.* Idem ſtatuit

Narbonen. Mediolanen. Rituale Rom. Sacramentale Ambr. &c. Quæ etiam præſcribunt, in Eccleſiis, non in ſacrario, audiendas eſſe confeſſiones laicorum, quod locus iſte non plebi, ſed ſacerdoti ſit deſtinatus. *Confeſſionalia* autem, ex Aquenſi Concilio, habere debent *laminam minutis foraminibus inſtructam*, & a parte Confeſſarii *velum nigri coloris*, appenſas interius tabellas caſuum reſervatorum, & exterius SS. Crucifixi imaginem.

Prob. II. pars ex Synodo Mediolanen. pag. 262. ubi legitur: *Sacerdotes, niſi ex cauſa neceſſaria, ante ſolis ortum, vel poſt ejus occaſum, confitentes non audiant.* Eadem habet Sacramentale Ambroſ. pag. 90. Prob. III. pars. Ex D. Franciſco Saleſio, qui in Inſtr. Confeſſ. c. 2. præſcribit ſacerdotibus *togam & ſuperpelliceum, ſtolam in collo, & pileum in capite.* Idem ſtatuit Rituale Rom. in quo additur: *Prout tempus, vel locorum fert conſuetudo.* Nam regulares Romæ ſtola tantum utuntur. Confeſſarii ſedere debent, ut poſtulat judicis miniſterium: at pœnitentes, licet olim humi ſederent, nunc tamen in Eccleſia Latina genuflectunt. Viri arma aut baculum, ex Ordine Rom. deferre non debent. Mulieres, ex Inſtr. S. Caroli, non utantur laſcivo capillorum, aut veſtium ornatu. Fucatas autem mulieres non audiendas docet ibid. S. Carolus, aliique. Finem huic libro cum Aug. faciam: *Quibus parum aut nimium eſt, mihi ignoſcant: quibus autem ſatis eſt, Domino mecum gratias agant.*

APPENDIX LIBRI XXXIV.

In quo peculiaris Eccleſiæ Orientalis diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ deſcribitur.

Quamvis accurata, ac diſtincta peccatorum omnium confeſſio ad aures ſacerdotis ſecreto facienda

da per pœnitentes, non ſecus ac pœnitentiæ canonicæ impoſitio, & abſolutio ſacramentalis, poſtquam etiam ſublata eſt publica pœnitentia, ſemper viguerit, & vigeat adhuc apud pleroſque Orientales; hæc tamen confeſſio, non flexis genibus, aut nudo capite ab illis pœnitentibus fieri ſolet ad pedes ſacerdotis, ut ſit apud nos, ſed operto capite & ſedendo, ut Allatius, Goarius, aliique teſtantur. Qui ſane ritus, ut olim obtinuit apud Latinos, ex Ordine Romano, Alcuino, aliisque Ritualibus libris apud Martene, ita etiamnum ſervatur apud Æthiopes, teſte Jo. Botero in ep. ad Cardinalem Carafam. Verum ea praxi, tantum abeſt ut penes Orientales aliquid reverentiæ, aut debitæ ſubmiſſionis erga hoc ſacramentum detractum fuerit, quin potius obſervat Morinus, poſtquam etiam priſcus ille pœnarum rigor remiſſus eſt, hæc duo tamen ex veteris diſciplinæ rigore penes illos intacta inviolataque remanſiſſe, humilitatem nempe, qua pœnitens, quantavis dignitate polleret, ad ſacerdotem accedere tenebatur & morem laudabilem, quo pœnitentes ob quædam crimina & inquinamenta, etiam naturalia, in foro tantum conſcientiæ cogebantur e Templo ſecedere, atque in Narthece ſubſiſtere tempore Sacrificii Miſſæ, cum aliis intereſſe conceſſum eſſet divinis officiis.

Porro pœnitentiæ canonicæ rigorem emollivit Jo. Jejunator, qui ea de re nimiæ indulgentiæ circa finem XI. ſæculi fuit accuſatus a Concilio Conſtantinopolitano, atque ab Harmenopulo, qui eodem ſæculo floruit, aut paulo poſt. Unde Leo Allatius l. 3. Concord. c. 9. ait: *Pœnæ pœnitentibus impoſitæ mitiores multo nunc ſunt, quam erant antea. A Joanne enim Neſteuta antiquus ille pœnarum rigor remiſſus eſt, licet id alii inter eos non probent.* Et Goarius pag. 697. ſic Græcorum diſciplinam deſcribit: *Patres ſpirituales ſedentes pœnitentes pro exomologeſi audiunt. Si leves, & venia dignas* *culpas*

culpas deprehenderint, nullam adhibent solutionem; sed de pio quodam opere exercendo monitum amice reddunt: si lethifera crimina detegunt, illa in Nomocanone juxta se posito examinant, censurarumque districtioni, prout legunt, cuncta subjiciunt, & tandem pœnitenti bene precantur ... Peccata tandem cuncta ad canonum rigorem examinata pœnis in eis perlectis castigant & emendant. Proptereaque pœnitentiam impositam, ut canonibus præscriptam solent ipsi κανόνα vocitare. Et post pauca: *Publica pœnitentia nulli licet amplius imponatur, aliquos tamen confessione expiatos a sacra communione per annum, vel plures quandoque arcent. Hi non ita plane reconciliati privationem Eucharistiæ panis Eulogici, communionis vices supplentis, sumptione solantur, & sanguinis Domini sumendi locò, aquam in Teophaniis benedictam, diacono eam porrigente, communionis diebus summa cum religione hauriunt: & tandem oratione super eos recitata ex integro Ecclesiæ reconciliantur.*

Hujus canonicæ pœnitentiæ meminere etiam Nicephorus Carthophylax, Simeon Thessalonicensis, Gabriel Philadelphiensis, Germanus Amathuntinus, Neophytus Rodinus Cyprius, HieremiasPatriarchaConstantinopolitanus,necnon Dionysius Barsalibi, Michael Patriarcha Antiochenus, aliique Syri, & Cophtici scriptores, eamque summopere commendarunt.

Ubi vero disciplina isthæc fuerit immutata, ac mos obtinuerit, ut pro lubitu Confessarii pœnitentiæ imponantur, ut fit apud Latinos, non tenentur sacerdotes juxta canones illos pœnitentias imponere; ad id tamen tenentur, ubi viget canonum observantia. Sic enim exercere debent acceptam ab episcopis jurisdictionem, ut Ecclesiæ legibus obstringantur declarare pœnitentibus, quos absolvunt, pœnam singulis criminibus designatam. Quemadmodum in Ecclesia Latina tenetur confessarius declarare pœni-

pœnitenti pœnam, ex. gr., irregularitatis, vel ſuſpenſionis, quam ob patratum aliquod crimen occultum incurrit. Pœnæ autem hujuſmodi tres præſertim numerantur. I. eſt Euchariſticæ communionis privatio: Cum enim ſcopus præcipuus canonum pœnitentialium eſſet, ne cuiquam indigno Euchariſtia præberetur, hinc factum eſt, ut etiam poſt abſolutionem S. Synaxim quam longiſſime differrent. II. eſt jejuniorum præſcriptio, ſeu ciborum abſtinentia. III. eſt orationum diebus ſingulis recitatio: quæ omnia Epiſcoporum auctoritate augeri poſſunt, aut minui. Solent autem Epiſcopi *diplomata quædam concedere a pœnis, & canonibus non plene adimpletis pœnitentes eximentia, quæ indulgentiarum vices obtinent apud Græcos*, ut obſervat Goarius pag. 680.

Quæ hucuſque producta ſunt laicorum pœnitentiam præcipue reſpiciunt. In clericorum vero pœnitentia tria ſunt ſedulo animadvertenda. I. Clericum pœnitentem teneri promittere confeſſario, ſe ab officio ceſſaturum, ſi crimina confiteatur, quæ canones depoſitione, aut ſuſpenſione caſtigant. II. clericum ita depoſitum communione Euchariſtica non privari. III. Eandem pœnam incurrere clericum, ſi ſciens prudenſque permiſceatur adulteræ uxori ſuæ, aut hanc ita pollutam nolit dimittere. IV. Ab officio deponitur etiam clericus, qui propriam habens uxorem, cum aliena peccaverit, ut patet ex ordine a Joanne Jejunatore conſcripto, ubi hæc leguntur: *Sacerdotes, & Epiſcopi, & Diaconi, qui in gradu ſunt, ad confeſſionem ſuſcipiendi non ſunt, niſi ſecuritatem eorum confeſſoribus fecerint, quod ſi alicujus criminis rei ſunt, quod eos a ſacris ordinibus exercendis prohibeant, non amplius ſacris miniſtrare audebunt. Nihil autem abdicat ſacerdotem ſacerdotii functione, niſi alteri mulieri, præterquam ſuæ, miſceatur.*

Hic plane erat mos Græcæ Eccleſiæ initio VII. ſæculi, qui adhuc viget

viget in Ecclesiis nonnullis; licet episcoporum indulgentia canonum rigor sit aliqua ex parte temperatus. Reapse Archiepiscopus Trapezuntinus a Morino ipso rogatus *de praxi hodierna in clericum, in carnis vitium lapsum*, respondit: *Si crimen publicum est, aut publice probatum, licet semel perpetratum, Clericus deponitur. Si accusatus, sed non convictus, se se jurejurando purgat, tum communione fruitur. Si crimen occultum confessione secreta sacerdoti aperit, semel hisve condonatur; tertia vice a sacro ministerio cessare severe injungit spiritalis pater: nec aliter, quam si cessaturum promiserit, absolutionem concedit.*

Ex quibus evincitur confessarios Græcæ Ecclesiæ, ne dum posse, sed etiam teneri canonicam pœnitentiam lapsis clericis imponere, quæ apud Græcos plerosque adhuc viget, nec posse pœnitentes presbyteros eandem rejicere, vel non exequi, ut nonnullis Theologis, nullo satis solido fundamento subnixis, visum est. Græci enim suum habent jus canonicum, quod collectione canonum, qui apud eos sunt in usu, continetur, & cui ut legi Ecclesiæ subjiciuntur: ubi ergo viget consuetudo supra laudata, non possunt Græci presbyteri canonicas pœnitentias rejicere, aut illas non exequi: sicuti presbyter Latinus, qui per homicidium occultum in irregularitatem incurrisset, deberet a sacro cessare, nec posset absolvi, nisi sponderet confessario a sacro ministerio abstinere, donec ab ea censura esset legitima auctoritate solutus.

Quod spectat ad formam, qua utuntur Orientales in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, testatur Arcudius l. 4. c. 3. hanc formulam jamdiu obtinuisse, nimirum: *Divina gratia Sancti Spiritus per me peccatorem, & minimum servum tuum habet condonata quæcumque peccasti.* Ex Rituali Metropolitæ Chioviensis sacerdos hæc verba proferre debet: *Ego quoque pater tuus spiri-*

ſpiritualis poteſtate mihi a Deo, & a ſuperioribus meis conceſſa, te abſolvo ab omnibus peccatis tuis. Græci Calabri, Apuli, & Siculi hanc formam adhibent: *Ego vero condono tibi omnia peccata tua. In nomine Patris* &c., vel iſta: *Inſuper ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque coram Deo, & mea indignitate confeſſus es. In nomine &c.*, quas duas formulas Græce & Latine ex Goario pag. 678. producit cl. Auctor. tom. 8. pag. 140. & 141. Hanc autem formam indicativam a Concilio Florentino præſcriptam, hac noſtra ætate adhibere Ruthenos ferme omnes, quidam Rutheni monachi teſtati ſunt.

Eadem forma utuntur, Galano teſte, præter Armenos, Syri Maronitæ, Chaldæi, aliique Orientales, ſi paucos excipias, quorum forma his verbis exprimitur a Gabriele Philadelpho de Sacramento Pœnitentiæ c. 8.: *Gratia SS. Spiritus per humilitatem meam habeat te condonatum, & abſolutum.* In quodam Officio, quod Goarius latine vertit, in quo pœnitentiario modus adminiſtrandæ pœnitentiæ præſcribitur, leguntur orationes ſequentes: *Quæcumque tenuiſſimæ humilitati meæ narraſti, & quæcumque exprimere non valuiſti, condonet tibi Deus in præſenti, & in futuro.* Et infra: *Ipſe Deus per me peccatorem in præſenti, & in futuro ſæculo tibi parcat.* Quæ forma, ait Goarius, quamvis *deprecativa prima fronte appareat, abſoluta nihilominus his dictionibus*, διὰ ἐμȣ̃ *per me, redditur: auctoritatem a Deo acceptam, quam prius miniſter memorat, reo pœnitenti applicat, & indulgentiæ divinæ inſtrumentum, & cauſam ſubordinatam ſe prædicat.* Ex quibus magis, magiſque firmatur clariſſimi Auctoris ſententia, qui tom. 8. p. 137. opinatur, aperte non evinci viguiſſe olim, ſive apud Latinos, ſive apud Græcos formam Sacramentalis abſolutionis deprecativam.

De miniſtro hujuſce Sacramenti quæri ſolet, an

an in diœcesi, ubi permixti sunt Latini cum Græcis, vel utrique cum aliis diversi ritus, possit Latinus Græco, & vicissim confiteri. Et quidem in casu necessitatis dubium non est posse presbyterum quemlibet, etiam diversi ritus absolvere, ex Constitutione *Etsi Pastoralis* §. 5. de Pœn. n. 5.: ubi etiam præscribitur presbyteris, *ut forma absolutionis in Concilio Florentino præscripta utantur: postea vero, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere consueverunt.*

Certum est etiam missionariis Latinis cujuscumque ritus quemlibet licite confiteri, etiam extra casum necessitatis, cum ii ab Apostolica sede habeant auctoritatem in locis missionum, & in episcoporum subsidium mittantur. Merito ergo sacra Congregatio de Propaganda Fide anno 1645.: *Mandavit moneri Patriarcham Maronitarum, qui excommunicationem ferre* ausus est, *in præjudicium jurisdictionis Apostolicæ Sedis, in Maronitas, qui Sacramenta recipere voluerunt a Missionariis ejusdem S. Sedis.* Hinc potest episcopus Latinus, si in sua diœcesi habeat sacerdotes Græcos, vel alterius ritus, eos probare, & præficere confessionibus etiam Latinorum audiendis, ut liquet ex laud. Const. n.6.

Possunt etiam pœnitentes diversi ritus presbyteris hujusmodi ab episcopo approbatis licite confiteri. Romæ enim, & alibi, Græci, Rutheni, Armeni, Syrii &c. Latinis presbyteris diversi ab iis ritus communiter confitentur: quam consuetudinem S. Congregatio S. Officii probavit die 5. Decembris anno 1715., & Sacra Congregatio de Propaganda Fide an. 1630. Ubi vero plures sunt episcopi, qui in solos homines proprii ritus jurisdictionem habent, ut Aleppi, ubi episcopus Græcus, nonnisi Græcis, Syrus, nonnisi Syriis præest &c. Si ibi episcopus limitatam facultatem concedat ad audiendos fideles proprii ritus, non poterit Confessarius alios

diver-

diversi absolvere. Secus dicendum, si facultas non sit limitata, aut lex peculiaris, aut consuetudo, ad pacem servandam, id non prohibeat. Sicut enim subditi unius dioecesis sacerdotibus alienæ dioecesis rite confitentur, & a peccatis solvuntur; sic possunt fideles ab homine diversi ritus sacramentalem absolutionem rite suscipere.

PARS ALTERA

DE EXTREMA UNCTIONE, DE ORDINE, AC MATRIMONIO.

Cum in superiori hujusce voluminis parte de Confirmatione, Eucharistia, ac Pœnitentia distinctis libris, ac peculiaribus dissertationibus fuerit pro virili disputatum, reliquum est, ut ea quæ supersunt saluberrima Sacramenta in hac secunda parte breviter percurramus: quam quidem, non secus ac primam, tribus libris complectimur. Quorum primus, servato auctoris Ordine XXXV. erit de Extrema Unctione, alter, seu XXXVI. de Ordine, postremus, nempe XXXVII. de Matrimonio verba faciet.

LIBER XXXV.

De extrema Unctione.

Optime monet Trid. Synodus sess. 14. extremam Unctionem, nedum pœnitentiæ, sed totius Christianæ vitæ *confirmativum* a PP. appellari; merito ergo post Pœnitentiam recto ordine locari debet. Pluribus autem nominibus a Latinis Græcisque extrema Unctio appellatur in Pœnitentiali Theod. in Decr. Ivonis, in Capitulari Caroli M. & apud Arcudium, Allatium &c. Dicitur enim: *Sacramentum exeuntium, Unctio sacrati olei &c.* A

Græcia

Græcis vero: *Sanctum oleum*, *Postrema unctio &c.* Definitur autem: *Sacrum ac mysticum signum a Christo institutum, quo per unctionem olei benedicti & orationem baptizatis ægrotantibus confertur gratia sanctificans, ut morbum æquo animo ferant, frangantque dæmonis insidias, & si expediat, a languore sanentur.* De hoc autem Sacramento agemus duabus dissertationibus, in quarum I. De ejus existentia atque essentia, in II. De ministro, ac subjecto verba fient.

DISSERTATIO I.

De existentia, atque essentia Sacramenti extremæ Unctionis.

Ad essentiam, atque existentiam hujus Sacramenti spectant variæ, quæ de eo instituuntur controversiæ: num scilicet hæc unctio si verum ac proprium Sacramentum novæ legis, & a Christo institutum. Quænam sit ejus materia proxima, quænam vero remota; quæ tandem ejus forma, ubi variæ circa ipsam quæstiones scholasticæ expendi solent.

CAPUT I.

An extrema unctio sit verum ac proprium novæ legis Sacramentum.

Not. I. Negant Lutherus, & Calvinus dicentes, Christi discipulos per unctionem (Marc. 6. & Jac. 5.) solam corporis salutem fuisse operatos: adeoque miraculorum dono cessante, hanc etiam unctionem exolevisse. Unde Calvinus *Sacramentum fictitium* illud appellat. His consentiunt Kemnitius, Dallæus, & omnes posteriores hæretici, qui in Apostolis duplicem potestatem distinguunt, nempe ordinariam, seu *verbi* annuntiandi potestatem, & extraordinariam, seu miraculorum: & hanc defiisse, illam superfuisse asseverant. Alii vero ajunt quidem unctionem illam perseverasse, sed verum sacramentum non esse.

Not.

Not. II. Licet Bellarminus afferat, Valdenfes, & Wiclefitas hoc Sacramentum negaffe, non defunt tamen viri docti, qui eos feptem novæ legis Sacramenta agnoviffe demonftrent. Nam Valdenfes id profeffi funt in confeffione fidei ad regem Uladislaum: Wiclefus vero nequit hujus erroris aperte revinci. Orta eft hæc opinio, ex quo hæretici illi hoc Sacramentum contempferint, quod presbyteri, ex avaritia, divites tantum facro oleo inungerent; unde illud dixere: *Ultimam fuperbiam.* Huffitæ etiam, non fecus ac Valdenfes, ad Ecclefiam redeuntes interrogandi erant, an crederent peccare lethaliter Chriftianum, qui contemnit *fufceptionem extremæ unctionis;* ifti ergo hæretici extremam Unctionem fpreverunt, non negarunt.

Not. III. Catholicam veritatem, nedum ex Catholica Jacobi epiftola, fed etiam ex Marci 6. demonftrari putant Catharinus, & Maldonatus, aliique Patres, ac Theologi clariffimi. Negant tamen Eftius, Sylvius, & Bellarminus, qui negantem fententiam fe tueri ait, eo quod affirmantem amplexi fint Lutherus, Calvinus, & Kemnitius: qua de re merito a Launojo reprehenditur, cum eandem fententiam tueantur, præter Alphonfum a Caftro, & Thomam Valdenfem, etiam alii, quos fibi adverfari Bellarminus non diffitetur. Unde Trid. Synodus feff. 14. c. 1. confulto quæftionem illam, an apud Marcum, & Jacobum æque fermo fit *de Unctione Sacramentali*, difputantium arbitrio reliquit, ut infra videbimus. His prænotatis fit

Propositio I. Ex Jacobi epiftola invicte demonftratur extremam unctionem effe verum Sacramentum.

Prob. Ibi enim legitur: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclefiæ, & orent fuper eum ungentes eum oleo, & oratio fidei falvabit infirmum, & fi in peccatis eft, remittentur ei:* fed ibi habetur *materia & forma* in unctione, & oratione, habetur etiam Chrifti inftitutio vel mediata, vel immediata:

non enim Jacobus toti Ecclesiæ *catholicæ*, hoc est *universali*, epistola ritum præscripsisset, nisi illum a Domino accepisset: habetur etiam effectus Sacramenti in illis verbis: *Oratio fidei salvabit infirmum &c.* quibus ostenditur, hac unctione peccati reliquias abstergi, ægrum alleviari, ut morbum ferat, & tentationibus resistat, & sanitatem, si expedit, consequatur. Merito ergo Trident. ibidem Novatorum sententiam anathemate percussit.

Ob. I. novatores: Jacobi epistola non est canonica; ergo &c. R. neg. ant. Licet enim hæc epistola non statim ab initio Ecclesiæ exploratam habuerit auctoritatem, eam tamen *paullatim obtinuit*, ut aliis quibusdam libris canonicis contigit, quos nemo, nisi impudenter, rejiceret. Nam inter divina testimonia afferuntur ejus verba in epistola Clementis Papæ ad Corinth. teste Blanchinio. Eodem loco habentur ab Innocentio I. Gelasio, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Aug. Fulgentio, & a PP. universis. Accedunt Canones Conciliorum, Laodiceni, Carthaginen. Milevitani, Arausicani II. & Tridentini. Adde Græcos PP. Origenem, Cyrillum Jerosolym. Athanasium, Epiphanium, & Gregorium Nazianz. quorum loca citat cl. Auctor. Deinde rejiciunt hanc epistolam Novatores, quia in ea dicitur: *Fides sine operibus mortua est*, cum Rom. 3. habeatur: *Justificari hominem per fidem sine operibus*, sed hoc futile est, & a nobis c. 5. libri 19. refutatum; ergo &c.

Ob. II. In hac epistola Jacobus inducitur ut institutor & auctor hujus Sacramenti; ergo vel hæc unctio non est Sacramentum, vel Jacobus sibi auctoritatem Christi usurpat. R. neg. ant. Non enim hujus Sacramenti institutor, sed promulgator Jacobus putandus est ex Tridentino, qualis etiam putatur, dum præcepta orationis, eleemosynæ &c. proponit: quæ sane non sunt hominis inventa, sed Dei documenta. Adde, hinc sequi unctionem illam neque spectare ad gratiam, sive ad donum curationum,

num, ut contendunt novatores, quia neque donum hoc poterat Jacobus unctionis ritui sua virtute alligare.

Ob. III. Duo proferuntur a Pontificiis pro sua sententia: I. est illud Marci 6. *Ungebant oleo multos ægros*, II. illud ep. Jacobi c. 5. *Infirmatur quis in vobis &c.* Sed primum a Bellarmino, aliisque rejicitur, secundum a Cajetano in Comment. in eandem epistolam; ergo &c.

R. I. retorq. argumentum. Omnes enim Pontificii aut ajunt, apud Marcum simul & Jacobum agi de unctione Sacramentali, aut docent, Marcum loqui de unctione instituta ad sanandos ægros, quæ sacramentalis unctionis erat symbolum: a Jacobo autem agi de ipsa Sacramentali unctione apud Marcum insinuata; ergo Pontificii, uno excepto Cajetano, docent ibi agi de vero Sacramento. Cajetani vero momenta, utpote *Augustini ac D. Thomæ doctrinæ, necnon aliorum DD. & Ecclesiæ traditioni* contraria, nullo negotio refelli ait Ambrosius Catharinus in Adnot. ad Cajetani Comm. pag. 464. R. II. Non eandem esse de utroque testimonio rationem: quod enim Marci 6. sermo fiat de unctione extrema, non est adeo exploratum, ut salva fide negari nequeat, ut negatur a Bellarmino; sed non ita fas est opinari de altero testimonio, quod omnes, excepto Cajetano, de Sacramento accepere. Excusatur tamen ab errore Cajetanus, & quod ante Tridentinum scribenti quædam incaute exciderint, & quod asserat id probari ex traditione, quod ex Jacobi epistola negat ostendi.

Ob. IV. Unctio, de qua Jacobi ep. ad ægros spectat, non ad Sacramenta: imo nec ad ritum sacrum, postquam donum sanationum cessavit; ergo &c. Prob. ant. I. habetur enim ibi: *Oratio fidei salvabit infirmum*, Græce σώσει τὸν κάμνοντα, non ἁμαρτάνοντα: *Salvabit ægrotantem*, non ait: *Salvabit peccantem*; ergo &c. Deinde frustra ibi Apostolus

meminisset morbi, si ageret de spiritali salute. II. ibi habetur ἐγεῖϱαι, quod significat tantum sanitatem corporis restituere, ut Matth. 8. de socru Simonis e febri sanata legitur ἠγέϱθη *surrexit &c.* III. ex orationis contextu patet ibi agi de sanatione corporis iis verbis: *Salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Deinde de sanatione animæ agitur in sequentibus: *Et si in peccatis est &c.*

IV. Nec sequitur Jacobum agere de Unctione Sacramentali, ex quo spiritalem quoque sanationem commemoret. Hæc enim fidei, non Sacramento refertur, unde verba illa: *Fides tua te salvam fecit, confide* &c. Sic enim Christus primo morbos corporis levabat, postea animæ. V. Verba illa: *Si in peccatis est &c.* significant: *Si peccando contraxit morbum*, qui sæpe peccati pœna est; ergo ad eam removendam unctio illa est ordinata, alias non hypotheticam, sed absolutam locutionem Jacobus adhibuisset, si hæc unctio ad peccati remissionem esset instituta.

R. ad I. neg. ant. Nam hoc Sacramentum, ex can. 48. Synodi Cabilonen. an. 813. *Animæ, & corporis medetur languoribus*: quorum prior effectus, utpote notior, prius commemoratur in epistola Jacobi, a Trid. vero posterior, rationem habendo effectus nobilioris. Ad I. prob. neg. cons. Licet enim σῶσαι, & ἐγεῖϱαι ad sanitatem corporis referantur: at quod sequitur: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, non ad corporis, sed ad animi ægritudinem referri debet. Non secus ac verba ista: *Alleviabit eum Dominus*: hæc enim unctio, ut ait Trid. *ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando.* Reapse corporis salus his verbis: *Oratio fidei* &c. continetur; quid ergo opus erat eundem effectum iterum recensere? Ad II. neg. ant. Nam ἐγείϱειν spiritalem effectum designat Luc. 1. ἤγειϱε κέϱας σωτηϱίας ἡμῖν, *erexit cornu salutis nobis.* Item Rom. 13. Eph. 3. &c.

Ad

Ad III. vide R. ad I. Ad IV. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Oppositum enim evincitur ex laudatis verbis ad Paralyticum: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, quæ dicta sunt longe ante illa: *Surge, & ambula.* Hinc Chrysostomus in hunc locum ait: *Primum ei peccata dimittit, tum a morbo liberat.* Ad V. R. Locutionem hypotheticam sæpe rei appositionem exprimere, ut Jac. 1. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo*, ubi sensus est: *Cum quisque vestrum sapientia indigeat* &c. Adde, particulam *Si* non cadere super τὸ *remittentur*, sed super τὸ *sit*, unde non recte inde infertur, quoad peccati remissionem, ambiguitas effectus.

Ob. V. Unctio Catholicorum longe distat a Jacobea; ergo &c. Prob. ant. I. enim Jacobus commendat unctionem faciendam ægris, queis spes salutis affulget, illi in mortis articulo inungunt. II. Illa profuit ob *orationem*, & *fidem*, hæc ex vi Sacramenti. III. Illa corporeos morbos, hæc spiritales depellit. Nec salutem corpoream exprimit, aut producit *forma* Catholicorum; ergo &c. R. neg. ant. Ad I. prob. neg. ant. Nam Catechismus Romanus p. 2. c. 6. docet, eos graviter peccare: *Qui tempus ægroti ungendi observare solent, cum omni salutis spe amissa vita & sensibus carere incipat* (1). Ad II. neg. ant. Nam *Oratio fidei* ibidem non est fides ægrotantium, aut ministrorum, sed *forma Sacramentalis*, quæ dicitur *oratio fidei*, ut forma Baptismi dicitur: *Verbum fidei*, ut l. 30. c. 11. dictum est. Adde, non posse hoc argumentum urgeri a Novatoribus, qui negant Sacramenta *ex opere operato gratiam producere.* Ad III. neg. ant. Non enim ad essentiam formæ spectat cujusque effectus recensio, ut constat ex forma Baptismi, & Eucharistiæ. Fatemur autem hac unctione non semper restitui corporis sanitatem: *Quia non semper utilis est*, ait

 Gui-

(1) Vide hac de re monitum Const. Syn. Auxim. ann. 1593. de hoc Sacr. c. 1.

Guilelmus Antisiodoren. l. 4. *sed digne eam suscipiens remissionem peccatorum consequitur, quia semper utilis est.*

Propositio II. Ex traditione demonstratur sacram Unctionem esse verum Sacramentum.

Prob. I. Ex Patribus. Origenes, qui floruit ad ann. 220. Hom. 2. in Lev. ait: *Est autem per pœnitentiam remissio peccatorum. In quo impletur & illud: Si quis infirmatur, vocet presbyteros, & imponant ei manus unguentes eum oleo, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Chrysostomus ad ann. 382. l. 3. de Sacerd. ait: *Neque solum cum nos regenerant, sed postea etiam, condonandorum peccatorum facultatem habent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accersat presbyteros Ecclesiæ* &c., ubi nota, Chrysostomum prius loqui de remissione per actum judicialem, & absolutionem, postea per unctionem Sacramentalem: ac de I. producit locum Matth. 18., deinde Jacobi textum. Innocentius I. an. 416. in epist. ad Decentium pag. 384. ait: *De fidelibus ægrotantibus* (non sanis, ut Græci solebant) *accipi debere, quod sancto oleo chrismatis perungi possunt.* II. Addit, non esse ambigendum, *posse Episcopum benedicere, & tangere chrismate, cujus est ipsum chrisma conficere: quodque presbyteris licere non dubium est.* III. ait: *Pœnitentibus infundi non posse, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Ubi Innocentius Unctionem commemorans, de vero ac proprio Sacramento loqui dubium non est: Nam & *genus Sacramenti* vocat, & aliis comparat Sacramentis, quæ negabantur publicis pœnitentibus. Nec est cur putes, *unctionem chrismatis* accipi ab Innocentio pro Sacramento Confirmationis, nam c. 3. scripserat hanc baptizatis omnibus administrari a *Pontificibus solis*, hic autem ait: *Dubium non esse hoc licere presbyteris.* Chrisma ergo Innocentii est chrisma infirmorum, quod apud veteres simpliciter chrisma dicitur, cum *chrisma prin-*

principale dicatur oleum balſamo permixtum. Ex Auguſtino plura teſtimonia producit Torrenſis, ſed ei omnia abjudicantur, præter illud, quod habetur in *Speculo*, de quo ſupra. PP. vero, qui ſequentibus ſæculis floruere, profert Launojus de extrema Unctione cap. I.

Prob. II. Ex Conciliis. Cabilonenſis anno 813. can. 48. ait: *Secundum B. Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum conſonant, infirmi oleo a presbyteris ungi debent, quæ medicina animæ corporiſque medetur languoribus.* Eadem habet Aquiſgranenſe, Nannetenſe, necnon generale Conſtantienſe, quod ſtatuit: *Eum, qui hoc Sacramentum contemnit, peccare mortaliter.* Florentinum in Decreto Unionis extremam unctionem inter Sacramenta recenſet. De Tridentino dictum ſupra. Cum ergo hæ Synodi non invexerint hoc Sacramentum, non aliunde quam ab Apoſtolis, ex nota Tertulliani regula, accepere; alias Patres, qui ad eas convenere, fidem Eccleſiæ ſuæ iis objeciſſent, nec paſſi eſſent ſacrilegam ceremoniam ſibi obtrudi.

Prob. III. Ex conſuetudine Eccleſiarum. De Romana conſtat ex Pontificali, & Rituali Romano. De Græcis ex Euchologiis Goarii, ex Epitome Gregorii Protoſyncelli, ex cenſura Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani &c. Vide libri 30. c. 5. ubi diximus etiam Cophtos, & Jacobitas hoc Sacramentum agnoſcere.

Ob. I. de hoc Sacramento altum eſt ſilentium in ſcriptis veterum Patrum; ergo &c. Prob. ant. Non enim ejus meminit Auctor Conſt. Apoſtol. nec Areopagita, nec Cyrillus Jeroſol. nec alii de ſacris Ritibus expreſſe tractantes. II. Origenes, & Beda Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis &c.* exponunt de pœnitentia. III. Nec obſtat Innocentii I. reſcriptum ad Decentium: cur enim is de re communiter explorata dubitaſſet? IV. Epiphanius, & Auguſtinus infirmorum unctionem enumerant inter Heracleonitarum deliramenta; ergo &c. V. Unctio

illa, quæ a veteribus uſurpata eſt, non erat Sacramentalis, ſed ceremonialis, a laicis quoque, & fœminis adhibita, per fidem impetrans ſanationes; fruſtra ergo ex ea conflarunt Romanenſes Theologi hoc fictitium Sacramentum.

R. Tranſeat ant. Nam, & plures Patres illius meminere, & potuit in Eccleſiæ praxi perſeverare Chriſti inſtitutio. Ad I. prob. vide Auctorem tom. 6. pag. 71. ubi de ſilentio veterum PP. Adde in Conſt. Clem. Oleum cum hac prece benedici: *Da vim effectricem ſanitatis, dæmonum fugatricem, omnium inſidiarum profligatricem:* quæ omnia *oleo infirmorum* conveniunt. Dionyſius agit de officiis Hierarchicis, non de ſingulis Sacramentis; Cyrillus vero ea exponit, quæ ſpectant ad nuper illuminatos.

Ad II. diſt. ant. Exponunt de pœnit. quoad graviora peccata, conc. quoad leviora, ſeu peccati reliquias, neg. Vult ergo Origenes *pœnitentia laborioſa*, & *confeſſione* ſacerdoti facta deleri graviora peccata, leviora autem etiam unctione, de qua Jacobus Apoſt. & quæ eſt quædam pars pœnitentiæ: explicat enim quot modis peccata remittantur inter quæ efficatioria remedia deſcribit, nempe Baptiſmum, Pœnitentiam, & extremam Unctionem.

Beda autem in 6. Marc. unctionem hanc aperte Sacramentum agnoſcit, laudat Innocentii decretum, ac docet ægros presbyterorum unctione, & oratione ſanari; addens ergo infirmis peccata non dimitti ſine *confeſſione emendationis*, oſtendit, per eam unctionem ſolvi peccatorum reliquias, non graviora peccata. At qua fronte hæc objiciunt novatores, qui ſacram Confeſſionem ibi laudatam pugnant? Ad IV. neg. ant. Ibi enim improbant Epiphanius, & Auguſtinus Heracleonitas, qui ſeſe inungebant magica quadam Marci præſtigiatoris cantilena, non catholicorum unctionem, quam præſertim Auguſtinus commendat in *Speculo* part. 1. tom.

tom. 3. pag. 813. ed. Maur. Ad V. neg. conf. Distinguenda est enim unctio illa ceremonialis a Sacramentali, ut Baptismi lavacrum a lustralis aquæ aspersione secernitur.

CAPUT II.

An Marci 6. v. 13. sermo sit de Sacramento extremæ unctionis.

Non desunt catholici, qui ex loco laud. censent hoc Sacramentum posse saltem probabiliter demonstrari, ut præcedenti cap. dictum est. Sit ergo

PROPOSITIO. Probabile est Marci 6. mentionem fieri unctionis Sacramentalis; non tamen fide exploratum.

Prob. I. pars. Auctoritate theologorum. Fatetur enim Bellarminus id sentire a Castro, & Valdensem, queis addit Tournelyus, Catharinum, & Maldonatum, nos vero D. Thomam, Scotum, Mastrium, necnon Du-Hamel, Vanroy, Juenin. Prob. II. ex PP. Nam Victor Antiochenus in Catena Gr. apud Possevinum p. 125. ait: *Adhibitam unctionem olei Marcus memorat, cui consentanee Jacobus in Catholica scribit: Infirmatur &c. Significat olei unctio misericordiam a Deo, morbi curationem, & illuminationem cordis*; ergo tam Marcus, quam Jacobus eandem unctionem commemorant. Theophylactus in Marc. p. 218. edit. Morell. ait: *Quod unxerint oleo Apostoli solus Marcus narrat, quod & Jacobus in Catholica Epistola dicit.* Eadem ferme verba habet Euthymius in Marc. Oecumenius in ep. Jac. ad ea verba: *Ungentes oleo*, ait: *Hoc etiam faciebant Apostoli vivente Christo, ungentes ægrotos oleo & sanantes.* Alii PP. his non opponuntur: interpretes enim, qui Marci locum exponunt de unctione ad solos morbos corporis leniendos, nullum PP. textum laudarunt, & si quis posset produci, idem de Sacramento unctionis dici posset, quod etiam cor-

poris morbos depellit. Aliunde illi, quos laudavimus, aperte docent Apostolos, vivente Christo, idem fecisse, quod ait Jacobus, & utrobique agnoscunt mysticum signum, & gratiam; ergo &c.

Prob. III. ratione. Cum veteres Scholastici Hugo Victor. Magister S. Bonaventura &c. docerent, hoc Sacramentum, non a Christo *immediate*, sed *mediate* per Apostolos fuisse institutum, Petrus Theologus Parisien. præceptor Innoc. III. & Senonen. Archiep. in Qq. Mss. de Unct. extr. refellens, quod *dicunt aliqui, quod a Jacobo hæc unctio habuit initium*, ait: *Manifeste convincitur per textum Marci, quia ab Apostolis antea fiebat.* Et Scotus in 4. Sent. dist. 2. q. 1. ait: *Licet, Jacobus, promulgaverit illud Sacramentum, est melius dicere, quod fuerit institutum a Christo. Legimus enim Marc. 6. quod Apostoli ungebant infirmos, & sanabantur: constat quod hoc non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam unctionem.* D. Thomas in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. ait: *De olei unctione mentionem fieri Marc.* 6. Ubi asserit quidem S. D. non adeo expresse in Evangelio haberi hujus Sacramenti institutionem, ut Baptismi, & Eucharistæ, sed posse inferri ex unctione, de qua Marc. 6. quod falsum esset, si ibi non supponeretur institutum extremæ unctionis mysterium. Jo. Baconus in 4. dist. 23. art. 1. ait: *A Christo institutum Marci 6. ubi Christus misit discipulos, & ungebant &c. Postmodum Jacobus promulgavit, dicens: Infirmatur*; ergo &c.

IV. Tandem in unctione, de qua Marc. 6. adsunt omnia necessaria ad Sacramentum constituendum. Et I. unctionis ritum, *non suo sensu, sed præceptoris instituto fecisse*, Apostoli, *putandi sunt*, ut ait Concilium Senonen. decr. 10. ubi de ea unctione, de Marci testimonio, & de hoc Sacramento expresse tractatur. II. *Materia* proxima, & remota exprimitur his verbis: *Ungentes oleo*, III. De forma non est hæsitandum, eamque postea

Jaco-

Jacobus explanavit. Inverisimile est enim presbyteros sine ulla prece ægros unxisse. IV. Unctionem illam ad spiritalem effectum fuisse institutam evincitur ex Catechismo Rom. p. 2. c. 6. ubi legitur, *Unctionem*, de qua Marc. 6. *non ab Apostolis inventam, sed a Domino præceptam, non naturali virtute præditam, sed mystica potius ad sanandos animos, quam ad corpora curanda, institutam fuisse credendum est.* Reapse, ut ait Maldonatus in Evang. gratia sanitatum non unctioni, aut alteri materiæ alligatur, nec solis Apostolis, aut presbyteris, ut c. præcedenti dictum est, sed eam spiritus dividit prout vult. Sed Marc. 6. ejusdem ritus frequens usus, & diuturnus effectus exprimitur; ergo donum præstantius, & sanitas spiritalis illis verbis exprimitur. Ut enim ait Conc. Colon. apud Vanroy p. 289. *Neque Christus Dominus discipulos suos chirurgos fecit, sed Apostolos, qui ungerent ægrotos oleo, medicinali, sed mystico, quamvis Jacobus formam administrationis clarius expresserit.*

Ob I. Trid. definit hoc Sacramentum esse apud Marcum *insinuatum*, sed ita dicitur, ut intelligatur fuisse *adumbratum, & delineatum*, non *institutum & determinatum*; ergo &c. Confirmatur: cum enim Suavis in Hist. Trid. scripsisset, a PP. Tridentinis in decreto substitutum esse τὸ *insinuatum* pro, *institutum*, de mendacio revincitur a Pallav. l. 12. ex testimonio Raveftein, & Fedrii Trid. Conc. Theologorum, qui affirmaverant, hoc Sacramentum apud Marcum non *institutum* esse, sed *adumbratum*; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Licet enim Concilium congregatum fuerit ad hæreses extirpandas, non ad definienda scholarum dissidia, ut sæpe ait Pallavicinus; tamen ex Latini sermonis proprietate, quam ubique servat Trid. Syn. verbo *insinuare*, quod idem sonat ac *primum introducere, & velut in sinum immittere*, ex Thesauro linguæ Lat. tom. 2.

hoc

hoc voluiſſe ſignificare : *Quod apud Marcum inductum dicitur, atque inſtitutum, Jacobus promulgavit, & explicavit.* Ad Confirm. R. utroque vocabulo noſtram confirmari ſententiam, per τὸ *inſtitutum*, ut notum eſt, per τὸ *inſinuatum*, ut nuper expoſitum eſt.

Ob II. Marc. 6. agi de ſola gratia ſanitatum Apoſtolis collata initio prædicationis evincitur ex Matth. 10. & Luc. 9. II. Tunc Apoſtoli nondum erant ſacerdotes, a quibus tantum extrema unctio poteſt adminiſtrari ; ergo &c. III. Apoſtoli ungebant ægros omnes, non ſolos decumbentes, queis unctio Sacram. impenditur. IV. Nec ea unctio ſolos baptizatos, ſed omnes ſanabat; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Neque enim unctionem ipſam Matthæus, nec Lucas commemorant. Cum unctione autem Sacramentali traditam Apoſtolis gratiam ſanationum a nemine controvertitur. Ad II. R. Maldonatus : *Miror quosdam tam levi conjectura a vera communique ſententia diſſidere. Potuit enim qui legem tulit pro ſuo arbitrio lege uti. Nam & ut ſoli ſacerdotes baptizent, præceptum eſt Chriſti, qui ſolos juſſit Apoſtolos baptizare, legimus tamen Apoſtolos, antequam ſacerdotes facti eſſent, baptizaſſe.*

Ad III. & IV. R. idem Maldonatus : *Qua ratione docent, Apoſtolos, aut nondum baptizatos, aut omnis generis ægrotos unxiſſe ſine ullo diſcrimine, cum nullo id ſcripturæ exemplo probare poſſint, & nos exemplis poſſimus probare contrarium? Nam certe Petrus claudum non unxit, quem ad portam Templi curavit.* Vide Auctorem, qui hanc reſponſionem illuſtrat.

Prob. II. pars. I. enim interpretes, ac Theologi cl. aliter ſentiunt. Et revera, ſi nuda verba inſpiciantur, nil aliud ibi occurrit, præter unctionem olei, & ſanitatem ægrotis reſtitutam : cetera vero, quæ addita ſunt, non ſunt invictiſſima.

II. PP.

II. PP. laudati soli traditionem universalem nequeunt efficere, & quidam ex illis, non de omnimoda, sed de aliquali similitudine inter unctionem utramque accipi possunt. Rationes denique adversariorum, cum sint obviæ & planissimæ, nec dialecticæ indigeant artificio, sua vi non carent; ergo &c.

CAPUT III.

De institutione Sacramenti extremæ unctionis.

Cum Hæretici præfracte negent hoc Sacramentum, licet agnoscant Apostolicam ægros ungendi consuetudinem, vigente curationum gratia, illius tamen institutionem fictitiam putant. Quidam catholici, ut Hugo Victorinus, Magister, Alensis, S. Bonaventura &c. hanc institutionem Apostolis adscripsere, non quidem propria, sed Christi auctoritate ac potestate: unde ab hæreticis toto cælo recedunt, qui eam unctionem humanum commentum putant, neque ullo modo a Christo institutum. Alii Theologi etiam vetustiores, Petrus Parisiensis, Albertus M. S. Thomas, noster Argentinas, Thomas Valdensis, aliique docent, eam a Christo *immediate* institutam, quibus innumeri recentiores accedunt. Sit itaque

Propositio. Hoc Sacramentum a Christo fuit institutum, ac probabilius *immediate*, & antequam in cælum ascenderet.

Prob. I. pars. Constat enim ex Scripturis, ex PP. & Conciliis c. 8. l. 30. ab Auctore productis, Christum esse omnium Sacramentorum novæ legis institutorem, atqui ex c. I. hujus libri unctio ista est Sacramentum novæ legis; ergo &c. II. Solus Deus vetera Sacramenta instituit, licet egena & vacua; ergo a fortiori debuit pleniora instituere. III. Vim effectricem gratiæ, qua pollet hæc unctio, elemento sensibili tribuere creaturæ facultatem excedit: ergo a solo Deo hanc vim habet. IV. Si Christus hoc Sacramentum non instituit; ergo Jacobus instituit: sed

is

is tantum promulgavit, nec proprio nomine: unde primæ institutionis nulla ibi fit mentio, ergo &c. V. Si Jacobus hoc Sacr. instituit, id non fuit sine Spir. S. inspiratione, sed hæc neque peculiaris fuit, cum Jacobo factam esse non constet, nec communis Apostolis, alias ipsi etiam instituissent; ergo &c. VI. Trid. sess. 14. c. 1. definit: esse vere Sacramentum a Christo institutum; ergo &c.

Prob. II. pars. Institutor enim proprie est, qui primus est auctor; Ecclesiæ autem non est a Deo facta potestas immutandi essentiam Sacramentorum, sed ritus, & ceremonias: unde probant Becanus, Bellarminus, Gonet, Vasquez &c. post Tridentinum salva fide negari non posse, Christum *immediate* Sacramenta instituisse. Alii tamen Theologi cl. quos laudat Auctor tom. 6. p. 90. id negant ad fidem spectare, & ideo additum est τo *probabilius.*

Prob. III. pars. Cum enim Jacobus non sit hujus Sacramenti institutor, a Christo debuit institui, cum adhuc in terris versaretur, quando autem, incertum est. Cui placet hanc institutionem *insinuari* tacite apud Marcum, asserere potest a Christo institutum: *Quando Apostolos misit ad prædicandum,* ex Sacerdotali Romano p. 107. Tunc enim eos *docuit ungere infirmos Marc.* 6. Cui hæc sententia nun placet, asserere poterit institutum intra illud spatium quadraginta dierum, quibus Christus præbuit se ipsum vivum, & in quo, ut ait S. Leo, *magna sunt revelata mysteria*, & simul cum pœnitentia, cujus extrema unctio est complementum, fuisse præscriptum, ut docent Origenes, Chrysostomus, & Ven. Beda.

Opp. Hæretici: non conveniunt catholici circa hujus Sacramenti institutionem, ac tempus; ergo nequit certa fide hoc Sacramentum propugnari. R. neg. ant. quoad 1. part. Nunquam enim Ecclesia dubitavit de veritate atque institutione divina hujusce Sacramenti, erantque inaudita vocabula *mediatæ*, vel *immediatæ* institutionis, sed illud

lud esse Sacramentum ad nos divina & Apostolica traditione derivatum, & de quo extat præceptum *Evangelicum*, & *Apostolicum* PP. docuere. Si hæc fateantur Novatores, finita lis est. Nam quæ de *immediata* vel *mediata* institutione dicuntur, salva fide agitantur in scholis. Vide auctorem.

CAPUT IV.

De materia Sacramenti extremæ unctionis.

Consentiunt catholici, hujus Sacramenti materiam esse oleum ab episcopo consecratum; licet hæretici id damnent tamquam *magicam superstitionem.* An vero hæc consecratio sit de *necessitate Sacramenti*, non conveniunt Theologi. Negant Juenin, Natalis Alex. aliique &c. Affirmant Soto, Bellarminus, Sylvius, Estius, Gotti. Imo ipsam benedictionem quidam negant a Romano Pontifice simplici sacerdoti committi posse, ut Soto, Estius, Sylvius, & Suarez. Alii, quibus subscribunt Vanroy, Piette, aliique, id affirmant. Agemus ergo hoc loco I. de oleo hujus Sacramenti materia, II. de ejus benedictione.

Propositio I. Oleum ex olivis expressum, & ab episcopo consecratum est hujus Sacramenti materia.

Prob. I. ex ep. Jac. c. 5. ubi habetur: *Ungentes eum oleo &c.* II. Ex Florent. Syn. in Decr. Instr. Arm. ubi legitur: *Cujus materia est oleum olivæ per episcopum benedictum.* Et ex Trid. sess. 14. c. 1. ubi statuitur, ejus *materiam esse oleum ab episcopo benedictum.* Item Innoc. I. ait, ungi infirmos *sancto oleo ab episcopo confecto.* Beda, *oleo consecrato.* III. accedit ratio. Cum enim Sacramentorum materia habeat cum spiritali effectu quamdam similitudinem: *Aptissime*, ait Catech. Rom. p. 2. c. 6. *hæc materia illud significat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur*, quod explicat ex olei proprietatibus apud Bern. in 1. Cant.

Ole-

Oleum enim, *quod fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem &c.* mentis hilaritatem, cordis firmitudinem, ac ſpiritus & corporis ſanitatem deſignat. Vide Rupertum in Gen. 8. v. 2. Oleum Infirmorum debere eſſe olivarum conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ *oleum olivæ* (quod etiam Eugenius IV. in Inſtr. Arm. commemorat) ſemper adhibuit. Hinc epiſcopus feria 5. maj. hebdomadæ orat: *Emitte quæſumus pinguedinem olivæ &c.* Unde non debet balſamo permiſceri, cujus neque in Euchologiis, nec alibi mentio fit. Nec obſtat chriſmatis nomen, quodque eodem oleo uncti dicantur ſacerdotes, & reges, nam chriſma nomen genericum eſt, ſacerdotes autem & reges apud Latinos oleo catechumenorum abſque balſami admixtione conſecrantur.

Propositio II. Fruſtra Calvinus olei benedictionem irridet.

Prob. I. enim negari poteſt, quod in 4. Inſt. c. 19. confidenter pronunciat Calvinus, nempe: *Jacobum non aliam unctionem ſignificare, quam vulgaris olei*, ibi enim habetur: *Ungentes eum oleo in nomine Domini*, ſed hæc verba referri poſſunt ad actionem bresbyteri ungentis, ut ſenſus ſit, eſſe ungendum infirmum, nomine & virtute Chriſti, & ad proximam dictionem: *Oleo*, ut ſenſus ſit, unctionem faciendam oleo conſecrato cum invocatione divini nominis, ut quidam exponunt; ergo &c.

II. Hæc benedictio extat in vetuſtiſs. Pontificalibus, in Anglicano annorum mille, in Lirinen. 700. ann. in Remen. & Senonen. 600. ann. Extat in Sacramentario Gregorii apud Menard. in Euchol. Græcorum edito a Goario, ubi p. 408. habetur: *Officium ſacri olei.* Hujus benedictonem Ambroſianam laudat Lindanus. Benedictionem, quam in cœna Domini agebat hujus olei S. Uldaricus, profert Mabillon ſæc. V. Ben. p. 444. III. Idem exprimunt Græci, ac Latini PP. cum ajunt

ajunt ægros ungendos *oleo divino*, *oleo per episcopum confecto*, *oleo benedictione consecrato*. IV. Hæretici has benedictiones improbant, eo quod ad Christi meritum obscurandum sint institutæ; atqui Christus has benedictiones sæpe adhibuit, & præsertim in ultima cœna, eæque fiunt signo crucis, ut vim earum Christo acceptam referamus; ergo &c.

Propositio III. Potest simplex sacerdos oleum infirmorum conficere in Latina Ecclesia auctoritate Apostolica, non jure ordinario.

Prob. I. Constat enim ex l. 32. c. 5. quibusdam missionariis concessum esse a Rom. Pontifice, ut chrisma conficerent; ergo multo magis iisdem concedi potest, ut oleum pro infirmis benedicant. Nam chrisma conficere ex Conciliorum canonibus ibi laudatis peculiare est munus episcopi. II. Græci presbyteri oleum infirmorum benedicunt ex Arcudio, Allatio &c. Unde Julius Antonius Card. in ep. ad epis. Messanen. de iis ait: *Juxta suum ritum presbyteri oleum ipsi benedicunt*. Theodorus Cantuarien. in Capitular. ms. apud Martene ait: *Secundum Græcos, presbytero licet facere oleum exorcizatum, & infirmis chrisma, si necesse est*. Rhodinus in Synopsi ait: *Materia est oleum benedictum a Pontifice, sive a sacerdotibus, juxta morem Ecclesiæ*. Clem. VIII. Const. 34. statuit, non esse cogendos presbyteros Græcos *olea sancta, præter chrisma, ab episcopis diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis ex veteri ritu conficiantur*. Idem confirmavit Bened. XIV. ann. 1742. Id vero *jure ordinario* Latinis non competere, constat ex consuetudine, & ex monumentis supra productis.

Propositio IV. Incertum est tamen, an validum sit Sacramentum per oleum non consecratum.

Prob. I. Licet enim recentiores Theologi contrariam sententiam adoptarint, eo quod neque ex scripturis, neque ex traditione possit ostendi, hanc

benedictionem esse conditionem huic Sacramento essentialem, sed eam tantum ex Ecclesiæ præcepto esse necessariam; alii tamen numero, & auctoritate gravissimi docent cum D. Thoma in 4. dist. 23. & q. 29. Suppl. hoc discrimen intercedere inter aquam baptismi, & oleum infirmorum, quod in aqua necessaria non est sanctificatio, quam illi indidit Christus suæ carnis contactu; est tamen in oleo, quod ex Christi usu efficaciam non habet; atque D. Thomas non loquitur de sola necessitate præcepti, quæ extat etiam in aquæ baptismalis benedictione; ergo loquitur de necessitate essentiali. II. S. D. 3. p. q. 72. art. 3. idem tradit de chrismate, ac de oleo infirmorum, sed de chrismate quærit: *Utrum sit de necessitate Sacramenti* (non præcepti) *utrum chrisma fuerit prius per episcopum consecratum?* ergo &c.

III. PP. & Concilia, dum hujus Sacramenti materiam assignant, expresse *oleum ab episcopo consecratum* commemorant, quam consecrationem non memorant, dum baptismi materiam tradunt; ergo &c. Hinc tamen non sequitur, quod Sylvius, Estius, & Suarez, contendunt, ineptam esse materiam oleum a presbytero consecratum. Nam Gonet disp. 1. n. 24. ait: *Sufficere quod sit ab episcopo benedictum mediate, idest per sacerdotem ex ipsius commissione.* IV. In Synodo Mediolanen. ann. 1579. statuitur, ut *Parochus, si per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum est, adhibuerit, etiamsi chrismate, aut catechumenorum sit, ut erratum emendet*, unctionem *olei sacri, quod proprium infirmorum est, eidem adhibeat, & tunc Sacramenti formam iteret.* (1.) Cum ergo ex dictis dubia

(1) Idem statuitur in Const. Synod. Auxim. ann. 1593. de Sacram. extrem. unct. cap. 7. ubi hæc leguntur: *Si per errorem aliud oleum, quam infir-*

bia sit opinio adversariorum, nostra autem auctoritati, & rationi nitatur, graviter peccat, qui oleo non sacro, vel alio ab oleo infirmorum, extremam Unctionem conferret, quia in collatione Sacramentorum probabilem opinionem sequeretur, tutiore relicta, quod est illicitum ex propositione I. ab Innocentio XI. proscripta. Recte ergo præcipitur in Rituali Romano, ut hoc oleum distincta ampulla custodiatur, & si desit, oleum commune ei superinfundatur, ut totum ex ea mixtione consecrari queat, juxta rescriptum Innoc. III. ad Nidrosiensem episcopum.

CAPUT V.

De ægrotantium unctione, seu de proxima hujus Sacramenti materia.

Cum Scholastici, sive veteres, sive recentiores non satis accurate peregerint de hoc argumento; ideo sequentes propositiones subjicimus.

Propositio I. Varia fuit olim ea de re disciplina Ecclesiæ, recte tamen Romana septem unctiones præscribit.

Prob. I. pars ex variis Ritualibus apud Martene, Launojum, & Menardum, ubi, præter *oculos*, *nares*, *os*, *manus*, *pedes*, ac *renes*, ut sit in Ecclesia Romana, constat unxisse nonnullos *collum*, *guttur*, & *scapulas*, ex Cod. Sacramentalis S. Eligii, ex Remensi &c. apud Morinum. In vetustissimo Ms. Cameracensi memorantur unctiones *verticis*, *frontis*, *genarum*, *temporum*, ac *pectoris*. Plura Ritualia etiam *umbilici*, præsertim in fœminis, & illius *corporis* partis, quæ acrius dolet, unctionem continent. Vetustiss. liber Sacramentalis apud Launojum unicam *unctionem capitis* commemorat. Ap. Græcos *frontem*, *faciem*, ac *manus* liniri ait Simeon Thess. in lib. de septem Sacr. Arcudius autem l. 5.

 Con-

infirmorum adhibitum sit, puta chrismatis, vel catechumenorum, unctio, cum oleo infirmorum iteretur, & forma repetatur.

Concord. *frontem, genas, pectus, manus, pedes.* Cophti solam *frontem* ex Sollerio liniunt.

Prob. II. pars. I. Septem unctiones præscribit vetustissimum Pont. R. & omnes rituales libri quinque sensuum organa inungi jubent, scapulas autem pauci, iique sunt emendati. II. Romano ritui consentiunt Ritualia Ecclesiæ Lingonen. Cabillonen. Rotomag. Lemovicen. Mediol. aliaque innumera. III. Unctionem quinque sensuum probat D. Th. q. 32. Suppl. quia illi sunt *principia peccandi.* Idem docet Eug. IV. in Instr. Armen. & Catech. Rom.

Propositio II. Recte omittitur in fœminis unctio renum, & in sacerdotibus manus unguntur exterius.

Prob. I. pars. Hæc enim unctio in pluribus Ritualibus desideratur, & ex D. Thoma necessaria non est, cum prior noxii motus origo sit a sensibus. II. Consulendum est etiam in Sacramentis conferendis honestati, unde nec in *umbilico* inungendæ sunt mulieres, de qua unctione, licet agant Ritualia Bajanensis, Abrincen. Constantien. & Claromonten. Ecclesiæ, non extat tamen in libris Sacram. Rom. Ecclesiæ, neque in Instr. Eugen. IV. Permultæ etiam, ut Constantiensis, & Parisiens. eam expunxere: maxime cum in umbilico non sit radix noxiæ cupiditatis. Prob. II. pars. Ex Cod. S. Remigii apud Launojum.

II. Ex praxi & Ritualibus Latinarum Ecclesiarum Carnotensis, Remen. Ambianen. Melden. Lingonen. Lugdunen. &c. III. Congruum non est, ut presbyteri, qui S. chrismate in vola sunt delibuti, ibi rursus a simplici sacerdote inungantur, ut habetur in vetusto Carmine Anonymi apud Martene: *Presbyteri palmas, non intus, sed foris ungas.*

Quæres: an necessaria sit unctio illius partis, quæ magis dolet? R. negative. Licet enim hæc unctio extet in Pontificali Rom. in pluribus Ritualibus, & in Instr. Armen. Græci tamen eam non adhibent, & in nulla Ecclesia post Florentinum obtinuit. II. Probabile

babile eſt, eam non eſſe unctionem Sacram. ſed ad leniendam acerbitatem doloris. III. Hæc unctio adverſatur vetuſtiſſimæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudini, & quodammodo favet hæreticis autumantibus, extr. Unctionem eſſe inſtitutam ad leniendos corporis cruciatus; ergo rejicienda eſt.

Propositio III. Ad eſſentiam Sacramenti ſufficit unica unctio, & aliæ ſeptem ad unum Sacramentum referuntur.

Prob. I. pars. I. Enim neque ex ſcripturis, neque ex traditione certus unctionum numerus erui poteſt. Jacobus enim de unctionis numero, aut loco non loquitur: diſciplina vero Eccleſiæ ex Prop. 1. plurimum variat, & ex iis ſeptem, quæ nunc ſervantur, unctio renum, & pedum, ſalva Sacramenti ſubſtantia, poteſt omitti. II. Dici poteſt, ſeptem unctiones ad variabilem diſciplinam ſpectare, non ſecus ac trina ablutio in baptiſmo. III. Græci non inungunt oculos, quos *principes ad fallendum in ſenſibus* vocat S. P. A. in Confeſſ. IV. Non opus eſt, ut repetitis unctionibus, & formulis exprimantur ſinguli effectus hujus Sacramenti: nec quinque ſenſuum unctioni aptari poſſe videtur vetus illa forma, quam S. Bonaventura Ambroſianam appellat: *Ungo te in nomine Patris &c. ut more militis uncti aereas poſſis ſuperare poteſtates.*

V. Nil obſtat, quominus urgente neceſſitate ſub unica unctione hæc formula proferatur: *Per iſtam S. unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per quinque ſenſus tuos, & cogitationes*, quam in extremo periculo adhiberi mandat Paſtorale Bartholomæi ab Aula a Theologis Lovanien. approbatum, teſte Sylvio, qui rem diligentiſſime inveſtigavit, cum id quidam in dubium verteret. Vide Sylv. in Suppl. q. 32. art. 6. q. 2. Idem ſtatuit Paſtorale Meclinien. Manualia Cameracen. & Atrebaten. Eccleſiæ apud Sylv. necnon Octavius Fregipanius, qui in Director Eccl. diſc. ait: *In inungendo contagioſo morbo laborante ſufficere, ſi inungatur ſenſus organum*

magis oppositum dicendo: Per istam S. unctionem ... indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum &c. Eadem habent Molanus, Becanus, Serarius, Maldon. &c.

Ob. I. S. Thomas q. 32. Suppl. ait: *Illa unctio, quæ fit ad quinque sensus, ab omnibus observatur, quasi de necessitate Sacramenti.* II. Florentina Synodus has unctiones præscribit. III. id maxime congruit, ut p. 2. Prop. I. dictum est; ergo &c. R. Recte S. Thomam addidisse particulam *quasi*, ut ostenderet eas unctiones non esse omittendas, cum omnes Sacramenti rationem habeant, si omnes ac singulæ divisim fiant. An vero, si unctio unica adhibeatur, persistat essentia Sacramenti, nec S. Thomas, nec veteres scholastici inquirunt. Adde, S. D. ibi docere, etiam iis, quibus manus, aut aures forent abscissæ, inungendas partes propinquiores, sed, *si sensuum organa*, ut arguit Serarius, *necessario ungenda essent, vicaria ista unctio nulla foret;* ergo &c.

Ad II. R. Florentinam Synodum ibi præscribere etiam unctionem *pedum* & *renum*, quam non spectare ad essentiam fatentur omnes; licet ergo Ecclesiæ consuetudo a Florent. Syn. præscripta servari debeat, & jure emendati sint Rituales libri eam non tradentes, non omnia tamen in iis contenta eandem habent essentiæ necessitatem. Ad III. neg. consf. Non enim omne quod congruit, est de essentia Sacramentorum, alias trina immersio in baptismo esset de ejus essentia. Prob. II. pars. Licet enim quævis unctio suam habeat formam, referuntur tamen unctiones istæ ad eandem animæ sanationem, sicut una diceretur curatio, si quis eodem unguento in pluribus corporis partibus liniretur. Idem probat Catechismus Rom. exemplo *domus, quæ ex multis partibus composita est, sed una tantum forma perficitur;* ergo &c.

Quæres: an unctio hæc pollice fieri debeat, & an id fiat ex Sacramenti necessitate? R. quoad I. par-

partem affirmative. Id enim jubent veteres Rituales libri, Sacerdotale Rom. Sacramentale Ambrosii, Manuale Salisburgense &c. Unde episcopus detractis chirothecis presbyteros pollice consecrat, confirmandosque Dominus etiam digito tetigit aures surdi, linguam muti, & oculos cæci nati Marc. 7. & Jo. 9. ergo &c. Quoad II. partem R. negative. Nam Manuale Cameracen. p. 87. ait, unctionem illam, *intincta virgula in oleum sacrum*, fieri posse. Et Pastorale Rom. Jo. Hauchini Archiep. Mechlinien. p. 88. ait: *Pollicem, vel virgulam intingat.* Salisburgense *spatulam mundam* pro peste laborantibus indicit; ergo &c.

CAPUT VI.

De forma Sacramenti extremæ unctionis.

Not. I. De hac forma plurimum inter se scholastici dissident. D. Thomas negat eam esse posse *indicativi modi*: unde Thomistæ complures orationem esse de hujus Sacramenti substantia ex S. D. arbitrantur. Idem sentit D. Bonaventura, Scotistæ, ac Nostrates apud Gavardi. Pugnant tamen pro forma *indicativa* Morinus, Launojus, Menardus, Martene, qui tantam copiam indicativæ formulæ ex vet. Ritualibus produxere, ut facile in suam sententiam traxerint recentiores Theologos Juenin, Tournelyum, Le-Droint: licet non desint ex veteribus Albertus M. Paludanus, Richardus, Estius, Becanus, Navarrus ab Auctore laudati, qui eam probarunt.

Not. II. Inter alias ineptias, quibus Novatores hoc Sacramentum oppugnant, ajunt etiam de adhibita a Latinis verborum forma nullum extare vestigium in Evangelica historia. Sit itaque

Propositio I. In Sacramento extremæ unctionis aliqua verborum forma est adhibenda.

Prob. I. ex ep. Jacobi, in qua per illa verba: *Oratio fidei salvabit infirmum*, injungitur forma indicativa, ut docet ibi Synodus Trid. Vide c. 1. in

prob. Prop. I. & in R. ad Obj. 5. II. PP. quos ibi prop. II. laudavimus, non solum unctionem ægrotantium, sed etiam orationem inungentium presbyterorum commendant; ergo &c. III. Euchologia Græcorum, & Latinorum libri Pontificales ritum ungendi præscribunt semper cum certa precum & verborum form. IV. Idem probat usus universalis Ecclesiæ, qui, cum sit vetustissimus, nonnisi e traditione Apostolica agnoscitur derivatus, ut cit. l. 1. dictum est; ergo &c.

Propositio II. Sententia docens olim adhibitam *formam indicativi modi*, nulla censura est inurenda, nec improbanda est.

Prob. I. enim hanc sententiam propugnant Theologi cl. supra laudati, ex quibus miratur Martene, potuisse sententiam, quæ tantum probat *formam deprecatoriam*, tanto plausu excipi a Scholæ Theologis. Menardus vero profert theses *formam indicativi modi* non improbantes in Universitate Parisien. habitas. II. Albertus M. & Bonaventura in dist. l. 4. hanc formam describunt in Ambros. Ecclesia obtinentem: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris &c. ut more militis uncti aereas possis superare potestates.* III. *Indicativam formam* exhibent vetera Ritualia Halitgarii apud Arcud. l. 5. Concord. c. 5. ann. 820. Corbejen. ann. 986. & liber vetustiss. Sacramentorum Vaticanæ Bibl. ubi Menardus ait extare hanc formulam: *Inungo te oleo S. sicut unxit Samuel, David &c.* IV. Innumera Mss. cum hac formula profert Launojus. Ex editis vero eam exhibet liber Sacramentorum Greg. Manuale Corbej. Viennen. Suessionen. Meten. Virdunen. Atrebaten. Lugdunen. ubi hæ formulæ leguntur: *Ungo oculos tuos, ungo aures, nares, labia. Inungo te de oleo S.* eandem formam habet Sacramentale Venetum, quod probatum dicitur a Leone X. Hinc Jo. Echius hom. 54. de Sacram. ait, formam indicativam, quam *Ambrosianam* S. Bonaventura, & Paludanus appellant, sufficere ad Sacramentum perficiendum; licet utra-

utraque forma, nempe *indicativa*, & *deprecativa*, prudenter soleat conjungi in nonnullis Ecclesiis.

V. Inter eas formulas est tantum discrimen accidentale, atqui ex c. 12. l. 30. Sacramentum non irritatur ex accidentaria mutatione verborum; ergo &c. VI. In sententia cl. Theologorum valet baptismus *forma deprecativa* collatus, qualis creditur a quibusdam forma Græcorum; sicut ergo pro forma *indicativi modi* posset auctoritate Ecclesiæ usurpari forma optativi, ita pro hac posset illa substitui, quam tot rituales libri præscribunt.

Propositio III. Aptior tamen videtur forma deprecativa, qua nunc utitur Ecclesia Latina.

Prob. I. Ex ep. Jacobi c. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum &c.* ubi unctio materiæ, oratio vero formæ rationem habent, ut ait Trid. sess. 14. c. 1. *Quibus verbis docet materiam, formam, proprium ministrum. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab episcopo benedictum, formam esse illa verba: Per istam unctionem &c.* ergo &c. II. Eadem statuit Conc. Florentinum, & Catechismus Rom. III. Eandem probat praxis Ecclesiæ Rom. ex Rituali Rom. & Ambrosiano, ex vetustissimo Pontificali Laudunen. Ecclesiæ, ex Sacerdotali Rom. &c. IV. Adde Euchologia Græcorum, quæ habent: *Pater sancte sana servum tuum hunc ab illa corporis & animæ infirmitate.* Vide Arcudium l. 5. Conc. pag. 393.

V. Qui validam putant formam indicativam, laudant etiam deprecativam, cum ex adverso, qui hanc tuentur, illam aut invalidam, aut dubiam putent; ergo dubiæ formæ, ubi agitur de Sacramentis, certa est præferenda. VI. Accedit ratio duplex D. Thom. I. Quia instituta est forma hujus Sacramenti ad modum precum, quarum vi est juvandus infirmus, qui ex vi morbi nequit exercere actus virtutum, qui fieri solent ad fructum Sacramenti percipiendum. II. Quia, cum plurimi ægrotantium

de hac vita ſint migraturi, Deo in tam arduo diſcrimine ſunt commendandi. III. Illud ſemper magis opportunum cenſeri debet, quod ab Eccleſia uſurpatur, unde Trid. PP. c. 3. ſeſſ. 14. ei dixerunt anathema, qui aſſerit: *Extremæ unctionis ritum, & uſum repugnare ſententiæ B. Jacobi; ideoque eum mutandum, poſſeque abſque peccato contemni.*

Quæres I. An Trid. Synodus laud. verbis omnino rejecerit formam *indicativam?* R. Negative. I. enim, ut ſæpe dictum eſt, ad controverſias fidei ſtabiliendas, non ad Scholarum opiniones dirimendas S. Synodus coacta eſt. II. Quia libri Martene, Menardi &c. qui pro illa forma pugnant, inoffenſo pede leguntur. III. Non definit Concilium determinatam formam commendans, eam non poſſe nunc enunciative, nunc optative efferri: neque improbat Orientalium formulas, licet a Latinis diſcrepent in modo, & ſyntaxi orationis: dummodo conveniant in ſubſtantiali ſignificatione: ut de forma baptiſmi alibi dictum eſt. Quare mutato ritu, prece, & forma indicativa in optativam eadem remanet formæ ſubſtantia, & veritas Sacramenti, ſed nefas eſt a ritu, forma, ac doctrina ab Eccleſia præſcripta recedere.

Quæres II. An effectum Sacramentalem utraque forma æque exprimat? R. Affirmative, ſi utraque ab ea, quam Chriſtus inſtituit, ac tradiderunt Apoſtoli, non ſit ſubſtantialiter diverſa. Deinde affirmamus, per formam indicativam: *Ungo te*, ſignificari actionem myſticam, & externam, cujus efficacia producitur ſalutaris effectus, per formam vero modi optativi: *Per iſtam S. unctionem &c.* oſtenditur, ſalutarem effectum attendi a Deo gratiarum auctore, ſed per ſacram unctionem, & ſignum ſenſibile, quod ex Chriſti inſtitutione perficitur, non autem per ſolam orationem: adeoque in utraque forma eundem ſenſum reperiri.

Quæres III. An valida ſit forma Græcorum, in qua nullimode exprimitur unctionis actus. R. Affirma-

firmative. Licet enim nonnulli Theologi necessariam esse dixerint hujusmodi actus expressionem, id tamen non est asserendum de omnibus Sacramentis, sed attendenda est Christi institutio & voluntas, ex scripturis, traditionibus, aut ex Ecclesiæ definitionibus manifestata, unde valida est forma, qua Græci utuntur in Sacramento confirmationis: *Signaculum Spiritus S.* ubi actio ministri nullimode exprimitur. Adde, Latinam Ecclesiam hanc Græcorum formam numquam improbasse: unde Benedictus XIV. formam in Euchologiis descriptam non emendavit in Const. *Etsi Pastoralis.* Tandem precantur Græci, ut ægrotis conferatur corporis & animæ salus: *Unctione olei & sacerdotum*; ergo non deest actionis expressio.

Quæres IV. An differentia inter formam indicativam, & optativam possit componi, ut scholarum dissidia circa sufficientiam utriusque tollantur. R. iniri posse hanc concordiæ rationem, quam profert cl. Auctor. Ut in eadem forma *indicativa*: *Ungo te* &c. quam *Ambrosianam* vocant, inveniatur aliquid *absolutæ* orationis, & aliquod *deprecatoriæ*. Nam hæc verba: *Ungo te* sunt modi indicativi, & respondent aliis; *Per istam sanctam unctionem*, reliqua: *Ut more militis* &c. sive: *Ut quidquid deliquisti*, continent deprecationem, non secus ac illa: *Indulgeat tibi Deus* &c. Huic conciliationi non repugnant Thomistæ. Nam Gonet contendit etiam formam illam: *Ungo te &c.* esse deprecatoriam, propterea quod in illis verbis: *Ut more militis* &c. intelligitur deprecatio, ac si dicatur: *Ut Dei ope suffultus valeas* &c. Idem sentit Ludovicus Habert.

Quæres V. Cur hæc forma dicatur a Jacobo: *Oratio fidei?* R. I. cum Estio. Quia a fide profecta est, & fidei subnititur, saltem Ecclesiæ, cujus fides numquam deficiet. Vid. Cap. I. Prob. I. ad Obj. 5. Qua ratione etiam forma indicativi modi dici potest: *Oratio fidei*, ut forma Baptismi: *Verbum fidei* dicitur ab Augustino. Forma autem de-

preca-

precatoria: *Oratio fidei* dicitur, quia Deum non invocant, qui in eum non credunt, ex Rom. 10. II. Quia pro solis fidelibus sacramenta sunt instituta, excepto baptismate, cujus vi Ecclesiæ inserimur. III. Quia magnam excitat in ægrotis divinæ misericordiæ fiduciam, qua credunt, sibi e vita migraturis Deum propitium fore, ut ait Trident. sess. 14. c. 2.

DISSERTATIO II.

De Ministro, ac subjecto Sacramenti extremæ Unctionis.

Cum ex Jacobi Epistola constet, ægrotos a presbyteris esse inungendos, quærendum hoc loco, quinam sit proprius hujus Sacramenti minister? An senior ætate, vel dignitate? An episcopus, vel simplex sacerdos? An unus, vel plures? Quinam vero sit ejus subjectum? An omnibus indiscriminatim, an aliquibus tantum sit conferendum? Cui bono, quove ritu administrandum? Singula distinctis capitibus expendemus.

CAPUT I.

De vero ac proprio ministro extremæ Unctionis.

Varias hoc loco complectimur tum dogmaticas, cum a diaphoras controversias, quibus expeditis nullam arbitror de ministro hujus sacramenti superesse difficultatem. Sit ergo

Propositio I. Ministri extremæ Unctionis non sunt seniores ætate, sed sacerdotes.

Spectat ad fidem ex Trid. c. 3. sess. 14. ubi expresse definita est hæc propositio. Itaque prob. I. Ex Jacobi epistola habetur: *Inducat presbyteros &c.* sed ubi agitur de Ecclesiæ ministeriis nomen presbyterorum accipitur pro sacerdotibus Act. 14. & 15. ad Tim. 1. c. 5. ad Tit. 1. Petr. 1. c. 5. & initio 2. & 3. Jo. ergo &c. II. Jacobus non ait *presbyteros*

byteros tantum, ſed *presbyteros Eccleſiæ*, hoc eſt qui Eccleſiæ, non communitati præſunt: quod Grotius aperte ſignificari ait, Syriaca verſione.

III. Jacobus presbyteros vocari jubet, ut orent, ut ungant: *In nomine Domini*, ut eorum miniſterio tribuatur peccatorum remiſſio, ſed ad hæc impertinens eſt ſenilis ætas; ergo &c. IV. Patres omnes ea verba accipiunt de ſacerdotibus, ex propoſitione II. cap. 1. ergo &c. V. Ex uſu perpetuo Eccleſiæ & ex Ritualibus libris conſtat, non ab aliis, quam a ſacerdotibus hoc ſacramentum fuiſſe collatum. VI. Accedit ratio: Nulla enim adminiſtratio, baptiſmo excepto, laico convenit. Deinde ex Trid. ſeſſ. 14. hoc ſacramentum eſt *pœnitentiæ conſummativum*; ergo & ipſum ad ſolos ſacerdotes ſpectat.

Opp. Hæretici: I. Hoc nomen *Presbyteri* ſignificat provectiorem ætatem. II. Innocentius I. epiſt. ad Decent. ait, oleo ſancto ab epiſcopo convecto, *non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus Chriſtianis uti licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate in ungendo*; III. Bedas in c. 5. ep. cath. monet infirmos; *Ut ſeniorum adjutorio curari ſe meminerint, neque ad juniores cauſam ſuæ imbecillitatis deferant*; ergo &c. IV. Conſtat etiam S. Anachoretas, & SS. Virgines oleum ad ægros miſiſſe, & eos curaſſe; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Vide prob. I. & infra c. 8. & 11. l. 36. Ad II. R. I. Soto, aliique, ea verba non eſſe accipienda de unctione *Sacramentali*, ſed de alia ad corporis ſanitatem adhibita pio animi affectu, qua certe Ægyptii monachi, & S. Genovefa, ex D. Thoma q. 31. ſuppl. uſi ſunt. Sed melius R. II. cum Bellarmino, Janſenio, Eſtio, Sylvio, aliiſque, participium illud: *Inungendo*, non activa ſignificatione uſurpatum, ſed paſſiva: ut ſenſus ſit, non ſacerdotes tantum, ſed fideles omnes ungendos eſſe, cum infirmantur. Quod contra Launojum, qui hanc reſponſionem carpit in Bellarmino, his momentis oſtenditur.

I. enim docet Innocentius ibidem, ne dum *a presbyteris*, sed etiam *ab episcopis* hoc sacramentum posse conferri, cum nemo ambigat, id episcopis licere, quod presbyteris commissum est; atqui incredibile est potuisse Decentium dubitare, an fas esset episcopo illud ministerium exercere, quod ab omnibus etiam laicis promiscue adimpletur: & Innoc. si credidisset etiam laicos esse hujus Sacr. ministros, non fuisse responsurum, unctionem ægri, ne dum episcopis, sed etiam presbyteris, laicisque competere.

II. Innocentius participium, *ungendo*, absolute posuit; in hac autem syntaxi habet, ut plurimum, passivam significationem, ut illud Virgilii Georg. 3. *Uritque videndo fœmina*, idest, *cum videtur*. III. unctio, quæ pie agitur extra Sacramentum, non fit eo ab episcopo solemniter benedicto; ergo de sacramentali loquitur Innoc. Ad III. neg. conf. Beda enim verba illa Jacobi 5. *Infirmatur &c.* exponit de *infirmante, vel corpore, vel fide*: nec solum de unctione extrema, sed etiam de pœnitentia, ob verba illa: *Confitemini invicem &c.* recte ergo monet, ne quis ad *juniores minusve doctos causas deferat suæ imbecillitatis*, sed ad seniores, & prudentiores, quorum adjutorio curari queat: at infra subdit Beda: *Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, & oratione comitante sanentur*; ergo &c. Ad IV. Vide R. I. & c. 1. præc. diss. ad 4.

Inst. Launojus: Thomas Valdensis verba Bedæ ita accipit, ut absente sacerdote quilibet fidelis inungere queat, non secus ac *in extrema necessitate liceat Christianæ vetulæ baptizare*; ergo &c. Nec dicas cum Soto, aut Bellarmino, Valdensis opinionem ab omnibus refelli, ea enim & a Martino V. dicitur *ab omnibus commendata*, & ex Aug. firmatur, qui ægrotum monet, ut *corpus Christi accipiat, corpus suum ungat*, juxta illud: *Infirmatur &c.* ergo &c.

R. neg. conf. Fallitur enim Valdensis; & ab eo jure recedendum ait Bellarminus & Soto, ut patet

ex

ex dictis. Ad confirm. R. A Martino V. laudatum Valdensis volumen, ex quo Witclefistas, & Hussitas egregie confutaverit, licet in eo, ut fit in hoc loco, inferat non recte libratas opiniones. Potest etiam Valdensis intelligi de unctione ceremoniali, non sacramentali: quo sensu quidam exponunt verba Innocentii, sicut etiam nonnulli opinantur in mortis articulo, si desit sacerdos, confessionem laicis esse factam, non ut:.ue sacramentalem. Producta verba non sunt Augustini; deprompta enim sunt ex l. de Rectitud. cath. conversat. qui Aug. abjudicatur. Quidam tamen legendum putant: *Ungatur*, ut habent, ait Estius, codices emendatiores. Unde in edit. Maur. legitur: *Oleum benedictum fideliter petat, unde corpus suum ungat.* Ubi *ungere* idem est ac unctionem petere, sic enim *ungere* monetur corpus, ut Eucharistiam *accipere;* habet enim: *Accipiat, ungat*, sed hanc a ministro monetur accipere; ergo & illam.

Propositio II. Possunt episcopi hoc Sacramentum ministrare, & ad eos spectat, uti ad parochos, aliosque presbyteros.

Prob. I. pars. Ex Innocent. I. ep. ad Decen. c. 8. ubi ait: *Superfluum esse, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est.* Eadem habet can. 72. Conc. Vorm. apud Ivonem p. 2. c. 75. & in Decr. dist. 93. c. 3. Idem probatur testimoniis Theophylacti, Oecumenii, Bedæ &c. qui ajunt, hoc Sacramentum Apostolos ministrasse. II. Adde historica exempla Caroli M. S. Ferdinandi Regis, Mathildis &c. qui ab episcopis inuncti sunt. III. Apostolorum ævo episcopi dicebantur presbyteri, ut lib. seq. ostendemus: unde S. Prosper in Carm. ait Pelagii hæresim, *prudentiam mille senum*, idest episcoporum, damnasse.

Prob. II. pars. Ad parochos enim spectat Sacramenta fidelibus ministrare. Simplices autem sacerdotes *valide* ministrant, sed, ut *licite* id faciant, jurisdictione opus habent. Nam in Clementina de Privil,

vil. l. 5. c. 1. *Religiosi*, qui id audent, *non habita parochialis presbyteri licentia*, excommunicationi subjiciuntur. Eidem pœnæ regulares subjici, si ægros inungant absente parocho, censet Navarrus, sed oppositum docet Soto, Nugnus, Sylvius, Gonet, Alex. Tournely, Piette: quod constat ex scopo illius Clementinæ. Nam ea edita est ad cohibendam licentiam eorum, qui invaderent jura parochorum, quibus in causa necessitatis nulla fit injuria. Addit Tournely, in Conc. 5. Mediolanen. statutum esse, ut instante mortis periculo, *hoc Sacramentum sacerdos alius ministret*; ergo &c.

Propositio III. Diaconus non est hujus Sacramenti minister, neque ejus ministerium aliquando ei commissum est.

Prob. ex I. Prop. ubi ex scripturis, ex Trid. ex traditione, & usu Ecclesiæ ostendimus, solos presbyteros esse ejus ministros. II. Diaconi, nec ratione ætatis, nec ratione sacerdotii *presbyteri*, quos tamen *induci* jubet Jacobus; ergo &c. III. Cum diaconi se se presbyteris æquiparare ausi sunt, ex canon 18. Synodi Arelaten. I. ex can. 18. Nicæn. &c. repressi sunt; atqui nunquam tentarunt diaconi ministerium hujusce Sacramenti sibi assumere tam expresse presbyteris demandatum; ergo &c. IV. Hæc est communis theologorum sententia; ergo &c. V. Ex libro de Eccl. Hierarchia Diacono competit solum vis purgativa, hoc est fideles disponere ad digne Sacramenta suscipienda, non autem illuminativa per gratiæ Sacramentalis collationem, excepto baptismate; ergo &c.

Opp. Launojus. Cyprianus epist. 12. ait, posse urgente exitu *exemologesim* fieri apud diaconum: quod Latomus lib. de pœnit. ann. 1550. scribit accipiendum de confessione peccati. Idem probat ex can. 32. Elib. ex Gelasio, ex Pontificali Roman. aliisque monumentis, quos laudat. cl. Auctor hoc loco. Ex quibus constat, posse diaconum ægroti con-

confeſſionem excipere, viaticum dare, & conſequenter S. unctione delinire; ergo &c.

R. diſt. ant. Et loca illa de reconciliatione *canonica* accipi debent, conc. de *Sacramentali*, neg. Vid. cap. 4. lib. præced. Alias nimis probaret Launoji argumentum: probaret enim poſſe diaconos urgente neceſſitate confeſſiones Sacram. excipere, & abſolvere, quod eſt hæreticum. Sed, etſi poſſent confeſſiones excipere ob ſummam Sacramenti pœnitentiæ neceſſitatem, non poſſent tamen ægrotos inungere; cum id non ſit tantæ neceſſitatis. Interim nota: in nullo ex productis a Launojo teſtimoniis de extrema unctione mentionem fieri, ſed omnia de Viatico agunt, & de communione, quam a diacono diſpenſari poſſe non diffitemur. Latomus autem in ea fuit ſententia, quæ tenet, defectu ſacerdotis confitendum aliis ad humilitatem, & contritionem excitandam. Nam Latomus ibidem ex Cypriano ſolis ſacerdotibus abſolvendi facultatem concedit.

Propositio IV. Licet plures aliquando presbyteri ægrotos inunxerint, poteſt tamen licite, & valide ab uno tantum extrema unctio conferri.

Prob. I. pars. Orientales enim ad hoc ſeptem adhibent presbyteros, duoſque ſaltim, vel ternos, ut fit in epiſcopi ordinatione, ex Simeone Theſſal. requirunt. Vide Arcudium, Allatium, Goarium &c. II. S. Thomas c. 37. contra Gent. id congruum eſſe ait, ut oratio totius Eccleſiæ ad effectum Sacramenti coadjuvet. III. Idem monet S. Carolus in Conc. Mediol. IV. p. 2. cap. 6. Non deſunt tamen exempla, ut S. Eugendi, S. Mauræ, aliorumque, quibus ſolus presbyter hoc Sacramentum contulit: ut conſtet, nullo modo repugnare id ab uno tantum bresbytero fieri. Itaque

Prob. II. pars. Non enim id repugnat Jacobi verbis: *Inducat presbyteros Eccleſiæ*; ſæpe enim in ſacris literis per enallagem ponitur pluralis numerus pro ſingulari. Nam Matth. 27. legitur: *Latrones impro-*

improperabant ei, cum ex Luc. 23. v. 39. habeatur: *Unus de his, qui pendebant, latronibus.* Et Lucas ib. v. 36. memorat *milites acetum offerentes*, licet id uni tantum militi tribuat Matth. c. 27. Quid? quod ipſe Glaſſius de ſolo Herode accipit illud Matth. 2. *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri?* Et Grotius de ſolo Daniele illud Hebr. 11. *Obturaverunt ora leonum?* Quid obſtat ergo, quominus per enallagen ita explicemus laud. Jacobi locum? Ita ſane explicat Eſtius, confirmatque phraſi Auguſtini, qui ſerm. 33. de Diverſ. nunc 324. ſcribit mulierem tuliſſe filium ſuum a B. Stephano ſuſcitatum ad *presbyteros baptizandum*, nempe ad aliquem presbyterorum.

Deinde Jacobus, nedum orationem, ſed etiam unctionem presbyteris tribuit dicens: *Ungentes eum oleo*: ſed hæretici non putant neceſſariam unctionem plurium ſacerdotum; ergo &c. Tandem multitudo presbyterorum, de qua Jacobus, non neceſſitatem, ſed ſolemnitatem importat hujuſce Sacramenti. Sicut enim S. Cyprianus ep. 33. ait, Aurelium ordinatum fuiſſe a ſe, *& a collegis, qui præſentes aderant*, licet unus epiſcopus ordinaret; ita recte a Jacobo inducuntur presbyteri *ungentes oleo*, licet unus inungeret. Neque id opponitur PP. traditioni, aut S. Canonibus; nullus enim ex PP. docuit, hoc Sacramentum irritum eſſe, ſi ab uno presbytero adminiſtretur. Quoad canones vero plures extant, ex epiſt. S. Innocentii, ex Pœnitentiali Theodori Cantuarien. &c. unde colligitur, ab epiſcopo, qui unus eſt in quavis diœceſi, poſſe ægrotos inungi.

Idem affirmant de uno ſacerdote canones ab Aelfrico, & Lanfranco collecti, nec non Rituale Rom. & vetuſtiſſima Pontificalia, in quibus præſcribitur, ut unus ſacerdos inferioribus clericis comitatus procedat ad inungendum ægrotum. Talis eſt codex Dominicanorum Pariſien. *Baptiſmale* Viennen. Manuale Laudunen. Catalaunen. Ambianen. Atrebaten.

baten. &c. merito ergo hanc ſententiam noſtram definit Alex. III. c. *Quæſivit* dicens: *Sacerdos uno præſente clerico, & etiam ſolus, poteſt infirmum ungere.* Et Benedictus XIV. in Conſt. *Etſi Paſtoralis* ait: *Nec refert, utrum extrema unctio per unum, vel per plures presbyteros fiat;* ergo &c. Nec obſtat ratio theologica: nulla enim firmior ratio produci poteſt, quam quæ ex productis monumentis depromitur. In his autem, quæ ad ritus ſolemnitatem ſpectant; ſicut debet quiſque ſequi ritum, quem probat Eccleſia, ita ejus arbitrio tolli, ac mutari poteſt. Deinde ſacerdos ſacramenta miniſtrans Chriſti vicem gerit, ſed is una perſona eſt; ergo rationi congruit, ut miniſter ſit unus.

Propositio. V. Idem ſacerdos inungens infirmos debet verba formæ proferre.

Prob. Ut enim ait Sylvius art. 2. q. 31. Suppl. Si plures ita miniſtrent, ut uno ungente alter proferat formam, nihil fit: quia, dum materia proxima Sacramenti eſt actio miniſtri, ut ablutio, unctio &c. illa debet ab eo determinari per formam. Si vero unus unam unctionem faciat cum ſua forma, & alius aliam cum propria forma, Sacramentum ſubſiſtit: quod in Euchariſtia poſſet accidere, dum conſecrato per unum pane, alius vinum conſecraret priore ſacerdote moriente: ut ait S. Thom. 3. p. q. 83. art. 6. Idem confirmatur ex laud. Benedicti XIV. Conſt. ubi habetur: *Qui ungit dicat formam reſpondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet:* ut infra dicemus lib. 36.

Dices: Ritus hujuſmodi extat in codice Rodradi libri Sacramentorum Gregor. M. ex Menardo; atqui percipi nequit quomodo is ritus in vetuſtiſſimis Pontificalibus libris irrepſerit, niſi id Eccleſiæ praxi ſubnixum eſſet; ergo &c. R. neg. min. In codicibus enim melioris notæ libri Sacram. ut patet ex editione Maurina tom 3. pag. 253. habetur unum ſacerdotem, dum ungit, pronuntiare illam formam: *Inungo te &c.* Deinde pag. 237. legi-

legitur : *Multi enim ſacerdotes perungent infirmum in quinque ſenſibus corporis*, ibique nulla Sacramentalis forma deſcribitur. Sed monentur ſacerdotes, ut crucem faciant de oleo S. dicentes tantum: *In nomine Patris &c.* Hinc patet I. Iuxta hunc librum unctionem factam ab uno ſacerdote cum forma : *Inungo te &c.* eſſe Sacramentalem, utpote cum forma ſimul & materia peractam: aliam vero a pluribus fuiſſe aliquando absque forma Sacramentali peractam, & tunc fuit ſimplex ceremonia, aliquando cum forma peculiari, cuique unctioni reſpondente, tunc vero quælibet unctio fuit Sacramentalis. Conſtat II. in codice Rodradi, ubi deſcribitur forma & unctio facienda a ſacerdotibus, qui formam non proferunt, deſcribi unctionem poſtremam ceremonialem tantum. III. Præferendum omnibus ritum ab Eccleſia Latina probatum, ubi idem ſacerdos ungendo formam profert.

CAPUT II.

De ſubjecto, ſive de ſuſcipiente Sacramentum extremæ Unctionis.

Conveniunt theologi hoc Sacramentum non eſſe conferendum ſanis, pueris, non baptizatis, impœnitentibus, excommunicatis, navigantibus, præliantibus, & ſupplicio damnatis. Cum tamen Dallæus etiam infantibus extremam unctionem datam eſſe contendat, idque ad morbi curationem tantummodo, Græci autem etiam ſanis conferant; his refellendis ſit

Propositio. Infirmis tantum, iisque adultis, extrema unctio conferri debet.

Prob. I. pars. Ex Jac. ep. *Infirmatur quis in vobis &c.* ubi tria notanda ſunt: I. quod Jacobus, poſtquam ait: *Triſtatur quis in vobis &c.* & huic animi morbo remedium attulit dicendo: *Oret &c.* etiam infirmitati corporis remedium tulit dicens: *Infirmatur &c.* ergo de ægris tantum, non de ſanis

nis hic locus accipi debet. II. Græca vox ἀσθενεῖ, quæ extat in Græco de gravi morbo accipitur Matt. 10. Marc. 6. Philipp. 2. ut notat Grotius; eaque enunciatur de filio Capharnaitæ, & de Lazaro, qui gravissima detinebantur infirmitate; ergo &c. III. Idem evincitur ex verbis sequentibus: *Oratio fidei salvabit infirmum*, Græce κάμνοντα; quæ vox significat *deficientem*, & graviori morbo laborantem, ut notum est; ergo &c.

Prob. II. ex definitionibus Ecclesiæ. Nam Eugenius IV. In Instr. Arm. ait: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* Trident. sess. 14. ait, Christum eo Sacramento *finem vitæ præsidio munivisse.* Innocent. I. epist. ad Decentium ait, Jacobi verba *de fidelibus ægrotantibus* accipienda. Aquisgranen. Concil. ungendos docet fideles: *Cum infirmitate depressi fuerint.* Idem statuunt Aelfricus, David Nanneten. Capitularia Caroli M. Pœnitentiale Theodori, Synodus Lemovicen. & Ritualia Orientalis, & Occident. Ecclesiæ. Lingonense monet liniendum ægrum: *Quando graviter infirmatur.* Viennen. habet: *Hoc Sacramentum datur solis infirmis, adultis, & pœnitentibus, qui sunt in periculo mortis.* Idem statuit Rituale Rom. & alia omnia edita posterioribus temporibus.

Prob. III. Exemplis plurimis ex Hist. Eccles. S. Eugendi Abbatis Jurensis, Remberti Archiep. Remen. Hereberti Colonien. episcopi &c. Qui omnes Paulo ante mortem S. Unctione sunt delibuti. Idem legitur de S. Leone IX. de B. Bernardo Abb. Tironen. de S. Malachia, & Philippo Francorum Rege, de quo cecinit Guilielmus Brito Amoricus: *Cumque oleo sancto, quasi jam moriturus inunctus &c.* Prob. IV. ex auctoritate Orientalium. In Euchologio Græc. utramque formam pro ægrotis institutam esse satis constat. II. Calecas apud Arcud. l. 5. Conc. ait: *Eucheleon* esse

 spiri-

ſpiritalis curationis ſigillum: *Quoniam infirmitate decumbentibus adhiberi illud oportet.* Job Monachus ait: *In extremis reſpirationibus adminiſtrari debet Eucheleon.* Jo. Nathanael: *In ultima hora conceditur.* Gabriel Philadelphus, ait inſtitutum *pro illis, qui in infirmitate decumbunt.* Vide Arcud. pag. 303.

Prob. II. pars. Adultis enim tantummodo, convenire poſſunt formæ recenſitæ, non parvulis, qui nec ſenſuum illecebris indulſere, nec ope Dei indigent ad repellendas dæmonum inſidias: & licet ſanitatis corporalis ſint capaces, hæc tamen non eſt Sacramentorum præcipuus effectus. Hinc Ritualia ſupra laudata, vetant liniri Sacramentali unctione puerulos: idem de amentibus dicendum eſt, niſi per intervalla habeant rationis uſum.

Ob. I. Maldonatus de Sacram. tom. 2. pag. 215. ait, Scholaſticos negantes pueris hoc Sacramentum, errare. Quod probat 1. ex quo apud veteres hæc unctio omnibus indiſcriminatim juſſa ſit. 2. ex teſtimonio Nicolai Cuſani. 3. exemplo Euchariſtiæ, quæ infantibus conferebatur; ergo &c. R. Maldonatum propriis verbis revinci; nam q. 1. p. 211. probat hanc formam: *Indulgeat &c.* & remiſſionem peccatorum eſſe ait hujus Sacramenti effectum præcipuum, atqui in parvulis indulgentia, ac remiſſio peccatorum locum non habet; ergo &c. Ad I. prob. neg. ant. Id enim repugnat Jacobi Epiſtolæ, Conciliorum ſtatutis, & Eccleſiæ praxi. Ad II. R. Cuſanus, qui infantes olim inunctos ait, ævo tamen ſuo eos inungi negat; vel forte aſſeruit Cuſanus, non ſecus ac Maldonatus, infantes olim inunctos *abſque forma ſacramentali.* Ad III. neg. conſ. Poſſunt enim infantes recipere augmentum gratiæ per Euchariſtiam, non poſſunt autem per extremam unctionem recipere remiſſionem peccatornm, quæ non habent.

Ob. II. Græci etiam valentibus unctionem hanc conferunt; ergo &c. R. neg. conf. Hanc enim consuetudinem ut sacris Literis, & Græcis Scriptoribus oppositam Arcudius insectatur ob momenta supra producta: eamque turpis lucri gratia, & quorundam audacia inductam esse scribit. Non desunt tamen qui putant falli Arcudium, & unctionem illam censent non esse Sacramentalem (1); nam forma illa Græcorum: *Pater Sancte &c.* licet nostra amplior, exprimit tamen animi, & corporis sanitatem, nec patitur ambiguum sensum, qui subest formæ Sacramenti Confirmationis, quæ est ista: *Signaculum Spiritus Sancti.* Vide tom. VII. pag. 130.

CAPUT III.

De variis effectibus, quos in subjecto, seu suscipiente producit Extrema Unctio.

Plures effectus hujusce Sacramenti enumerat Trid. Sess. 14. cap. 2. Præcipui autem sunt peccatorum remissio, animi alleviatio, & corporeæ sanitatis, si expedit, restitutio. Ac prior effectus aperte evincitur ex verbis Jacobi: *Si in peccatis est, remittentur ei*, & ex can. 2. Trid. *Si quis dixerit, sacram unctionem non remittere peccata; anathema sit.* III. Ex Patribus, nec non ex forma, ac ritu hujus unctionis, in qua exprimitur hæc peccatorum remissio.

Quærunt tamen Scholastici, an hæc remissio sit hujus Sacramenti effectus primarius, an secundarius? Thomistæ cum D. Th. q. 30. suppl. a. 1. censent, præcipuum ejus effectum esse infirmum contra mortis pericula corroborare, secundarium vero peccata residua sive venialia, sive mortalia delere. S. Bonaventura, Scotus, aliique tenent, venialia pec-

(1) In hanc sententiam descendit etiam Goarius, nec non Benedictus XIV. qui hujus opinionem probare visus est l. 7. de Synodo Diœces. c. 10.

cata hoc Sacramento per ſe primo deleri, & inde conſequi animi alleviationem. Sit itaque

Propositio I. Non deſunt momenta, quibus oſtenditur, remiſſionem peccatorum eſſe primarium extremæ unctionis effectum.

Prob. I. ex momentis ſupra productis ex Jac. epiſt. ex Trid. ex Patribus, atque ex forma, ac ritu hujus Sacramenti, ex quibus conſtat, illius vi præcipue peccata deleri. I. quia effectus hujuſmodi priori loco a Tridentino recenſentur. II. ex Catechiſmo Romano n. 14. primo loco recenſetur gratia, *qua peccata leviora remittit.* III. Sacramentum hoc eſt ſpiritalis ſanatio; ergo debet vi ſua delere peccata venialia, non lethalia. Vide S. Bonaventuram, Scotum, Alenſem ab Auctorem laudatos &c.

Propositio II. Plura ſunt etiam momenta, quibus Thomiſtarum ſententia defendi poteſt.

Prob. I. enim Jacobus prius gratiam commemorat, quæ infirmum ſanat & alleviat, poſtea remiſſionem peccati, & quidem conditionate nempe: *Si in peccatis ſit.* II. Nullum Sacramentum videtur per ſe inſtitutum ad delenda venialia, cum hæc pluribus aliis remediis poſſint expiari. III. Si hæc remiſſio eſſet effectus princeps hujus Sacramenti, etiam ſanis cum Græcis conferri poſſet. IV. Omnia peccata actualia per pœnitentiam delentur; ergo fruſtra hoc eſſet inſtitutum. Ex utriuſque ſententiæ momentis infertur, peccata, quæ unctione extrema per ſe diluuntur, non lethalia eſſe, ſed venialia: cum hoc Sacramentum ſit inſtitutum, non ad conferendam primam gratiam, ſed ad gratiæ augmentum & ad mortis pericula ſuperanda. Ut enim ait Catechiſmus Romanus: *Exitiales culpæ pœnitentiæ Sacramento tolluntur, neque hoc Sacramentum primario ad graviorum criminum remiſſionem inſtitutum eſt, ſed Baptiſmus tantum, & Pœnitentia vi ſua hoc efficiunt.* Ex quibus conſtat, quam ſit infirmum illud argumentum, quod peccata venialia poſſint ſine Sacramento expiari, non enim extra Sacramen-

cramentum delentur vi alicujus signi efficacis, sed per modum impetrationis, ob Ecclesiæ preces, & devotionem fidelium, ut fit aqua lustrali.

Adde, per hoc Sacramentum gratiam conferri contra dæmonum insidias, & impetus. Remissioni peccatorum affine est peccati reliquias abstergere, languorem nempe, qui peccatorum multiplicitate contrahitur, qua concupiscentiæ vulnus, ac mentis cæcitas augetur. Accedit timor mortis, quo ne quis opprimatur, sacra unctione *alleviari* debet; non ergo tollitur hujus vi sacramenti ægritudo corporis, sed animi: atque hunc Sacramentalem effectum unctio, seu *materia proxima*, & ejus *forma* producit, ut dictum est. Alter effectus, qui verbo *alleviabit* continetur, est animi confirmatio, hujusque excitatio ex magna fiducia in Dei misericordiam. Ablato enim languore & tristitia, qua infirmus afficiebatur ex peccati turpitudine, & pœnarum formidine, exhilaratur expectans adventum Domini: nec adeo angitur memoria scelerum præteritorum.

Ex his patet, quinam sit primarius sacræ unctionis effectus. Certum est enim, hoc Sacramentum esse institutum ad expellendam animæ lassitudinem, & ad sanandos *contritos* corde. Manifestum est etiam, infirmitatem illam, & torporem spiritus plurimorum, leviorumque criminum inhæsione induci, & foveri. Certum est etiam, in quavis curatione prius causas morbi tollendas esse; ideoque spiritali unctione sanandos ægrotos, ut extrema valeant superare pericula. Hi ergo effectus, si attendantur singuli in suo ordine, primarii sunt omnes. Sanatio enim est id, cujus gratia hoc Sacramentum fuit institutum, & hoc sensu subscribendum est D. Thomæ. In eadem sanatione debet prius tolli infirmitatis origo, & ita prius absterguntur peccatorum reliquiæ, ut ait S. Bonaventura. Relate ad finem gratia corroborans est etiam effectus primus. Hac via facile objecta superius posita solvuntur.

Postremus effectus est sanitas corporis, si hæc tamen animæ sit profutura, ut ait Tridentinum.

Quæres, cur non semper ægrotus sanctæ unctionis vi convalescat, cum tamen semper gratiam consequatur, nisi adsit obex?

R. Quia Sacramenta instituta præsertim sunt propter spiritalem animæ utilitatem, & consequenter sanatio corporis est *secundarius* effectus, qui non vi olei nativa, sed sacramenti efficacia producitur; non tamen *absolute*, sed si animæ saluti expediat: ut docet S. Thomas loc. cit. *Quia ratio operans numquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem. Ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritalem.* Hinc refelluntur Novatores, qui ajunt ægrotum numquam moriturum, si sacra unctio sit sanitatis signum efficax.

CAPUT IV.

De variis quæstionibus ad hoc Sacramentum spectantibus.

Quæri solet imprimis: An hoc sacramentum sit necessarium necessitate præcepti? (quippe necessitatem medii negant omnes[1]. Quidam affirmant, eo quod verba Jacobi: *Inducat* &c. videantur importare mandatum; unde Tridentina Synodus eos damnat, qui docent: *Hanc unctionem, vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei* &c. Et Synodus Cabillonen. can. 48. ait: *secundum B. Jacobi documentum infirmos ungi debere.* Ita sentiunt De Cocq, Habert, Le-Droint, & Tournelyus. Negant tamen Suarez, Toletus, Estius, Sylvius, aliique sequentibus ducti momentis.

I. Innocentius I. in ep. ad Decent. ait: *Ægrotos oleo sancto perungi posse*, eoque *uti licere*, non autem *debere*, aut id *necessarium esse*. II. Trid. ait: *Hoc Sacramentum fidelibus commendatum, & promulgatum.* Addit: *Tanti Sacramenti contemptum abs-*

absque ingenti scelere esse non posse; quibus verbis damnantur contemptores, non vero ii, qui illud non suscipiunt.

III. Hæc denique videtur expressa D. Th. sententia. Hi ergo ajunt, eo sensu sacram unctionem *præcipi*, & *mandari* a Jacobo, quatenus est a Christo instituta, & præceptum est non contemni. In hac controversia quatuor certissima sunt. I. Sacrilegium esse hujus Sacramenti contemptum, ex laud. Trid. verbis, & ex Const. Martini V. an. 1418. qua statuitur, ut suspecti de hæresi interrogentur: *Utrum credant, quod Christianus contemnens susceptionem extremæ unctionis peccet mortaliter.* II. Parochos teneri sedulo curare, ne quis absque hoc Sacramento decedat ex Syn. Lingonen. Mediolanen. ex Catech. Rom. &c. III. Ægrotos illos, qui confiteri nequeunt peccata, teneri ad hoc Sacramentum suscipiendum, eo quod deleat *per se* venialia, & *per accidens* etiam mortalia: ita D. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. Tenetur enim quisque in extremo periculo opportuna remedia adhibere. IV. Tandem ad illud teneri ægrotos illos, qui crebris tentationibus, & præsertim in fide tentantur.

Quæres II. An peste grassante parochi teneantur cum propriæ vitæ discrimine infirmis extremam unctionem administrare? Negant Sylvius, Suarez, Possevinus, Diana, aliique ex quo Sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis, ut est pœnitentia. Alii vero affirmant, ob discrimen, quod interest, ex Aug. ep. ad Honoratum 180. nunc 228. inter pastorem & mercenarium, qui videns lupum relicto grege aufugit, non item bonus pastor. Tum etiam ex quo parochi ex justitia Sacramenta ministrare teneantur, nec salva æquitate deserere possint in extremo periculo infirmos suæ curæ commissos: ut enim ait Nicolaus I. cap. *Sciscitaris* 7. q. 1. *Si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus.* Ex quibus eruitur.

I. Nullo

I. Nullo modo permittendum esse, ut parochi infirmos deserant, quoties illorum præsentiam exigit istorum salus spiritalis, nec adsunt alii ministri, qui conferant Sacramenta: ut patet ex momentis secundæ sententiæ. II. Parochos omnino teneri ad inungendos ægrotos, qui peste correpti peccata sua confiteri non valent, ex præced. Prop. ubi ostendimus eo in casu S. unctionem delere lethalia, & patet ex Syn. Namurcen. ann. 1639. *Qui autem peste afflatus non est confessus, nec potest confiteri, pastor teneatur extremam unctionem cum periculo vitæ dare.*

III. Teneri parochum hanc unctionem peste laborantibus conferre, si periculum non sit evidens, secus si sit inevitabile, & Eucharistiæ, & Pœnitentiæ Sacramenta antea ministraverit, ut docent Theologi clariss. apud Sylvium. IV. Tandem debere parochos animadvertere, sibi nefas esse in quovis casu denegare extremam unctionem infirmis si eam petant, aut ex negatione scandalum oriatur: cum non appareat evidens periculum, si providentiæ sese committant, pharmacis salutiferis se muniant, infirmosque virgula, non pollice inungant.

Quæres III. Quo tempore hoc Sacramentum sit administrandum? R. cum Catechismo Rom. n. 9. *Gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipiat.* Idem tradunt Concil. Burdigalen. Remen. Bituricen. & I. Mediolanen. (1) apud Natal. Alex. Ubi nota, male se gerere medicorum complures, qui ne ægrotantes tristitia afficiant, etiam in magno vitæ discrimine sanitatem illis promittunt, cum teneantur dare operam, ut morituri disponant domui suæ, nedum terrenæ, & corruptibili, sed etiam spiritali & æternæ.

Quæ-

(1) His consentit Synodus Auxim. ann. 1593. de Extr. Unct. c. 1.

Quæres IV. An unctio extrema præmittenda sit, an postponenda viatico? R. I. Sacram unctionem olim præmissam fuisse viatico ex cap. *Ab infirmis* 21. qu. 7. ubi legitur: *Sacra unctione inuncti, secundum statuta SS. PP. communione Viatici reficiantur.* Idem eruitur ex l. 7. Capitular. Caroli M. & ex Concil. Aquisgranen. &c. Accedunt exempla Ramberti Bremen. ep. Guillelmi Arch. Bituricen. S. Malachiæ, aliorumque apud Launojum, qui ante communionem S. oleo peruncti sunt. Quod confirmatur ex veteribus Ritualibus Constantiensi, Rotomagen. Andegaven. &c. in quibus ordo inungendi infirmos ordinem administrandi Viaticum præcedit. Ex constitutionibus etiam veterum monachorum Cluniacensium, Cistercien. &c. ab Auctore laudatis constat unctionem viatico fuisse præmissam.

R. II. Hanc consuetudinem non fuisse universalem, ut constat ex vetustissimo MS. Pontificalis Rom. quod extat Florentiæ in Bibl. S. Crucis, ubi, teste Mabillonio, Viaticum præmittitur unctioni infirmorum, idem evincitur ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ. Tandem ex Serm. S. Cæsarii, ubi legitur: *Corpus Christi ille qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum ungat.* Et ex Capitularibus Isaac Lingonen. & Herardi Turonen. Viaticum unctioni præponitur.

R. III. Non violare Ecclesiasticam disciplinam, qui humiliter unctionem peteret ante Eucharistiam, ut a peccatorum reliquiis purgatus eam majori dispositione susciperet: etenim legitur in Rituali Parisiensi: *Si infirmus prius petat Sacramentum Eucharistiæ, quam extremam unctionem, sibi prius confessione facta ministretur.* Idipsum probat Van-Espen exemplis Lupi, & Fervaquesii, quos vocat *Augustinianæ familiæ non exigua ornamenta*, qui sane oleo *inungi ante viaticum petierunt, & obtinuerunt.*

R. IV. Communiter tamen servanda est consuetudo, quæ unctioni extremæ præmittit viaticum. I. Quia congruum est vigentem Ecclesiæ disciplinam serva-

ſervare. II. quia, ut illa, ita etiam iſta, momentis ſuis innixa eſt, quæ profert Bellarminus l. 2. de Arte bene moriendi: quorum illud præcipuum eſt, quod nempe veteres Sacramenta omnia concludebant, & quaſi conſignabant Sacramento corporis Chriſti: unde etiam nunc baptizati, adulti, ordinati, & matrimonio juncti ſtatim communione Euchar. reficiuntur. At noſtro ævo ordo invertitur, quia ſæpe contingit, ut infirmi rationis uſum amittant, vel aliunde reddantur inhabiles ad Euchariſtiam.

Quæres V. An extrema unctio poſſit iterari? R. I. Nonnulli, fuiſſe olim opinionem Goffridi Abbatis, ſemel tantum fas eſſe ſacro oleo ægros delinire, eo quod nec publica pœnitentia, cujus ſpecies quædam eſt extr. unctio, nec confirmatio repetatur: ſed utraque ratio futilis eſt. Licet enim pœnitentia publica non iteraretur, iteratur tamen peccatorum confeſſio, quæ in publica pœnitentia Sacramenti rationem habet. Confirmatio autem non iteratur, quia imprimit characterem: quod non præſtat ſacra unctio, quæ inſtituta eſt in remedium, ſubſidiumque ægrotantium.

R. II. alii: poſſe quidem iterari unctionem, non tamen intra ſpatium unius anni, ut habetur in veteri Carm. MS. Eccleſiæ Turonenſis: *Non bis ungatur in anno*. Verum nec ſententia hæc firma fuit, nam juxta Pontificale S. Prudentii, qui floruit IX. ſæculo, imo juxta librum Sacram. Gregorii in eadem infirmitate repetebatur unctio infirmorum, & Viaticum. Nec valide rationi ſubnixa eſt: nam ex Jacobo inungendi ſunt fideles, quotieſcumque infirmantur; ſi ergo iterum infirmentur, iterum ſunt inungendi.

R. Itaque III. Infirmos, ſi poſt ſuſceptam unctionem convaluerint, iterum hoc Sacramento juvandos eſſe, ut docet Trident. c. 3. & confirmatur ratione, cum extrema unctio inſtituta ſit in ſubſidium infirmorum, & ſit ſpiritalis curatio, quæ proinde

inde morbis ſpiritalibus redeuntibus iteratur. Quod non fit in eadem infirmitate, quia per ſe ſufficit ad ea incommoda vitanda, quæ affert præſens infirmitas, dummodo hæc non ſit nimis diuturna, & infirmus rurſus incidat in vitæ diſcrimen (1): tunc enim accidit nova quædam infirmitas, & ægrotus *patitur recidivum*, ut ait S. Thomas q. 33. art. 2.

Quæres VI. Quænam diſpoſitiones in ſuſcipientibus extremam unctionem requirantur. R. Cum extrema unctio ſit Sacramentum exeuntium, & pœnitentiæ conſummativum, in eo præmittendam Sacramentalem confeſſionem: & ſi hæc non poſſit emitti, ſaltem vehementem contritionem, cum ſpe melioris & incommutabilis vitæ, fide conſtanti, aliarumque virtutum exercitatione, & maxima in tam efficax Sacramentum reverentia.

CAPUT V.

De ritibus Sacramenti extremæ unctionis.

Dum infirmi ſacro oleo liniuntur, ſeptem pſalmos recitandos eſſe præſcribunt Ritualia recentiora, conſuetudines Cluniacenſium, & omnium Eccleſiarum manualia. Juxta rituales Pariſienſes Pſalmi recitari poterant, *eundo ad infirmum.* Juxta Meldenſe, *in domo infirmi* ante S. unctionem: & dum hæc peragebatur a parocho, clerus Pſalmos alios canebat. In Sueſſionen. Pſalmi Pœnitentiales recitabantur, *poſtquam unctus eſt infirmus.* At Rituale Rom. cui conſentiunt alia plura Sacramentalia, jubet unctionem fieri, dum Pſalmi Pœnitentiales dicuntur: quæ conſuetudo invaluit in Eccleſia Narbonen. Toloſana, Maſſilien. &c.

Quod ſane rectiſſime eſt conſtitutum. Nam hoc Sacramentum, ut ait Trid. ſeſſ. 14. *Non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua*

(1) Vide Conſtitutiones Synod. Aux. an. 1593. de Sacramento Extremæ Unctionis cap. 6.

tua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus; ideo cordis contritionem, & summam peccati detestationem postulat, quod, teste Possidio, *fecit S. P. A. ultima, qua defunctus est, ægritudine. Nam sibi jusserat psalmos Davidicos de pœnitentia scribi contra parietem, & legebat, & jugiter flebat.* Consueverunt majores nostri cinerem quoque, & cilicium ægrotis imponere ante sacram unctionem ex Manuali Aniciensi, & Noviomen. In Lugdunensi, & Rotomag. statuitur, ut supra pectus decumbentis crux ex cineribus fiat. Peractis unctionibus in distento super terram sagulo, ac cinere superposito infirmi collocabantur ex vet. Pontificalibus; & in *Consuetudinibus* Cluniacen. Chartusianorum, & Cistercien. Atque ita animam efflavit S. Martinus Turonen. episcopus. Nec non summi principes Ludovicus VI. & IX. Unde illud effatum: *Non decet Christianum, nisi in cinere mori.* Tandem mos fuit olim, ut infirmi ante sacr. unctionem recitarent symbolum Apostolicum ex Manuali Suession. & Ambianen. quod ad Christianæ fidei confessionem factum puto: unde Græci ægrotos inungentes eorum capiti librum Evangeliorum imponunt, teste Allatio, Goario &c. Atque his huic tractationi finem facimus.

APPENDIX LIB. XXXV.

In quo Orientalis Ecclesiæ disciplina explicatur circa Sacramentum extremæ Unctionis.

Optime monet sapientissimus Rom. Pontifex Benedict. XIV. l. 7. de Syn. Diœcesf. c. 26. non obesse hujus Sacramenti valori, si parum balsami huic oleo permisceatur: *Modo admixtio non destruat exteriorem olei speciem, itaut non amplius oleum, sed potius unguentum, aut alterius generis mixtum artificiale censeatur.* Immerito ergo Galanus

Galanus ea de re Armenos erroris insimulat. Quid vero de Syrorum Nestorianorum detestabili consuetudine censendum est, qui, teste Assemano: '*Loco olei olivæ, quod pro infirmis olim benedicebant, quum pro iis orare, manusque supra eos imponere decrevissent, nunc massam quandam componunt ex oleo, & aqua, & pulvere, seu reliquiis alicujus sancti, quam vocant* HANANA seu TAIBUTA, *idest gratiam talis sancti, eamque in cornu, seu vase conservant in Ecclesia pro infirmis usurpanda?* Ex nuper laud. Benedicti XIV. doctrina satis constat, Syros istiusmodi errore gravissimo detineri. *Synodus Diamperien. ex eodem Assemano, sess.* 8. c. 17. *loco hujus olei aquam benedictam in Ecclesiis Malabaricis retinendam præscribit.* Armeni, Galano teste, feria 5. maj. Hebd. butyrum Græcorum more, post lotionem pedum consecrare solent his verbis: *Sanctifica Domine hoc butyrum, ut medicamentum omnium ægritudinum, & sanitatem afferat animabus, corporibusque illorum, quibus applicatur, in memoriam illius unctionis, quæ in Christi pedibus a Magdalene facta fuit.*

Quæ quidem unctio, licet apud alias Orientales Ecclesias, teste Galano ipso, non obtinuerit, cum tamen nihil fidei, aut moribus oppositum contineat, non est improbanda; at jure improbatur oratio, quam in hujusmodi unctione adhibere solent, qua dicitur unguenti hujusmodi benedictionem ab Apostolis accepisse universalem Ecclesiam. Armenorum nonnulli, ii præsertim, qui Vartani erroribus sunt implicati, loco unctionis infirmorum, sacerdotum defunctorum corpora inungere superstitiose consuevere, ut ii cum pravis spiritibus decertare valeant: Cum autem superstitiosam hujusmodi unctionem adhibent, hæc proferunt verba: *Benedicitur, ungitur, sanctificatur manus, frons, vertex hujus sacerdotis per signum istius S. Crucis, per hoc Evangelium &*

& S. chrisma: *In nomine Patris &c.* Porro hæc Armenorum hæreticorum superstitio originem duxisse videtur ex eorum sententia, qui inter alios hujus Sacramenti effectus illum etiam enumerant, nimirum per istam unctionem a Deo muniri fidelem, ut *more militis unctus aereas possit vitare potestates*, quam formam, teste Alberto M., ac D. Bonaventura, in Ecclesia Ambrosiana jamdiu obtinuisse demonstrat cl. Auctor, tom. 8. pag. 278. Rom. editionis. Quod spectat ad hujusce Sacramenti ministrum, optime monet loco cit. pag. 293. cl. Auctor, quamvis aliquando plures sacerdotes ægrotos inunxerint, posse tamen unctionem ab uno presbytero rite conferri. Quod etiam Græci in Ruthena Synodo Zamosciæ celebrata anno 1720., & a Bened. XIII. confirmata ann. 1724. professi sunt his verbis: *Si septem, aut tres haberi commode non possint sacerdotes, ab uno conferatur, qui totius Ecclesiæ personam gerens hoc Sacramentum ministret.* Idem statuit Benedict. XIV. in Constit. *Etsi Pastoralis* §. 5. nu. 2. & 3. Reapse, ut animadvertit laudata Synodus Ruthena a Bened. XIII. approbata: *Plures sacerdotes advocantur ad ministrandum hoc Sacramentum, tum ob reverentiam ejusdem, & gratiæ copiam, quam confert, tum ut plurium sacerdotum preces effectum Sacramenti coadjuvent.* Narrat Nathanael magnus œconomus Cretensis in Resp. ad quæsita episc. Anagnini, Græcos sacerdotes, loco satisfactionis in Sacramento pœnitentiæ imponendæ, alicubi consuevisse, non levi pretio infirmum sacro oleo inungere, ut ita a peccatorum reliquiis, pœnisque pro iis subeundis absolverentur: quem abusum jure improbavit post Nathanaelem Arcudius l. 5. cap. 4.: qui arbitratus est Græcos presbyteros in ea fuisse sententia, per eam unctionem verum perfici Sacramentum, cujus capaces esse non solum infirmos, sed etiam sanos, recentiores nonnulli irrito labore demon-

monstrare conati sunt. Quos tamen invictis scripturarum oraculis, firmissimis Ecclesiæ definitionibus, & validissimis Ecclesiasticæ Historiæ monumentis refellit cl. Auctor loco cit. pag. 300.

LIBER XXXVI.

De Sacris Ordinationibus.

Cum de Sacramentis, quæ pro omnibus Christi fidelibus esse instituta creduntur, fuerit hactenus pertractatum, superest ut de iis etiam sermo fiat, quæ certam hominum conditionem spectant, qualis est Ordo, qui clericos respicit, & Matrimonium, quod spectat ad laicos, de quo seq. postremo libro verba fient. Nunc autem de sacris Ordinationibus agendum est, & per universos clericorum gradus discurrendum, qui aut docendo, aut Sacramenta conficiendo, aut ministrando gerunt in Ecclesia munera præstantiora. Quod quidem duplici dissertatione expendere pro virili curabimus. Quare prima erit de existentia, numero, atque essentia Sacramenti Ordinis, altera de ejus ministro, subjecto, ac ritu.

DISSERTATIO I.

De existentia, numero, atque essentia Sacramenti Ordinis.

Quæremus hoc loco, num Ordo sit proprium novæ legis Sacramentum, quotuplex sit, quænam denique sit ejus materia ac forma?

CAPUT I.

Ostenditur Ordinem esse proprium legis Evangelicæ Sacramentum.

Not. I. Ordinis nomine intelligunt Latini scriptores I. rerum seriem, atque dispositionem, ut

 ordi-

ordinem instituere, permutare, abrumpere. II. Varia civium genera, ut *Ordo Senatorius, equestris &c.* III. Curiam & magistratum, de quo sæpe Aug. in Breviario Coll. Carthag. IV. Sacramentorum, rituumque rationem & methodum, ut *Ordo Romanus, Ordo Æthiopum &c.* V. Religiosorum instituta, ut *Ordo S. Benedicti, Ordo S. Augustini &c.* VI. Hierarchiam Ecclesiasticam, quo sensu in ordine constituti dicuntur, qui Ecclesiastica pollent auctoritate. VII. Tandem Ordo significat perantiquam Ecclesiæ cæremoniam, qua episcopi, aut impositione manuum, aut signo alio sensibili ad sacra ministeria nonnullos initiant, & hic Ordo est Sacramentum, de quo sermo est.

Not. II. Græci ex traditione hoc Sacramentum servantes illud vocant χειροτονίαν, seu χειροθεσίαν, idest *manuum impositionem*, quo vocabulo nunc initiationem clericalem, nunc electionem ad Ecclesiastica, & profana etiam munia, quam *manus extendentes faciebant*, ferendi suffragii gratia, Græci designant. Unde electionem episcoporum Cleri suffragio factam χειροτονίαν appellant, ut patet ex can. 4. Nicæno: frequentius tamen ritum illum significant, quo sacro ministerio aliquis inauguratur. At de hoc voce plura Arcudius l. 6. Concord. c. 1. & Morinus de Sacr. Ord. pag. 3. Exerc. 1.

Not. III. Postremo sensu acceptus Ordo definitur: *Signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritalis potestas traditur ordinato*. In qua definitione tradita a Magistro, & a D. Thoma, aliisque communiter probata, adest *signaculi* expressio, genus nempe, quo convenit cum aliis Sacramentis, & *potestatis spiritalis* traditio, qua Ordo ab aliis Sacramentis secernitur. Dicitur autem hæc potestas spiritalis, quia spectat ad sacrum ministerium obeundum. Materiam vero hæc definitio non exprimit, quia in singulis ordinibus diversa est.

Ali-

Aliam definitionem pleniorem tradit Trid. seff. 23. ex cujus cap. 1. & 2. hanc eruit Sylvius: *Ordo est Sacramentum novæ legis a Christo institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi corpus, & sanguinem ejus, nec non sacerdotio ex officio deserviendi.*

Not. IV. Prætermittimus eam quæstionem: an extet in Ecclesia sacer ordo. Licet enim plures hæretici omnibus fidelibus etiam fœminis munia Ecclesiastica attribuant, fatentur tamen ad ea deligendum esse quemlibet, aut consensione laicorum, aut presbyterorum delegatione: ne perturbata sint omnia. A nobis tamen in eo dissident, quod negent inaugurationem presbyterorum esse gratiæ signaculum, & proprium novæ legis Sacramentum. Ita Lutherus lib. de Capt. Babyl. quamvis in Tract. de Missa priv. non neget *pastorum ordinationes* servari ex vetustiss. consuetudine. Melanchthon etiam, qui in Locis commun. S. Ordines dejicit, eos tamen recipit in posterioribus editionibus. In Confess. item Augustana Lutherani ordinem Eccl. professi sunt, sed caute addidere: *Quod nemo debeat in Ecclesia publice docere, nisi rite vocatus.* Qua de re Eckius, teste Cassandro, nil aliud ad concordiam ineundam a Lutheranis in hoc articulo desiderabat, quam ut docendi ministerio adjungeretur *consecrandi potestas.* Calvinus autem, licet Ecclesiasticorum rituum infensus hostis, unde minores Ordines, Subdiaconatum, & Characterem, & S. Chrisma deridet, tamen *presbyterii munus ore Christi nobis commendatum* non diffitetur; *illic enim*, inquit, *ceremonia est, primum ex Scripturis sumpta.* Ex qua novatorum dissensione catholicum dogma firmatur. Sit ergo

Propositio. Ordo, quo S. ministri initiantur, est verum & proprium novæ legis Sacramentum.

Prob. I. ex sacris literis. Nam Act. 6. legitur, diaconos ab Apostolis fuisse peculiari muneri de-

ſtinatos, & cap. 14. a Paulo & Barnaba conſtitutos eſſe presbyteros per univerſas Eccleſias. Epheſ. 4. quidam a Chriſto ſelecti dicuntur: *In opus miniſterii*. Tito c. 1. mandat Apoſtolus, ut presbyteros per civitates conſtituat. Et Hebr. 5. ait: neminem aſſumere ſibi honorem ſacrificia immolandi, niſi vocetur a Deo tamquam Aaron; atqui talis inauguratio miniſtrorum fit per verum & proprium Sacramentum; ergo &c.

Prob. min. I. enim habetur ibi ſignum ſenſibile, ideſt manuum impoſitio. Nam Act. 6. Apoſtoli electis ſeptem diaconis *orantes impoſuerunt manus*. De presbyteris etiam a Paulo, & Barnaba conſtitutis, ubi Vulgata legit: *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros* habet Græca: Χειροτονήσαντος δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους, ubi aperte Χειροτονία, ſeu manus impoſitio exprimitur. Timotheum quoque, *cum impoſitione manuum presbyterii*, fuiſſe ordinatum conſtat ex ep. 1. & 2. Eodem ritu gratiam ordinatis fuiſſe collatam teſtatur Apoſt. ib. dicens: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi, cum impoſitione manuum presbyterii*. Tandem a Chriſto inſtitutum fuiſſe hoc Sacramentum conſtat ex Act. cap. 20. ex 1. ad Cor. 12. &c. ubi Chriſtus Apoſtolis tradidit poteſtatem remittendi peccata, conficiendi Euchariſtiam, ſacra myſteria diſpenſandi, & regendi Eccleſiam Dei; ergo &c.

Prob. II. ex PP. Epiſcopos enim, presbyteros, & diaconos a plebe diſtingui in epiſtolis Ignatianis ad Trallianos, & Smyrnen. in Juſtini Apol. in Canonibus Ap. certum eſt, atqui PP. loquuntur de conſtitutis in Eccleſiaſtico ordine per initiationes Sacramentales; ergo &c. Prob. I. Ex Græcis PP. Nazianzenus Or. in Bapt. p. 802. ait: *Verbi poteſtas ſacerdotem honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi ſeparatum*. Addit, eum *quadam inaſpectabili gratia interiorem animum gerere in meliorem transformatum*. Eſt ergo in ordine gratiæ ſpiritalis effectus. Chryſoſtomus

ſtomus l. 3. de Sacerd. nu. 4. ait : *Ipſe paracletus miniſterium iſtud diſpoſuit.* Unde ſublimius eſſe demonſtrat Levitarum, veterumque Sacerdotum ordinibus, *quod animum attingat, cœloſque tranſcendat.* Et tom. 1. pag. 571. commemorat ritus adhibitos *in ſacerdotum ordinationibus.* Tom. 2. p. 436. ait : *Neque ſacerdotes habuiſſemus, neque poſſibile foret, horum ordinationes ſine deſcenſu* (Spiritus S.) *fieri.* Gratiam item Ordinatione collatam deſcribit in epiſt. 1. ad Tim. ergo &c.

Prob. II. ex Latinis Patribus. Tertullianus de Præſcr. c.40. oſtendit, diabolum divinaSacramenta in myſteriis idolorum æmulari, qui tingit, ſignat in fronte milites ſuos, celebrat panis oblationes, & pontifices etiam conſtituit. Ex quibus Pamelius Baptiſmum, Euchariſtiam, Confirmationem, Ordinem, & alia ſacramenta a Tertulliano ſignificari demonſtrat. Cyprianus etiam *Ordinationem clericam*, ut ipſe eam appellat ep. 33. & quidem ad divina miniſteria, ab epiſcopis factam cum collatione ſpiritalis poteſtatis commemorat : quemadmodum & ſacrificium Chriſtianum ab initiatis tantum oblatum l. de Lapſ. & alibi. Vide Auctorem l. 33. c. 19. de Miſſa. At S. P. A. l. 2. contra Parmen. c. 13. ait, tam Baptiſmum, quam Ordinem in hæretico permanere : *Utrumque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur ; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari* : addit, ſi id fieret, ſummam illatum iri ſacramento injuriam. Et n. 30. hoc validiſſimo argumento Donatiſtas exagitans ait : *Si utrumque ſacramentum eſt* (Baptiſmus & Ordo) *quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? Neutri ſacramento injuria facienda eſt* ; ergo per Auguſtinum Ordo ſacramentum eſt, de quo nemo catholicus ambigit, quodque imprimit characterem.

Conſentiunt Auguſtino omnes epiſcopi Africani in epiſtolis ad Marcell. ab Aug. productis l. de Geſt. cum Emerito Donat. Leo Magnus in ep. ad

Epiſcopos Maurit. ait: *Ante ætatem maturitatis, & experientiam diſciplinæ*, nulli tribuendum eſſe ſacerdotalem honorem, juxta illud Ap. in 1. ad Tim. 1. *Manus cito nemini impoſueris.* Ib. c. 5. laicos a clericis ſecernit, & recenſet *ordinationes* Maximi, Aggari, & Tyberiani. Gregorius Magnus ep. 34. l. 10. meminit ordinationum, quæ fiunt impoſitione manuum epiſcopi. Et l. 2. Dial. c. 16. minores quoque ordines vocat *ſacros*, quoniam iis clerici ritu Sacramentali initiantur. Et ep. 46. ad Jo. ep. Ravenn. utitur argumento Auguſtini contra Donat. *Sicut baptizatus iterum baptizari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum Ordine conſecrari non valet.* Ex quibus ſic arguitur: Ritus, quo miniſtri altaris initiantur, eos ſecernit a plebe fidelium, ſpiritali poteſtate donat, Spiritus S. chariſmate inungit, gratia peculiari innovat, & imprimit characterem; ergo verum eſt Sacramentum.

Prob. III. ex definitionibus Eccleſiæ. Synodus Chalcedonenſ. e gradu dejecit epiſcopos, qui *propter pecunias ordinationem fecerint.* Eadem habet Conc. Bracaren. & alia Romæ, Ticini, Remis, & Moguntiæ habita a S. Leone IX. ſed hoc ſtatuit Eccleſia, eo quod in his venalia fierent ſacramenta; ergo &c. Idem conſtituit Eugenius IV. in Decreto unionis, ubi Ordinem inter ſeptem ſacramenta recenſuit. Quod etiam confirmavit Trid. ſeſſ. 23. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit Ordinem non eſſe verum, & proprium Sacramentum a Chriſto inſtitutum, anathema ſit.*

Prob. IV. Ex omnium Eccleſiarum conſenſu. De Græcis conſtat ex eorum Euchologiis, & ex confeſſionibus Calecæ, Protoſyncelli, Simeonis Theſſalon. Adde Balſamonem, Pachymeram, & Hieremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum apud Arcudium l. 6. De Cophtis, & Jacobitis diximus c. 5. De Syriacis, & Maronitis teſtem habemus Jo. Darenſem, & Morinum. Hinc pervicaciſſimi ex hæreti-

reticis id negare non ausi sunt. De Luthero, Melanchthone, & Calvino dictum supra. Bohemos episcopis destitutos misisse ad Romanæ Ecclesiæ antistites clericos initiandos ostendit Bossuet in Histor. Var. l. 11. Angli etiam adhuc habere se episcopos jactitant, ex eodem Bossueto l. 7. Per Saxoniam fieri a Lutheranis ordinationes ministrorum, cum impositione manuum, & certa verborum forma, ostendit Lindanus. Valdenses, & Hussitas inter vera sacramenta ordinationes numerasse constat ex eorum Confessione an. 1504. constat ergo Catholicos omnes Latinos, & Orientales, & hæreticos etiam in catholico dogmate consensisse.

Prob. V. Ex comparatione Ecclesiæ Christi cum aliis Religionibus. Nam in lege naturæ extitisse sacerdotes, quibus tantum fas erat victimas immolare, cuique compertum est: nec desunt, qui putant, primogeniti jura, quæ Esau cessit Jacobo, *jura* fuisse *sacerdotalia*, non refragante huic opinioni Hieronymo. Filios item Aaron, quos a tribu *Levitas* dicimus, sacramento quodam sui generis Moses inauguravit, mactato prius vitulo & ariete, & hujus sanguine initiandis delibutis, manibusque eorum capiti impositis Exod. 29. dicti proinde כהנים *cohenim*, a כהן *chen*, sacerdotio fungi: unde *Sacerdos magnus*, כהן גדל *Cohen gadòl* dictus est. Et de Josue quidem Deut. 34. legimus divino spiritu fuisse repletum: *Quia Moyses posuit super eum manus suas.* A Judæis suorum sacerdotum initiationes ethnicos accepisse docet Tertullianus de Præscriptione c. 40. *Si Numæ Pompilii sacerdotalia officia, si sacrificalia ministeria, & vasa ipsorum sacrificiorum consideremus; nonne manifeste diabolus morositatem illam Mosaicæ legis imitatus est?* Reapse, quoad initiationes, Gentiles ritum Mosaicum fuisse imitatos constat ex epitheto sacerdotibus tributo in

veteribus lapidibus, ubi *Critoboliati* appellantur. *Critobolium* enim eſt mactatio arietis, cujus ſanguine inauguratos eſſe Pontifices teſtatur Prudentius. De his plura erudite noſter Scacchius Myroth. 2. De Sacerdotibus Perſarum, Indorum, Bracmanum, Tartarorum &c. vide quæſtiones Alnet. Huetii l. 2. c. 20. Cum ergo in Evanvelica lege offeratur ſacrificium longe præſtantius; nil mirum ſi ad ipſum deligantur peculiares viri, atque hi initientur myſtica ceremonia; qua initiationes Chriſtianæ tanto excedunt aliarum inaugurationes, quanto noſtrum ſacrificium omnibus præſtat.

Ob. I. Scripturæ loca, quæ docent fideles omnes eſſe ſacerdotes: ſed hæc ab Auctore ſoluta ſunt tom. præc. p. 347. Unum addo. Sicuti longe diſtat ſacrificium laudis ab immaculati agni immolatione, ita diſtat ſacerdotium ſpiritale fidelium ab illo ſublimiori, quo funguntur initiati manuum impoſitione epiſcoporum. Hoc ſacerdotium non eſſe commune, licet iſtud ſæpe aſſequantur indigni, optime aſſerit S. P. A. & conſtat ex ratione ipſa ſacrificii, quod exigit externum ritum, oblationem, & immutationem rei, quæ Domino offertur. Quod quidem non fit in ſacrificio laudis, quod offerunt fideles communiter.

Ob. II. Impoſitio manuum, de qua Apoſtolus ad Timotheum, non erat ſacramentum, ſed gratia *gratis data*; ergo &c. Prob. ant. Tam in ep. 1. ad Tim. 4. quam in 2. ad Tim. 1. gratia manuum impoſitione collata dicitur, non *χάρις gratia*, ſed *χαρισμα chariſma*: quo nomine in ep. 1. ad Cor. c. 12. deſignatur gratia ſanitatum, diſcretio ſpirituum &c. quæ ibidem dicuntur: *Diviſiones gratiarum.* II. Apoſtolus aſſerit, hanc gratiam datam *per prophetiam*, quæ ad illa gratiarum genera refertur: Nam Apoſtolus in 1. ad Tim. 4. ait: *Alii operatio virtutum, alii prophetia &c.*

R. neg ant. Ad prob. neg. ant. Nam *charis*, & *chariſma* idem, hoc eſt omnia gratiarum genera ſigni-

ſignificat. Paulus etiam gratiam juſtificationis *chariſma* vocat Rom. 5. dicens: *Sed non ſicut delictum, ita & donum*: Græce *chariſma*. Et in 1. ad Cor. 12. ait: *Æmulamini chariſmata meliora*, ubi Ap. non ad æmulationem ſignorum, ſed ſanctitatis & charitatis fideles hortatur. Deinde *chariſma*, de qua Ap. ad Tim. Ordinem non excludit, ſed adſtruit: ſacra enim ordinatio ſanctitatem confert, & gratiam multiplicem, hinc Chryſ. Hom. 1. in 2. ep. ad Tim. ad ea verba: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam &c.* ait: *Hoc eſt gratiam ſpiritus, quam accepiſti ad Eccleſiæ inſtitutionem, vel ad omne religionis obſequium, quippe in nobis eſt hanc vel extinguere, vel excitare.* Addit hanc Spiritus ſancti gratiam eſſe gratiam adoptionis: *Qua clamamus abba Pater*; ſed hæc eſt gratia ſanctificans; ergo &c. Conſentiunt Theophylactus, & Oecumenius. Ambroſiaſter etiam *chriſma* definit: *Donum gratiæ Dei acceptum per ordinationem*, unde ait ſubdere Ap. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis*, ſcilicet: *Spiritum lætitiæ propter juſtificationem*, ut in Append. Ambr. p. 305.

Ad II. R. I. Timotheo, una cum gratia & charactere ordinis, donum quoque prophetandi quidquid *ad Eccleſiæ inſtitutionem* erat neceſſarium fuiſſe conceſſum, ex Chryſoſtomo, aliiſque. R. II. Per *prophetiam* factum dici quidquid fit Spiritus S. juſſu, & inſpiratione. Unde Oecumenius tom. 2. pag. 234. ait: *Juſſu namque Spiritus S. facti ſunt epiſcopi, & non paſſim.* Nec improbabile eſt, Timotheum peculiari Spiritus S. revelatione fuiſſe inauguratum epiſcopum: ut docent Lyranus, Eſtius, Calmet, & ipſi Proteſtantes Caſtalio, Zegerus Clarius inſerti tom. 7. Criticorum ſacr. p. 533. Vide Auctorem.

Ob. III. Ex impoſitione manuum facta Timotheo nequit inferri Sacramentum ordinationis; ergo &c. Prob. ant. Nam clerici ab epiſcopis inaugu-

augurantur, sed illa impositio facta est a presbyteris; dicitur enim impositio manuum presbyterii; ergo &c. II. Ea impositio est materia indeterminata, & in sanatione ægrotorum, in dæmonum expulsione, & in aliis ceremoniis adhibita; ergo &c. III. Nec ea usus est Christus in ultima cœna, quando Apostolos ordinavit; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Ad prob. neg. minor. *Presbyterii* enim nomine episcopi intelliguntur, non presbyteri. Unde antiquæ versiones apud Walton. tom. 5. pag. 828. habent: *Per impositionem manuum episcopi.* Et Chrysostomus: *Non de presbyteris hæc ait, sed de episcopis. Non enim episcopum presbyteri ordinaverant.* Ideo in 2. ad Tim. cap. 1. Ap. ait: *Per impositionem manuum mearum*; ergo Timotheus ab Apostolo ordinatus est, *per impositionem manuum presbyterii*, quia plures presbyteri ei manus imposuere: cum ad episcopatum probabiliter sit ordinatus. Ad II. neg. cons. Nam materia per formam determinatur. Ad III. neg. cons. Christus enim propria virtute contulit Spiritum S. & gratiam: homines autem per Sacramenta ab ipso instituta.

Ob. IV. Tertullianus l. de Exhort. Cast. c. 7. ait: *Jus sacerdotum in semetipsis* laicos omnes habere. 2. Chrys. de Anathemate t. 1. p. 695. ait: *Ordinatio non in sublime extollit, non potentiam præstat*; ergo &c. R. ad I. Vide Auct. tom. 7. pag. 345. Ad II. neg. cons. Commendat enim ibi Chrysostomus pietatem, & commiserationem in eos, qui peccant, pro quorum salute illis commissum est offerre sacrificia.

CAPUT II.

De numero graduum, & ordinum clericorum.

Not. 1. *Clericorum* nomine ii communiter appellantur, qui primum Ecclesiastico ritu tondentur, aut in minoribus sunt constituti; *Cleros Græce*, ait Hieron. ep. 34. ad Nepotian. *sors latine appella-*

pellatur: propterea vocantur clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ſors, ideſt pars, clericorum eſt. Clerici etiam dicti ſunt ſcribæ, amanuenſes, & actuarii, forte, quia clerici penitus illiterati eſſe non debent.

Not. II. Quoad numerum ordinum diſcrepant vetera monumenta. Nam ex Conc. Carthag. novem ordines enumerat Martene, & præter presbyteros, diaconos &c. etiam *epiſcopos, & pſalmiſtas*, ſeu *cantores* recenſet. In Rom. Synodo pro *pſalmiſtis* habentur *cuſtodes martyrum.* Syri, & Maronitæ, apud Morinum de Sacris Ord. p. 3. enumerant *pſaltes, lectores, ſubdiaconos, diaconos, archidiaconos, presbyteros, archipresbyteros, chorepiſcopos & epiſcopos.* Latina Eccleſia ſeptem enumerat Ordines cuique notiſſimos. Græci quinque tantum ordines cum Latinis agnoſcunt, excluſis *Exorciſtis, & Oſtiariis.* Martenius tamen, Natalis Alex. Tournely, Witaſſe &c. quatuor tantum a Græcis admitti ajunt, & quinque, ſi addatur *epiſcopatus.* Habert etiam ait ſerius *hypodiaconi* nomen apud Græcos auditum: ipſumque, non ſecus ac minores alios, ab Eccleſia eſſe inſtitutos. Sit ergo

Propositio I. Septem ab initio ad hæc uſque tempora obtinuerunt ordines in Eccleſia Latina.

Prob. I. In ep. Cornelii Papæ data ann. 252. apud Euſeb. l. 6. c. 43. numerantur *presbyteri* 44. *diaconi ſeptem, totidemque ſubdiaconi, acolythi* 42. *exorciſtæ cum lectoribus, & oſtiariis* 42. Cajus etiam ann. 283. ex Pont. edito ab Anaſt. Bibl. ſtatuit, ne quis eſſet epiſcopus, niſi prius eſſet *oſtiarius, lector, exorciſta, ſequens, ſubdiaconus, diaconus, presbyter.* De Sylveſtro legitur ib. *Hic conſtituit, ut ſi quis deſideraret in Eccleſia militare, ut eſſet lector, annos haberet* 30. *acolythus* 35. *ſubdiaconus ann.* 5. *cuſtos martyrum ann.* 50. *diaconus* 37. *presbyter ann.* 3. ubi numeri ſimplices miniſterii tempus videntur deſignare. Oſtiariatus, qui hic deeſt, memoratur c. præced. Colligitur idem numerus ex initio Synodi,

di, ubi ſtatuitur: *Ne presbyter adverſus epiſcopum, diaconus adverſus presbyterum &c. det accuſationem.* Iidem ordines recenſentur in epiſtola Gelaſii ad epiſcopos Lucaniæ, in epiſt. Leonis M. ad Anaſtaſium Theſſal. In Sacramentario Greg. & in antiquo Ordine Rom. tom. 13. Bibl. PP.

Prob. II. Conc. Carth. IV. anno 398. calebratum ſingillatim *ſeptem Ordines* laudat. Tolet. I. anno 400. memorat presbyteros, diaconos, lectores, oſtiarios, & ſubdiaconos. Concilium vero Aquiſgranen. Florentinum & Tridentinum omnes ſeptem Ordines diſtincte commemorat; ergo &c. Prob. III. ex unanimi ſcriptorum conſenſu. Iſidorus Hiſpalenſis, Alcuinus, Rabanus Maurus, Hugo Rotomagen. Archiep. Hugo Vict. aliique, quos laudat clariſs. Auctor, omnes ſeptem Sacramenta recenſent.

Propositio II. Non tollitur hic ſeptenarius numerus, ex quo alii aliter illum recenſeant.

Prob. Numerantur enim ap. veteres etiam *pſalmiſtæ*, ac *foſſarii*, qui etiam *copiatæ* & veſpillones dicuntur, in Conc. Carth. IV. in Laodiceno, in Chalcedon. a Rabano, Iſidoro, Epiphanio, Hieronymo &c. In Act. Proconſularib. apud Aug. in Cod. Theodoſiano, in Juſtiniani Novell. 43. apud Du-Cangium in Gloſſ. Verum *pſalmiſtæ* in Eccleſia Latina, vel ſola, vel nulla tonſura funguntur cantorum officio. Priori ſenſu ait Durandus Mimaten. ep. *Pſalmiſtatus quandoque tonſuratus vocatur.* Alio ſenſu Conc. Carthag. can. 10. addit: *Pſalmiſta, id eſt cantor, poteſt abſque ſcientia epiſcopi, ſola juſſione presbyteri, officium ſuſcipere cantandi.* Apud Græcos lectoris, & cantoris idem cenſetur ordo. Unde Concil. Laodicenum habet: *Non oportet, præter canonicos cantores, qui ex membrana legunt, aliquos alios canere in Eccleſia*, unde Martinus Bracaren. canonem 45. Laodicenum ſic latine reddit: *Non liceat in publico legere, aut pſallere, niſi iis, qui ab epiſcopo lectores ſunt ordinati.*

Ap.

Ap. Græcos, Latinoſque *pſaltæ* dicuntur, qui alternatim in choro pſallunt, ex ep. S. Baſilii ad Neocæſarien. ex Chryſoſtomo hom. 36. ex Ambroſio in cap. 15. Luc. ex Caſſiano, Eucherio Lugd. &c. Conſtat ergo *pſalmiſtatum* non eſſe diſtinctum ordinem. Idem de *foſſariis* dicendum eſt, qui *clerici* quandoque dicti ſunt: quia *clerici in ſimilitudinem Tobiæ ſepelire mortuos admonentur*, ait Auctor de ſeptem Ordinibus, in Append. Hieron. Quod præſertim ſervatum eſt in ſepeliendis corporibus martyrum. II. Hoc officium committit Carthag. IV. publicam pœnitentiam agentibus. III. ex l. 1. de Luſtrali Conlat. recenti indulto etiam veſpilliones a novis collationibus eximuntur, cum Conſtantius hanc immunitatem longe ante clericis eſſet largitus. IV. In eodem cod. l. 12. de Epiſc. aſſeritur occupatos defunctorum obſequiis *clericorum vocabula* ſibi uſurpare; ergo non ſunt in ordine conſtituti.

Idem dicimus de *cuſtodibus martyrum*, *de canonicis*, *chorepiſcopis*, & de aliis fœminarum vocabulis, *diaconiſſarum*, & *ſubdiaconiſſarum*, *presbyterarum*, & *epiſcoparum*. Nam cuſtodes martyrum, ſeu *Martyriarii* erant ſubdiaconi a quibus martyrum reliquiæ cuſtodiebantur. *Canonici* initio dicebantur clerici omnes, vel quia *ſub canone eſſent conſtituti* ex Trullana Synodo, vel quia *canonicam vitam agerent*, ex Capitul. Caroli M. Ita etiam vocati ſunt, qui eaſdem ædes colunt, ſive ſub epiſcopi, ſive ſub abbatis regimine: quorum illi *ſæculares*, hi *regulares* dicuntur. Et illi demum, qui in cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis certis privilegiis inſignibuſque deſtinantur: qui non *ordine*, ſed miniſterio ab aliis clericis ſecernuntur. *Chorepiſcopi* quaſi τȣ̃ χώρȣ ἐπίσκοποι *epiſcopi ruris* ad peculiarem ordinem non ſpectant: *Subdiaconiſſæ* demum, *diaconæ* (de quibus infra) *epiſcopæ* &c. uxores initiatorum dictæ ſunt. Sed ex his omnibus non evertitur ſeptenarius Sacramentorum numerus; ergo &c.

Neque adverſantur huic numero, qui tonſuram aut epiſcopatum accenſent ordinibus: hanc enim controverſiam Trid. Synodus intactam relinquens ſtatuit ad ſacerdotium per ſeptem gradus aſcendi. Denique non obſtat, quod Optatus, aut Hieronymus ſolos presbyteros, aut diaconos memorent, quodve in primitiva Eccleſia duos tantum extitiſſe ordines affirment Magiſter, Petrus Bleſenſis, aliique: PP. enim aliorum ordinum meminere ex prop. 1. Nec opus erat, ut ubicumque de ſacro ordine pertractarunt, ordines ſingulos recenſerent. Duos autem commemorant, quorum miniſterium proxime ſpectat Euchariſtiam, quam ſacerdotes conſecrant, diaconi autem miniſtrant. Hoc ſenſu locutus eſt etiam Magiſter, qui tamen ordines *ſeptem eſſe, propter ſeptiformem gratiam*, diſt. 24. expreſſe pronunciat. Nil obſtat etiam, ſi dicamus in Eccleſiæ primordiis, ob exiguum fidelium numerum, plura Eccleſiæ miniſteria diaconis fuiſſe conceſſa, quæ poſtea diſtincta ſunt.

Propositio III. Etſi non deſint momenta, quibus probatur Græcos ſolum Lectoratum inter minores ordines agnoviſſe, illi tamen a Latinis parum diſtant.

Prob. I. In Archieratico Habert p. 37. primum locum obtinet *ordinatio lectorum, & cantorum*, & immediate ſequitur *ritus ordinationis hypodiaconi*. Idem habetur in Euchologio Goarii p. 233. II. Quatuor tantum ordines tradunt Auctor Conſt. Apoſt. l. 8. c. 16. Canones Apoſt. Liturgia Marci, Concilium Sardicen. can. 10. Synod. VIII. act. 10. III. A lectoris gradu ad hypodiaconatum clericos aſcendere ſcribunt Græci omnes, præſertim S. Jo. Damaſcenus, Elias Creten., Georgius presbyter, Nicetas, Simeon Theſſal. apud Morinum. IV. Eccleſiæ Jacobitarum, Syrorum, Neſtorianorum, & Maronitarum apud Morinum alium ordinem minorem non habent, præter *lectoratum*; ergo apud Orien-

tales

tales Ecclesias ostiariatus, exorcistatus, & Acolythatus numquam obtinuit.

Prob. II. pars. I. enim ex his non sequitur, nullo modo ordines istos apud Orientales non obtinuisse, sed eos tantum neglectos esse, per saltum clericos promovendo, ut etiam in Rom. Ecclesia ante Cornelii tempora agebatur. Non quod non darentur minores ordines, sed quod ab his digniores eximerentur, statim diaconi & lectores inaugurati. Fatentur enim Witasse, & Le-Droint eandem fuisse Romanæ & Africanæ Ecclesiæ doctrinam circa ordinum numerum; & tamen S. Cyprianus, apud Surium, primo *præco*, seu lector, deinde hypodiaconus fuit constitutus, & Pontio teste in ejus vita n. 5. *Ad officium sacerdotii, & episcopatus gradum adhuc neophytus electus est.*

II. Alia præter lectorum munia a principio extitisse constat ex ep. Ignatii ad Antioch. n. 12. ubi legitur: *Saluto sanctum presbyterium, sacros diaconos, subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, confessores.* Et Syn. Laod. can. 24. ait: *Non oportet quemlibet ecclesiastici ordinis usque ad ministros, vel lectores, vel cantores, vel exorcistas, vel ostiarios in cauponam ingredi.* Dionysius etiam de Ecclesiastica Hierar. c. 3. præter lectores, alios enumerat, qui *foribus templi assistunt, ceteri autem, quod sit ordinis sui, agunt.* Epiphanius etiam in Expos. fidei post lectores enumerat *exorcistas, copiatas, & janitores.* Jo. Citri episcopus memorat deputatos, *cum luminibus præcedentes*, & Sim. Thess. ait: *Sunt & alia deputati, & ceroferarii officia, quorum inauguratio ante ordinationem lectoris celebratur, quæ nescio cur non exercetur:* sed his deputati cereos ferentes sunt acolythi; ergo &c. Gabriel Philadelph. apud Morinum p. 2. p. 202. ait: *Septem sunt Ordines sacerdotii. Primus est janitorum, & acolythorum, 2. exorcistarum, 3. lectoris, 4. subdiaconorum, 5. diaconorum, 6. sacerdotum, 7. principium*

pium sacerdotum, seu episcoporum; sunt ergo apud Græcos, præter lectoratum, alii minores ordines.

Inst. Adversarii: spuriam esse tum Ignatii epistolam, tum opus de Hierarchia. II. Simonem Thess. & Gabrielem Philadelph. juniores esse, eosque, dum *janitores, exorcistas, & acolythos* memorant, non de ordinibus proprie dictis, sed de ministeriis in templo exercendis, secluso ordine, accipiendos; præsertim cum apud Græcos exorcizent soli presbyteri. III. Hinc Laodiceni & Antiocheni canones non omnes distincte ordines recensent, Epiphanius vero etiam alios memorat, quos Latini non recipiunt; ergo &c.

R. ad I. Licet Ignatii non esset epistola illa, in ea tamen deprehenderunt *Apostolicum spiritum*, & stylum Ignatii viri clariss. qui eam vetustissimam censent, ut Bellarm. observat. Opus de Hierarchia productum est, ut constet non deesse ex Græcis, qui præter lectoratum alios ordines minores agnoscant. Philadelphien. autem sententiam suam confirmat canone 7. Antiocheno, & Trullano 4. & aliis monumentis, quæ omittimus.

Ad II. R. ex cit. momentis inferri, etiam ostiariatum, exorcistatum, & acolyth. peculiares *ordines* esse, nam in can. 4. Trull. apud Philadelph. legitur: *Si quis episcopus . . . , vel lector, vel ostiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur. Si autem laicus, segregetur;* ergo ostiarius a laico distinguitur, & in Ecclesiastico ordine constituitur. De exorcista in can. 10. Synodi Antioch. habetur, chorepiscopos posse tantum *constituere subdiaconos, lectores, & exorcistas;* est ergo apud Græcos exorcistatus, neque a solis presbyteris adimpletus. Habetur etiam in Euchologio pag. 237. *Oratio in ordinatione deputati & ceroferarii*, nempe acolythi.

Simon etiam Thess. loc. cit. *Ordinationem* ceroferarii appellat χειροθεσίαν dicens, celebrari ante ordinationem lectoris: & miratur in desuetudinem abiisse, cum ante paucos annos vigeret in Eccle-

ſia Theſſalon. Nec dicant, hæc de miniſterio, non de ordine eſſe explicanda: quid enim ultra, præter *chirotoniam*, & verborum formam ad ordinem requiritur? & quid aliud ſervandum præcipitur in ordinatione lectorum? Deinde ſinguli ordines ad miniſterium ſpectant; ex quo ergo ceroferarii miniſterium exercuerint, non ſequitur eos non fuiſſe initiatos.

Ad III. R. non opus eſſe, ut ubicumque de ordinibus agitur, ſingillatim omnes enumerentur, præſertim cum omnes clerici communi vocabulo ſacrorum miniſtrorum vocentur. III. Etſi apud Græcos ſeptem ordines non conferantur ſejunctis initiationibus, acolythatum tamen, & oſtiariatum ſimul cum ſubdiaconatu conferri, exorciſtatum vero cum diaconatu conſtat ex Abrahamo Ecchellenſi Maronita, ex Jo. Maro, ex Jo. Dareno, Dionyſio Barſalibo epiſcopo Amedenſi apud Naironum Maron. in Evoplia p. 226. Idem conſtat ex formula initiationis ſubdiaconi apud Morinum p. 1. pag. 81. quæ ſic habet: *Domine da illi amare decorem domus tuæ, aſſiſtere portis templi tui, accendere lumen tabernaculi &c.* Rituale Maron. præcipit, ut initiandus circumducatur per Eccleſiam: *Et cum pervenerit ad candelabrum, accendat illud, & extinguat tribus vicibus, poſtea portam Eccleſiæ claudat, & aperiat tribus vicibus.* Eadem habet Euchol. Melchitarum Arabicum. In Euchol. Cophtico-Jacobitico ait epiſcopus ad ſubdiaconum: *Tui officii eſt cuſtodire oſtia domus Dei &c.* Conſtat ergo, oſtiariatum, & acolythatum cum ſubdiaconatu conferri.

Reapſe, ſi quis opponat adverſariis verba Jo. Papæ VIII. in ep. ad Baſilium Imp. *Volumus ut ſit primum lector, deinde acolythus, poſtea diaconus &c.* R. Jo. *acolythi* nomine ſignificaſſe *hypodiaconum*, cui Græci, ex Morino, munia acolythorum committunt; ſunt ergo in hypodiacono acolythi nomen & officia. Imo ex Morino *proprie ſubdiaconus Græcorum eſt acolythus Latinorum.* Jo. ergo

 non

non distinguit ordines proprio nomine, quia acolythatus, & ostiariatus simul cum hypodiaconatu a Græcis conferuntur, nec in ea collatione distinctas ordinationes exigit Pontifex, quas tamen exigit Innoc. IV. mandans ut in posterum, *secundum morem Ecclesiæ Rom.* septem ordines distincte conferantur.

Idem de ostiariatu dicendum est, quem Simeon Thess. a Christo institutum putat, cum *nummularios ejecit de templo:* quod tradit etiam Magister. Unde Benedictus XIV. in Const. *Etsi Pastoralis* inquit: *Per subdiaconatum Græco ritu collatum acolythatum & ostiariatum recipi.* Maronitæ censent exorcistatum conferri in ordinatione psaltis: nam episcopus porrigens ei psalterium, quo in Oriente energumeni exorcizantur, ait: *Mereatur conculcare serpentes, & scorpiones.* Unde in fragm. Chald. apud Mairon. p. 227. legitur: *Hi sunt quatuor ordines minores. Primus ostiarius, 2. lector, 3. exorcista, hoc est psaltes, 4. acolythus, hoc est hypodiaconus.* Ex quibus constat recte enumerari septem ordines; nec Romanæ Ecclesiæ doctrinam aliarum ritu everti posse.

CAPUT III.

De tonsura clericali.

Not. I. Clericalem tonsuram inde natam opinatur Calvinus l. 4. Inst. c. 19. quia olim capillum non alerent, nisi delicati, qualis ne viderentur clerici, caput tondere jussi sunt, idque colligi ait ex Augustino l. de Oper. Monachorum. Spencerus tamen initium tonsuræ Nazaræorum, unde permulti nostram esse derivatam existimant, repetit ex moribus ethnicorum, qui Apollini Pythio in juventutis flore litabant, ex Plutarcho. Morinus autem censent, Ecclesiæ institutores, ut majori essent ludibrio, a persecutoribus tonsos fuisse: postea vero ab iisdem in trophæi argumentum tonsionem ipsam fuisse conversam. Alii ut Isidorus, Rabanus, Martene,

tene, Menardus, Martenius &c. censent clericalem tonsuram ab Apostolorum temporibus fuisse usurpatam; oppositum tamen censet Juenin, qui ex Hegesippo asserit, Jacobum nunquam comam totondisse, nec tonsuram clericalem in usu fuisse per quinque priora sæcula.

Not. II. Tonsuræ formam ex Aniceto Papa fuisse *desuper caput* in modum sphæræ. Atque a Petro institutum: *Ut caput desuper tonderetur*, testatur Gregorius Turon. l. de Gl. Mart. Beda etiam in Hist. Angl. narrat, Theodorum expectasse quatuor menses, donec illi capillus cresceret, *quo in coronam tonderi posset*, ut a Vitaliano Papa ordinaretur. Isidorus l. 2. de Off. c. 2. ait: *In circuli corona regnum Ecclesiæ figurari.* Eandem *circuli coronam* a clericis deferri jubet Tolet. IV. ejusque meminit Sidonius Apoll. qui floruit ann. 459.

Not. III. Tonsuram inter veros ordines numerari a Fagnano, aliisque scholasticis, quibus accedit Jo. Major, & noster Vanroy, Sed oppositum tenent cum D. Thoma omnes fere e schola Theologi apud Gavardi qu. 1. art. 2. eisque subscribunt Bellarminus, Hallier, Morinus, Gonzalez, Piette, & nostrates ferme omnes, quibuscum sit

Propositio I. Tonsura obtinuit in Ecclesia ab Apostolorum ætate, idque ut clerici a laicis secernerentur.

Prob. I. ex PP. Not. 2. productis, quorum aliqui, ut Gregorius Turonen. & Sidonius ante exactum VI. sæculum floruere: quique cum essent doctissimi, incredibile est eos potuisse ad Apostolica tempora referre ritum illum, qui, si Juenino fides, per quinque priora sæcula esset inauditus. Porro PP. illi docent, clericos ab initio Ecclesiæ in vertice fuisse tonsos, ut Nazaræorum more Deo dicarentur, Petrum ipsum coronam clericalem gestasse in memoriam passionis Christi ex Rabano &c. Quidam censent Petrum ludibrii causa fuisse attonsum, atque ex tunc clericos omnes comam abrasisse, ex

Honorio Auguſtodunen. II. Ex l. 2. Ammiani Marcellini habetur tempore Juliani Apoſtatæ Theodorum presbyterum ſupplicio affectum, eo quod nonnullos pueros detondendo illos cooptaret in clericos, III. Ex actis vetuſtiſs. Eccleſiæ Divionen. apud Martene conſtat S. Benignum presbyterum, qui fuit S. Polycarpi diſcipulus, in agnitionem Terentii Comitis veniſſe, ob tonſi capitis coronam. IV. Ubicumque propagata eſt Chriſtiana religio, clerici a laicis ſunt corona capitis, ac tonſura diſcreti: licet Orientales fere totum occipitium, & magnam ſincipitis partem tondere ſoleant forcipe, non autem novacula, ne videantur incedere *raſis capitibus, ſicut ſacerdotes Iſidis, atque Serapis*, qui toto capite radebantur: unde *nec ita ad preſſum tondendum caput, ut cutis appareat*, monet Hieronymus in cap. 44. Ezech. Ubi non improbat clericalem tonſuram, ut imperite quidam ſcripſere, ſed tonſuram Orientalium deſcribit; atqui univerſalis conſuetudo ubique diffuſa ab Apoſtolis derivari putanda eſt; ergo &c. V. Idem confirmatur ex confutatione aliarum ſententiarum.

I. Enim falſum eſt quod ait Calvinus, Auguſtinum ullibi ſcripſiſſe, tonſuram ortam eſſe, ex quo nonnulli comam tonderent, ne effœminati viderentur, ſed invehitur S. D. in eos, qui adverſus Ap. monitum 1. Cor. 4. ſcribentis ignominioſum eſſe viro, *ſi comam nutriat*, incedebant demiſſis crinibus, *timentes, ne vilior haberetur tonſa ſanctitas, quam comata.* II. Ealſum eſt etiam, quod ait Spencerus, nempe hunc ritum a gentibus promanaſſe. Ethnici enim totum caput redebant, ut dictum eſt de ſacerdotibus Iſidis. Aſſyrii etiam tondebantur, non in deorum cultum initiandi, ſed connubio jungendi: & apud Lacedæmones etiam pueruli. Contra Romani, & Græci comam alebant: & ſi eam diis ſacrabant, ſemel reſecabant, nec deinceps incedebant attonſi. Quæ omnia a forma, & uſu clericalis tonſuræ valde diſtant.

III. Fal-

III. Fallitur etiam Morinus referens tonsuræ originem ad Ethnicorum derisionem, qui captivos radebant. Nam rasio illa facta ignominiæ causa erat totius fere capillitii, non tonsio verticis, & corona: illamque Christiani non adhibuere, nisi in publica pœnitentia, & in habitu monachali. Unde S. Optatus l. 2. Donatistas redarguens ait: *Docete ubi vobis mandatum est radere capita sacerdotum.* Adde, in abrasione servorum relictum in vertice flosculum raso capillitii residuo; recte ergo Isidorus clericalem tonsuram, non servitutis notam vocat, sed regni.

Propositio II. Clericalis tonsura non est ordo.

Prob. I. Tonsura ex adversariis est idem ac psalmistatus; sed hic non est ordo, & *sola jussione* presbyteri exercetur ex can. 10. Carthaginen. IV. ergo &c. II. Certum est, tonsuram apud Græcos non esse ordinem, sed ritum quendam invocato Dei nomine, sed nulla forma prolata: *Signatur ter in capite*, ac *tondetur in forma crucis*, ait Pontificale Græcorum. Nec in ordinatione lectoris, aut psaltis ullum verbum occurrit, quod possit ad capillorum tonsionem referri. III. Si ordinatus apud Græcos ad ritum Latinorum, annuente Rom. Pontifice, transeat, debet promoveri ad omnes Ordines, quos ab episcopo non habuit; atqui non debet ordinari ad tonsuram; ergo hæc non est ordo. IV. In vetustiss. Pontificalibus omnes Ordinationes incipiunt ab ostiariatu ex libris Sacram. Greg. p. 219. unde & Conc. Carthaginen. IV. inter gradus, qui stricte ordines sunt, primo ostiariatum locat, sed si tonsura ordo esset, primum locum ipsa occuparet; ergo &c.

V. Catechismus R. ait, tonsuram esse *quandam præparationem ad ordines suscipiendos: ut enim homines ad baptismum præparari solent; ita cum tonso capillo tamquam aditus ad ordinis Sacramentum illis aperitur;* ubi non comparatur tonsura baptismo, ut putat Vanroy, sed dispositionibus eum præce-

dentibus. VI. Trid. Synodus sess. 23. c. 8. declarat, ut si aliquis non a proprio episcopo ordinetur, ordinans a collatione ordinum per annum sit suspensus: & tamen Fagnanus ipse in cap. *Cum contingat*, ait, episcopum Hieracen. ob tonsuram extraneo collatam, non incurrisse suspensionem, quia tonsura *a Concilio non habetur pro ordine*; ergo fatentibus adversariis per Tridentinos PP. tonsura non est ordo.

Ob. I. Innoc. III. cit. cap. *Cum contingat* ait: *Per primam tonsuram, juxta formam Ecclesiæ datam, clericalis ordo confertur*; ergo &c. R. neg. cons. Nam *ordinis* nomine accipi potest status, quo clerici laicis præeminent. Unde Pontifex consulto ait: *Clericalis ordo, non ordinis Sacramentum.* Deinde una cum tonsura ibi etiam lectoratus, aliique minores ordines comprehenduntur: unde sensus cap. *Cum contingat* is est, tonsum in clericum, & constitutum in minoribus ordinibus a proprio abbate, revera esse clericum, & ordinatum.

Ob. II. Tonsuratos aliquando degradari constat ex Pont. R. 3. p. ubi de degradatione a tonsura habetur: *Degradamus, & exuimus te omni ordine &c.* ergo &c. R. neg. cons. Degradatio enim non arcet ab ordine, prout Sacram. & character est, non enim est indelebilis, sed ab officio, & habitu, & privilegiis. Idem dicendum de Constit. Sixti V. *Sanctum & salutare*, ubi tonsuratis tribuitur character, non quidem interior, & Sacramentalis, sed exterior nota & ipsa capillorum *detonsio*, quæ a Græcis dicitur: *Character tonsuræ.*

Ob. III. Episcopus Deum orat, ut tonsuratis donet spiritum S. ergo &c. R. neg. cons. Nullus enim est ritus sine aliqua divinæ gratiæ invocatione, qui, si accenseatur Sacramentis, horum numerus infinitus exurget.

CAPUT IV.

De minoribus ordinibus.

Not. I. Ex ſeptem Ordinibus 2. cap. memoratis primi quatuor minores, tres alii majores dicuntur: quia per hos datur jus propius ad altare accedendi, ſacra peragendi, & presbyteris rem divinam facientibus intime adſtandi. Conſtat ex c. 2. & 3. Quatuor minorum Ordinum meminere Cornelius, Cajus, Sylveſter Papa, & Synodi vetuſtiſſ. Laodicena, Carthag. IV. ac Tolet. I. nec non Epiphanius, & auctor ep. ad Antiochenos &c. *Oſtiarii* autem meminit S. P. A. Nazianzenus, Eginardus, Iſidorus, Amalarius, Rabanus, Ivo, aliique complures.

Lectoratus etiam meminere Græci omnes, apud quos hic ordo primus omnium confertur. Promotum ad *lectoratum* a Meletio Chryſoſtomum ſcribit Marcellinus Comes, & idem de ſe ipſis tradidere Nazianzenus, ac Theodoretus. Ex Latinis hunc ordinem laudarunt Tertullianus l. de Præſcr. ubi carpens leves ordinationes hæreticorum ait: *Hodie diaconus, qui cras lector.* Hinc refelluntur Magdeburgen. qui ajunt Cyprianum omnium primum lectores commemoraſſe. Ipſe Cyprianus ep. 24. ait, Saturum a ſe ordinatum fuiſſe *lectorem.* Memorantur etiam lectores in hiſtoriis Donatiſtarum, ubi legitur, a Paulo Cirtenſi Munatio proditum S. codices a lectoribus aſſervari. Et in Actis Mart. Cibalitanorum Pullio dicitur: *Primicerius lectorum.* Eoſdem laudat S. P. Serm. 17. 18. 67. & alibi: & S. Paulinus l. 4. ubi etiam meminit *exorciſtatus*, de quo ſermonem habet Tertullianus ad Scapulam, Firmilianus, Hilarius, Euſebius Vercell. Hieronymus &c. Acolythi nomen a Græco ἀκολȣθεῖν *ſequor*, idem ſonat ac pediſſequus. Laudatur a Cypriano ep. 28. a Hieronymo, Auguſt. Greg. M. &c. Vide Morinum, Menardum, Martene, Du-Cangium &c.

Not. II. Quoad officia ac munera oſtiarii, lectoris &c. legendus Ordo Rom. Iſidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus, Ivo Carnot. & recentiores ſupra cit. Hugo item, Magiſter, S. Thom. S. Bonav. &c. Qui communiter tradunt, munus oſtiarii eſſe aperire, & claudere fores templorum, infideles, & excommunicatos ejicere, ad divina datis ſignis plebem vocare &c. unde confertur hic ordo traditione clavium ex canon. 9. Carth. IV. Lectoris munus eſt novi & veteris Teſtamenti libros diſtincte recitare, cantare lectiones, & ex Catech. Rom. prima fidei rudimenta tradere catechumenis. Confertur propterea hic ordo traditione codicis, in quo pſalmi, aut divinæ lectiones continentur. In pluribus Pontificalibus habetur: *Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat:* unde imperite ſuſpicantur nonnulli huic ordini alligatum olim miniſterium concionandi, aut cantandi in ſolemni Miſſa Evangelium. Etenim ibi *prædicare* ſignificat alta voce e ſuggeſtu pronunciare: unde lectores ab Iſidoro *proclamatores* dicti ſunt. Notat Habert in Pontificali Græc. legi: *Ei qui prædicat*, non *ea*, *quæ &c.* Olim quippe lector de pulpito legebat præſcriptam ab epiſcopo ſcripturæ partem, quam poſtea idem epiſcopus interpretabatur, ut conſtat ex ſerm. 67. S. Aug. & ex Apol. Juſtini, ubi legimus epiſcopos populum allocutos, *pauſam faciente lectore.* Exorciſtæ munus eſt energumenis manus imponere, & dæmones pellere. Ordinatur traditione libri exorciſmorum. Ad acolytos demum ſpectat luminaria deferre, & accendere, vinum & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare, unde ordinatio fit porrectione candelabri cum candela extincta, & urceoli vacui ex Pontificali Romano.

Not. III. Quæri ſolet in ſcholis, num quatuor minores Ordines ſint gradus ab Eccleſia inſtituti, an ordines proprie dicti, & Sacramenta? Et quidem Sacramenta eſſe probabilius cenſent Thomiſtæ cum

cum D. Bonaventura, Scoto, & Scotistis, quibus accedunt Nostrates, Argentinas, Gibbon, Gavardi, Vanroy, Piette, nec non Paludanus, Richardus, Estius Sylvius & scholastici omnes, excepto Cajetano, Durando, Victoria, Vasquio &c. qui negant, minores ordines esse Sacramentum. His accedunt Morinus, Le-Droint, & Natalis Alex. In hanc sententiam propendet Lupus in decr. S. Gregor. VII. pag. 832. 1. edit. & huic nos quoque subscribimus. Sit itaque

Propositio I. Plausibilis est, catholica, & probabilis sententia negans minores ordines esse vera Sacramenta.

Prob. I. ex numero, doctrina, & fama scriptorum hanc sententiam propugnantium, quorum plerique post Trid. Synodum floruere, nec unquam fuere censoria nota perstricti. II. Estius ipse dist. 24. scribit: *De minoribus ordinibus probabilis est opinio, quod non sint proprie Sacramenta.* III. Præcipuum adversariorum momentum petitur ex definitionibus Florent. & Trid. Syn. quæ Ordinem proprium Sacramentum esse declarant, eumque in septem dividunt. Sed ex iis id unum evincitur, nempe Sacramentum ordinis certa fide tenendum, & ad eum per varios gradus ascendi, non autem quod omnibus his gradibus Sacramenti ratio ex æquo conveniat. Adde Florentinam Synod. Armenis tradidisse, non tam dogmata, quam ritus Rom. Ecclesiæ, in quibus tamen dissident Orientales. Et quidem Tridentinum, ex Pallavicino l. 21. c 13. coactum ad extirpandas hæreses, non ad finienda scholarum dissidia: *Neque declarat omnes ordines esse gradus ex ordinatione Christi, & non mere ex ordinatione Ecclesiæ, cum adhuc in quæstione versetur, an omnes ordines sint Sacramenta, quod de minoribus negatur a Gabr. Vasquez;* cujus præcipua fundamenta hæc sunt: I. quod ii simul cum hypodiaconatu probabiliter a Cajo Pontifice videantur instituti, ex prop. I. c. 2. II. quod Magister, alii-

aliique eos ſacerdotio, & diaconatui adjectos fuiſſe ſcribant: *Ut ad ſacerdotalem gradum productior eſſet adſcenſus.*

III. Urbanus II. apud Ivonem p. 5. Decr. c. 72. ait: *Sacros ordines dicimus diaconatum, & presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe.* IV. Græca Pontificalia ſolum lectoratum commemorant, quem, non ſecus ac *pſalmiſtatum*, conferunt quidem Græci, non tamen ut Sacramentum agnoſcunt. V. Non deſunt exempla Chryſoſtomi, Theodoreti, Nazianzeni, Pauliniani, Macedonii, Acepſimæ, & Salamanis eremitarum, qui minoribus ordin. omiſſis ad diaconatum, & presbyteratum promoti ſunt. VI. Accedit ratio: I. Enim officia clericorum minorum etiam laicis committuntur; ergo &c. II. Amplior poteſtas per tonſuram, quæ ordo non eſt, confertur, quam per minores ordines; ergo &c. III. Hi referuntur ad ſacerdotium, ut catechiſmus ad baptiſma; ergo ſunt ritus, non Sacramenta. IV. Videntur inſtituti, ne ſacerdotio fungerentur tirones, & neophyti; ergo ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant, non ad Chriſti inſtitutionem.

Propositio II. Veriſimilius eſt quatuor minores ordines eſſe Sacramenta.

Prob. I. Ex Carthag. IV. can. 2. 3. & 4. ubi ait: *Subdiaconus, cum ordinatur, acolythus cum ordinatur, exorciſta cum ordinatur &c.* at can. 10. agens de pſalmiſta, & 4. de conſecr. monialis ab ordinationis nomine abſtinet; ergo &c. II. Florent. Synodus agens de Sacr. ait: *Sextum Sacramentum eſt ordinis, cujus materia eſt &c.* Et recenſitis rebus, quibus apud Latinos conferuntur ordines majores, ait: *Et ſimiliter de aliis.* Definita etiam ſacerdotii forma ait: *Et ſic de aliorum ordinum formis;* ergo &c. III. Tridentinum etiam in hanc ſententiam propendet: nam ſeſſ. 23. c. 3. ait, Ordinem vere eſſe Sacramentum, ubi univerſim de ſacra ordinatione loquitur, *qua verbis, & ſignis*

exte-

exterioribus perficitur. Et c. 4. ait, non requiri ſæcularis poteſtatis conſenſum *in ordinatione epiſcoporum, ſacerdotum, & ceterorum ordinum.* Item can. 2. poſtquam definiit: *Præter ſacerdotium eſſe in Eccleſia alios ordines majores, & minores,* ſtatuit, *ſacram ordinationem eſſe vere & proprie Sacramentum.* Et c. 2. ait, nedum diaconos, & ſacerdotes, ſed etiam ſubdiaconos, & in minoribus conſtitutos, *atque uniuscujusque miniſteria ab Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe.*

IV. S. Cyprianus lectorum *ordinationes* in cit. epiſtolis recenſet, eosque appellat: *Plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuos;* quod ſonat aliquid præſtantius nudo legendi miniſterio. Si autem lectoratus eſt Sacramentum, cur non alii minores ordines? Profert etiam clariſſ. Auctor Auguſtini, & Hieronymi ea de re teſtimonia, ſed ea non videntur invicta. Idem probat S. Thomas q. 35. Suppl. art. 2. ex quo minores ordines non iterentur: unde S. D. hanc ſententiam communiorem appellat. Item in Potificali Rom. tit. *De ord. conferendis* habetur: *Moneat ordinandos, quod inſtrumenta, quibus character imprimitur, tangant.* Accedit ratio: I. In ſingulis ordinibus adhibetur materia, & forma peculiaris exprimens poteſtatem miniſterii in ordine ad Euchariſtiam.

II. Si min. ord. Sacramenta non eſſent, nec characterem imprimerent, ſed eſſent gradus & miniſteria, quæ per excommunicationem delerentur; ergo reſtituti in gradus priſtinos eſſent iterum ordinandi; quod praxi Eccleſiæ adverſatur; ergo &c. III. Cum alia ſint in Eccleſia miniſteria, ut ſacriſtarum, cantorum &c. ſi minores ordines eſſent his ſimiles, multo plures eſſent quam ſeptem; ergo &c. IV. Græcus presbyter veniens ad ritum Latinorum tenetur ſupplere exorciſtatum, & ſubdiaconatum prætermiſſum, ex definitione Benedicti XIV. & ex cap. *Sollicitudo* diſt. 3. n. 1. ſive ex Reſcripto Alex. II. ad ep. Conſtan. ergo &c.

Ad

Ad I. momentum oppositæ sententiæ. R. neg. ant. Cajus enim non instituit Ecclesiasticos ordines, sed officia distribuit. Nam septem *ordines* a Cornelio, qui sedit ante Cajum, distincte numerantur. Adde, verbum *constituere* non semper priorem institutionem ostendere. Ad 2. vide Prop. 2. c. 2. Adde scriptores antiquiss. singulos *ordines* commemorantes: sed etsi nulli suppeterent, iis, qui ajunt minores ordines in primitiva Ecclesia non fuisse, præponderare deberent Trid. PP. qui oppositum docent. Ad III. R. Urbanum ibi agere de ordinibus sacris, ac de lege continentiæ, quæ iis adnectitur. Addit, de minoribus ordinibus non extare *præceptum Apostolicum*, eo quod ii Ecclesiæ arbitrio relicti essent.

Ad IV. vide Prop. 3. c. 2. Ad V. R. viros quosdam insigniores *per saltum*, ut ajunt, fuisse ordinatos, quod postea legibus Ecclesiasticis vetitum est. Adde ex hoc argumento sequi, nec diaconatum esse verum Sacramentum, cum constet, Macedonium, Acepsimam, & Salamanem ad Sacerdotium fuisse promotos prætermisso diaconatu. Ad I. rationem R. D. Thomas, ibi laicis id non convenire, *ex officio*, sed iis committi ex clericorum defectu. Ad II. vide cap. præcedens. Ad III. neg. cons. Catechismus enim est mera dispositio ad baptismum, at minores ordines conferunt clericis spriritalem potestatem.

Ad IV. R. Ecclesiam per interstitia, inter unum ordinem, & alium satis providisse, ne statim neophyti ad sacerdotium ascenderent. Ex dictis infertur, duorum ordinum, presbyteratus nempe & diaconatus, quæ vera & propria Sacramenta esse constat, institutorem, & auctorem fuisse Christum Jesum. At de minoribus ordinibus adhuc sub judice lis est. Nam qui eos Sacramenta esse negant, ajunt, Ecclesiasticam institutionem habere, nos autem, qui illis tribuimus Sacramenti excellentiam, a Christo institutos fuisse cum aliis Sacramentis

tis cogimur affirmare. Cujus inſtitutionis indicia, quoniam rationem firmiſſimam reddere non valemus, I. ex ipſorum ordinum vetuſtate repetimus, cui nullum principium aſſignare poſſumus poſt Apoſtolorum ætatem. II. Quia inveriſimile eſt, ea quæ ſpectant ad ſacra myſteria non fuiſſe a Chriſto ordinata. III. Chriſtus ipſe cujusque ordinis implevit officia, ejiciens ementes & vendentes e templo, legens in medio Seniorum librum Iſaiæ, & dæmones pellens, quod non ſolum docuit Magiſter, ſed etiam Egbertus Eboracen. apud Martene, Simeon Theſſ. aliique apud Morinum. Quod ergo Chriſtus implevit, cur non potuit Apoſtolis injungere, & Eccleſiæ ſuæ commendare?

CAPUT V.

De ſubdiaconatu.

Hypodiaconos antiquitus extitiſſe conſtat ex auctoribus epiſt. ad Antiochenos, Conſt. Apoſt. & Canonum Apoſt. Nec non ex Epiphanio, Cypriano, Concilio Laodiceno, Carth. IV. Tolet. I. & Agathen. quæ eorum expreſſe meminere. Eorum officium eſt, ex Pontificali Roman. aquam ad miniſterium altaris præparare, diacono miniſtrare, pallas altaris, & corporalia abluere, calicem & patenam eidem offerre, & de oblationibus ponere ſuper altare, quantum populo poſſit ſufficere. Apud Græcos epiſcopo aquam fundit, fores templi cuſtodit, catechumenos introducit, & educit eos, qui ſunt in pœnitentia, ex Simeone Theſſ. Zonara, Balſamone, apud Morinum p. 2. pag. 219. & ex Cypriano olim ad eum ſpectabat catechumenis tradere fidei rudimenta. Confertur hic ordo traditione calicis & patenæ, ex Concilio Carthag. & Flor. Addunt Pontificalia librum Epiſtolarum, ſed communis opinio eſt, ſubdiaconos olim epiſtolam non legiſſe: Si res ita ſe habet, liber materia eſſet accidentaria. Hunc ordinem eſſe Sacramentum

tum negant ferme omnes, qui negant minores ordines esse Sacramenta. Contra quos sit

PROPOSITIO I. Subdiaconatus habet ea omnia, quæ novæ legis Sacramentum constituunt.

Prob. I. enim habet Christi institutionem. Nam Euchologia, & Pontificalia tradunt, subdiaconum ordinari hac oratione: *Deus, qui per Spiritum sanctum divisisti charismata tua &c.* II. In ejus ordinatione habetur materia, & forma, quibus ei traditur potestas tangendi, & deferendi vasa sacra, & diacono ministrandi. Nec dicas, etiam laicos olim Christi corpus manibus contrectasse, quod magis est, quam sacra vasa tangere; aliud enim est de altari communionem recipere, aliud ad altaris ministerium accedere; illud ad fideles omnes, hoc ad solos in Dei sortem adscitos spectat: unde Synodus Laodicena *sacra vasa contingere* etiam sanctimonialibus vetat. III. In ea ordinatione character imprimitur, cum numquam iteretur. Nec dicant recentiores, tonsuram, & consecrationem templi non iterari, licet non imprimant characterem; nam Morinus ipse, a quo omnia exscripsere, sentit tonsuram fuisse in collatione cujusvis ordinis iteratam: & ex consecratione templi inferunt quidam scholastici ordinis characterem, quia chrisma tribuit permanentem consecrationem. IV. Hac ordinatione gratiam conferri ex eo constat, quod effectus unius Sacramenti, ubi adsit dispositio suscipientis, non est ab alio sejunctus; ergo &c.

Nota: indubitatum est subdiaconatum esse ordinem sacrum, idque perspicue declaravit Trid. sess. 23. c. 2. ubi ait: *Subdiaconatus ad majores ordines a PP. & S. Conciliis refertur*, quando autem ad eam dignitatem fuerit evectus incertum est. Menardus, Bona, Thomassinus, Morinus, Lupus, aliique innumeri tenent, hypodiaconatum per duodecim priora sæcula in classe minorum ordinum fuisse locatum, & ad sacros elevatum, quando statutum est a Romana Ecclesia, ut subdiaconi castitatem

tatem ſolemni voto profiterentur. Hæc ſententia his momentis innititur. I. Innocentius III. cap. *A multis* in 1. Decr. tit. 14. ait, ſubdiaconos poſſe epiſcopos eligi: *Cum hodie ſubdiaconatus inter ſacros ordines computetur.* Ibidem laudat Urbanum II. declarantem in Synodo Benevent. ann. 1091. ſolum presbyteratum, & diaconatum *in Eccleſia primitiva* ſacros fuiſſe. Circa idem tempus in claſſem ſacrorum ordinum ſubdiaconatum elatum eſſe ſcripſere Ivo, Gratianus, & Petrus Cantor; ergo &c.

II. Conc. Laodicenum can. 21. ait: *Non oportet miniſtros locum habere in diaconico, & dominica vaſa tangere.* III. Subdiaconatus confertur a Latinis ſine manuum impoſitione, quæ eſt ſacrarum ordinationum materia, & ſimul cum minoribus ordinibus a Græcis extra ſanctuarium in *diaconico.* IV. PP. in ordine Hierarchico locant tantum epiſcopos, presbyteros, & diaconos: unde Ignatius ait, laicos diaconis ſubjici, hos presbyteris, iſtos epiſcopis. De ſubdiaconis ne verbum quidem. Hieronymus etiam in ep. ad Evang. ſubdiaconos in infimam claſſem rejicit. Idem præſtant plures literæ ſynodicæ; ergo &c. Videtur tamen hæc quæſtio ſic diſtinguenda. Si ratio ordinis ſacri petatur a ſolemni cœlibatus profeſſione, verum eſt ſubdiaconum non ſemper fuiſſe ſacrum ordinem: ſed cœlibatus ad ſacri ordinis decentiam ſpectat, non ad ſubſtantiam, alias Græcis deeſſent ordines ſacri. Quamvis etiam apud Græcos non liceat hypodiacono inire connubia, & apud Latinos cœlibatum eorum, *qui ſacris ordin. presbyteratu, diaconatu, & ſubdiaconatu ſunt poſiti, in VI. Synodo conſtitutum* (ideſt can. 6. Trull.) aſſerit Innoc. III. loco cit. ergo ante Urbani II. tempora cœlibatus ſubdiaconorum obtinuit.

Si vero ordo ſacer, & hierarchicus accipiatur, prout confert in Eccleſia jurisdictionem aliquam, ſubdiaconatus non eſt inter ſacros ordines computandus,

tandus, quod conſtat I. ex 4. præced. argumento. II. Ex Conſt. Apoſt. l. 2. 7. & 8. ubi presbyteris, & diaconis, non autem ſubdiaconis, tribuitur laicorum cura. Idem evincitur ex Tertulliano, Cypriano, Opt. Milev. & ex can. 15. & 16. Nicæno. Ex quibus tamen non infertur, trium *Hierarchicorum ordinum* jurisdictionem parem fuiſſe. Semper enim epiſcopi primum locum, ſecundum presbyteri, tertium diaconi ex Laodicena, Arelaten. & Nicæna Synodo ſibi vindicarunt. His ergo competit plebem regere, quædam Sacramenta miniſtrare, & verbum Dei prædicare: quod cum ſubdiaconis non competat, ſatis conſtat, hunc ordinem non eſſe hierarchicum. Si vero ordo ſacer dicatur, prout ſpiritalem donat facultatem propius adſtandi miniſterio altaris, ibique locandi oblationes, ac ſacra vaſa ex officio tractandi, cum Trid. dicimus: *Subdiaconatum ad majores ordines a PP. & S. Conciliis referri*, quibus verbis Trid. PP. non poſteriora Concilia, ſed Patrum traditiones deſignant. Canones etiam Apoſt. n. 8. 16. 17. 50. & 62. hæc habent: *Si quis epiſcopus, presbyter, diaconus, vel ex S. catalogo* &c. ac deinde inferiores clericos memorant. Sed ſoli ſubdiaconi medii ſunt inter diaconos, & minores clericos; ergo &c. III. Ibi ſubdiaconi dicuntur: *Sacror. vaſorum cuſtodes*, ordinantur a Latinis traditione calicis & patenæ, ex Carth. IV. & vetuſtiſſ. Pontific. ergo &c.

Opp. Can. 21. Laodicenum ſupra cit. n. 2. & quod profertur n. 3. ex ritu ſubdiaconatus. R. ad I. Can. Laodicenum loqui de vaſis jam in altari locatis, & ſacrificii tempore non contrectandis, vel de *vaſis Dominicis*, quæ nempe actu continent Euchariſtam. Quod vero ibi dicatur, vetitum hypodiaconis ingredi *diaconicum*, id expoſuere viri docti de ſacrario illo, in quo diaconi poſt myſteriorum celebrationem recondebant Euchariſtiam. Nos tamen opinamur *diaconicum*, de quo canon Laod. locum fuiſſe Eccleſiæ contiguum deſtinatum ſacrorum vaſuum cuſtodiæ, & peregrinorum hoſpitio,

ſpitio, cujus loci diaconus curam gerebat. Hoc enim ſignificat illud; χωραν εἴχειν, ideſt *ſedem & poſſeſſionem habere*, quod imperite quidam *ingredi* reddidere: qui tamen ſecum pugnant, cum ajunt hypodiaconos a Græcis ordinari in *diaconico*. Ad II. R. Impoſitionem manuum a Græcis adhiberi etiam in ordinatione hypodiaconi, & lectoris. Qui vero ordines hoſce negant eſſe Sacramenta, aſſerere debent impoſitionem manuum aliquando eſſe ceremonialem, nec ſemper ſacræ ordinationis materiam. Ceterum ideo ſubdiaconatus extra ſanctuarium in *diaconico* conferebatur, quia ibi incipit ejus miniſterium, quod eſt vaſa ſacra ad altare deferre.

CAPUT VI.

De ſacro diaconatus ordine.

Not. I. Diaconus, græce Διάκονος a διακονέω *miniſtro*, *miniſtrum* latine ſignificat. Vetuſtiſſima ejus inſtitutio evincitur, ex Act. 6. ex ep. S. Ignatii ad Trall. ex 65. Cypr. &c. Auctor Conſt. Apoſt. l. 2. c. 44. diaconos vocat: *Aures, oculos, os, & animam epiſcoporum.* Eſt enim ejus munus eorum ſequi veſtigia, concionantibus, & conficientibus Sacramenta præſto eſſe, Evangelium legere in Miſſa, & de eorum, qui præſunt, facultate prædicare, baptizare, & Euchariſtiam diſtribuere. Vigente enim uſu calicis, hunc diaconi miniſtrabant. Commiſſa etiam iis erat diſpenſatio bonorum Eccleſiæ, & ad Concilium deducere adventantes epiſcopos, & acta publica in iis legere, & clericorum querimonias deferre, iiſque cura cartophylacii Eccleſiaſtici committebatur. In Latina Eccleſia ordinantur diaconi manuum impoſitione, & traditione libri Evangeliorum. In Græca manus impoſitione, & porrectione flabelli, quod apud eos ſacra dona ventilantur. In aliquibus Anglicanis Eccleſiis eorum manus chriſ-

mate ungebantur, sed hoc alienum est a Romanæ Ecclesiæ consuetudine.

Not. II. Diaconatum esse verum Sacramentum communis opinio est, ac talem quoque fuisse ordinationem septem diaconorum Act. 6. non vero ad profanum dumtaxat ministerium institutum, ut sentiunt hæretici, & catholici etiam, inter quos Oecumenius, Beda, Cajetanus, Vasquez &c. Sit ergo

Propositio I. Septem diaconi, de quibus Act. 6. non ad profanum usum, sed ad Sacramentum, & sacramentali ordinatione initiati sunt.

Prob. I. ex Act. Apost. ubi legitur I. ad diaconatum electos probatos viros *plenos Spiritu S. & sapientia.* II. Eos ad Apostolos fuisse adductos, iisque manus impositas. III. Ex iis Stephanum Christum tanto zelo annuntiasse, ut lapidibus a Judæis obrueretur: Philippum vero æthiopem convertisse, & baptizasse; ergo &c. Ut enim ait Estius, inverisimile est viros tam egregie in fidei doctrina instructos ab Apostolis profanis officiis addictos esse. Deinde manuum impositio, sacræ ordinationis materia est, ex c. 1. libri hujus, præsertim cum ei Apostoli preces adjunxerint. Hinc Grotius ait: *Quod hic fecere Apostoli, idem episcopi postea tum in presbyteris, tum in diaconis ordinandis.*

Prob. II. ex PP. Cyprianus ep. 68. quærens, cur in ordinatione diaconorum Apostoli plebem convocarint? R. *Ne quis ad altaris ministerium indignus obreperet.* Euseb. l. 2. H. E. c. 1. ait: *Septem spectatæ virtutis viri per precationem, manusque impositionem diaconi constituti sunt, qui Ecclesiæ ministerium exhiberent.* Chrysostomus hom. 3. in Act. ad ea verba: *Imposuerunt illis manus*, ait: *Hoc ritu septem illos segregatos a multitudine.* Addit eos ordinatos *impositione manuum, & prece*, & in sacra illa actione fuisse etiam *divinam operationem.* Beda in priori exp. Act. & in ejus Retract. ait: *Communis dispensatio exigebat, ut ministri pro viduis eligerentur. Verum crescente gradatim, ut solet,* provi-

providentia consilii salutaris, placuit eosdem ipsos altaris quoque sacri, sicut & refectionis mensæque communis fidelium, ministros ordinari. Unde quædam Pontificalia in ordin. diaconi habent: *Dona illi gratiam, quam Stephano tuo donasti, quem primum vocasti ad opus ministerii tui.* Similia habent Ægyptii, & Maronitæ in ordinatione archid. Apud Latinos ait episcopus: *Cogitate Stephanum merito castitatis ad officium istud electum.* Hinc septem diaconorum exemplo in Rom. Ecclesia totidem ordinabantur, ex ep. S. Cornelii cit. c. 2. Prop. 1. ergo &c.

PROPOSITIO II. Diaconatus est ordo sacer, & Sacramentum.

Prob. I. ex momentis Prop. præced. Prob. II. ex canonum auctoritate. Nam in Carthag. IV. can. 4. diaconus dicitur consecrari in sua ordinatione, & can. 38. ei permittitur, annuente presbytero, Eucharistiam distribuere. Trid. sess. 23. ait, Ecclesiasticam Hierarchiam *ex episcopis, presbyteris, & ministris* constare, diaconis nempe, qui peculiariter, & vi nominis ministri dicuntur. III. ex PP. Ignatius ep. ad Trall. ait: *Cunctos debere revereri diaconos, ut mandatum Jesu Christi:* ubi diaconum vocat *ministrum* non esculentorum, sed *mysteriorum J. C.* Clemens Alex. diaconorum officia comparat *angelorum ministeriis.* Auctor Eccl. Hierar. c. 3. eos vocat: *Selectos liturgiæ ministros.* Optatus Milev. l. 1. diaconos vocat: *In tertio sacerdotio constitutos*, idest post episcopos, & presbyteros. Hieron. ep. 803. ad Evang. ait: *Quod Aaron, & filii ejus atque levitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in Ecclesia Dei.* S. P. aliique PP. docent, *diaconos sacrum Christi sanguinem ministrare.* Prudentius in Hymno 5. de S. Vincentio ait: *Levita de tribu sacra minister altaris Dei &c.* In vetustiss. Pontificali ordinationi diaconorum hic titulus præfigitur: *Consecratio diaconi.* Hinc Trid. sess. 14. anathema dicit iis, qui

 ajunt,

ajunt, in ſacra ordinatione *fruſtra dici ab epiſcopo: Accipe Spiritum ſanctum*, ſed hæc profert epiſcopus in conſecratione diaconi; ergo ejus conſecratio eſt ſignum ſenſibile conferens Spiritum ſanctum, & gratiam.

Propositio III. Diaconus eſt ordo hierarchicus.

Prob. I. Nam Antiochena Synod. Illiberitana, Tolet. IV. &c. ajunt diaconos, qui *per parochias conſtituuntur, plebem regere, & epiſcopo, aut presbytero annuente, baptizare.* Gregor. Turonenſis laudat Cantinum quendam, & Beda Jacobum laudat, *qui docendo & baptizando magnas antiquo hoſti prædas eripuit.* Diaconi, ex Chryſ. hom. 83. laicos indignos etiam magnates a ſacra menſa arcebant. Excommunicabant inferiores clericos, ex l. 8. Conſt. Apoſt. c. 28. Corripiebant peccantes adverſus Eccleſiæ inſtituta, ex Opt. l. 1. Ipſis commiſſam monialium, & monachorum curam patet ex vita Amonis diaconi. In Urbe ſingulis regionibus præficiebantur, unde *Regionarii* dicti ſunt: ſicut *Stationarii* dicebantur, qui Evangelium canebant Pontifice ad ſtationes proficiſcente: & *Cardinales diaconi*, qui præcipuas diaconias adminiſtrabant; ergo &c.

Ob. I. Act. 6. ſeptem diaconi electi ſunt, quia æquum non erat, ut Apoſtoli miniſtrarent menſis, unde ad ſedandum *murmur Græcorum adverſus Hebræos* præfecti ſunt eleemoſynarum diſtributioni inter viduas utriuſque nationis; ergo &c. II. Diaconus a Hieronymo *menſarum*, & viduarum miniſter vocatur; ergo &c.

III. Chryſoſtomus hom. 14. in Acta ait: illis ſeptem diaconis non ſacrum aliquid miniſterium demandatum fuiſſe, ſed functionem laicam ſubminiſtrandi viduis alimentum, ut obſervat Sixtus Senenſ. l. 6. Bibl. Hinc Trull. Synodus can. 16. productis Chryſoſtomi verbis: *Unde nec diaconorum, nec presbyterorum nomen exiſtimo apertum eſſe, ac manifeſtum*, ait: *Propter hæc ergo nos quoque prædicamus,*

dicamus, ut prædicti septem diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt, sed eos esse, quibus fuit tradita dispensatio communi eorum, fidelium, *usui.* Eadem docet Oecumenius p. 54.

IV. Item S. Cyprianus ep. 65. ad Rogat. ait: *Episcopos præpositos Dominum elegisse, diaconos autem Apostolos sibi constituisse episcopatus sui ministros.* V. Adde ex ep. Vigilii Papæ ad Rusticum, & Sebastianum evinci aliquos diaconos ad tempus constitui, ut iste Sebastianus, loco Stephani & Anatolii absentum; ergo &c.

R. ad I. neg. conf. Quamvis enim occasione murmuris Græcorum septem diaconi fuerint electi, constat tamen ex manuum impositione, ex Spiritus S. iis facta collatione &c. eos fuisse simul inauguratos ministros sacros. Adde, in publicis conventibus fidelium, ex 1. ad Corinth. 11. distributam fuisse Eucharistiam; opus ergo erat ut mensarum ministris illius dispensatio committeretur. Eleemosynæ etiam viduis distribuendæ collectæ erant ex fidelium oblationibus factis in sacrificio; ergo & istæ committendæ erant altaris ministris; ergo ex Actibus Apostolicis firmatur potius, quam infirmatur nostra sententia.

Ad II. dist. ant. Vocatur ad comprimendam diaconorum impudentiam, qua se presbyteris comparabant, conc. ad elevandam eorum potestatem, neg. Afferit enim ibi S. D. diaconos sibi vindicare *in Ecclesia Dei, quod fuit Aaron, & filii ejus in templo.* Vide prop. 2. Ad III. neg. ant. Ad prob. R. Nullius ponderis existimandum esse canonem illum, cum nitatur falsæ Chrysostomi interpretationi, qui loco cit. hæc habet: *Unde neque diaconorum, neque presbyterorum nomen esse opinor perspicuum, sed interea in hoc fuerunt ordinati*, quæ postrema verba a Trullana Synodo, a Sixto Senen. aliisque omittuntur. Vult ergo Chrysostomus ab initio, *quoad nomen*, non fuisse inter episcopos, presbyteros, & diaconos apertum discrimen, omnesque sacros

ministros fuisse appellatos; horum tamen extitisse *ordinationes*, quæ interim peragebantur, ut formata paullatim Ecclesia suus unicuique gradus consisteret. Nam Chrysostomus caute *nomen* apposuit, dixitque tunc non extitisse diaconos, nec episcopos; interea tamen peractas fuisse illorum ordinationes. Sicut ergo erant ab initio, quoad characterem, episcopi; ita erant & diaconi: quod Chrysostomus perspicue testatur hom. 11. in 1. ad Tim. & in eadem hom. 14. in Act. *ordinationem* diaconorum non obscure delineans, ut supra monuimus.

Ad IV. R. Cyprianum id unum voluisse, Christum nempe non consecrasse diaconos, sed istos ab Apostolis fuisse constitutos, ut cujusdam diaconi adversus episcopum insurgentis audaciam reprimeret. Ad V. R. Vigilium non de ordinis charactere loqui, sed de officio, & loco. Sebastianus quippe dissidia excitans merito a Vigilio a diaconatus gradu dejectus est. Nec repugnat, aliqua ordinum ministeria a non ordinatis exerceri, ex indulgentia Pastorum, aut Ecclesiæ necessitate, at plura sunt munia solis diaconis concessa, ut legere Evang. &c.

CAPUT VII.

De diaconissis.

Not. I. Diaconissarum nomine, nedum uxores diaconorum designatas fuisse, sed pias quasdam, & pudicas mulieres certis in Ecclesia ministeriis addictas, alibi dictum est. Earum sane antiquissima est institutio. Apostolus enim Rom. 16. *Phœben* commendat, *quæ est in ministerio Ecclesiæ:* ubi Græcus habet: Διακόνην τῆς Εκκλησίας, *Diaconam Ecclesiæ*. Unde Græci in ordinatione diaconissæ, ita Deum orant: *Largire huic ancillæ tuæ gratiam, sicut largitus est Phœbæ, quam vocasti ad opus administrationis.* In Const. Apost. l. 3. legitur viduas illas, quæ publicis eleemosynis alebantur, *episcopis, presbyteris, diaconis, & diaconissis* fuisse

fuiſſe ſubjectas. Diaconiſſarum quoque fit mentio in epiſt. Ignatii ad Smyrnæos, ubi habetur: *Virgines quæ dicuntur viduæ*, ob continentiæ propoſitum, & ob ordinem, in quem erant adlectæ. Earum quoque meminit Tertullianus, Baſilius, canon 19. Nicæn. Chalced. 15. Trull. 14. apud Cotelerium, & Lupum.

Not. II. Negari non poteſt diaconiſſas fuiſſe aliqua ceremonia initiatas. Nam in Conſt. Ap. l. 8. c. 20. legitur: *Invocatio in ordinatione diaconiſſæ*, in qua ipſa electa dicitur *ad miniſterium*: ibique præmittitur conſtitutio Bartholomæi his verbis: *Epiſcope impones ei manus.* In Pontificali, & Euchologio Græc. epiſcopus *circumponit collo ipſius ſubtus Maphorium* (ideſt S. virginum pallium) *ſtolam diaconalem.* Eandem ordinationem præſupponit Trullana Synodus can. 40. mandans, ne ordinetur ante ann. 40. Hoc ordine initiatæ ſunt Theoſebia uxor S. Gregorii Nyſſ. Olympias fœmina præſtantiſſima &c. Meminit etiam hujus ordinationis antiquus Ordo Rom. vetus Pontificale Salisburgen. Toloſanum, Tertullianus de velandis Virg. &c. Sit ergo

Propositio. Ordinatio diaconiſſarum non fuit initiatio Sacramentalis.

Prob. I. enim ad nullum altaris miniſterium aſſumebantur. II. *Cuſtodes ſanctarum januarum* dicuntur l. 8. Conſt. Apoſt. c. 20. unde fœminæ ingrediebantur in templum. III. Electæ tantum dicuntur ad mulierum miniſteria ex l. 3. c. 15. nempe ad denudandas mulieres ſacro baptiſmate abluendas, ad cohortandas juniores, ad quas non decebat diaconos accedere. Ib. l. 2. c. 26. habetur ad diaconiſſas ſpectaſſe mulieribus ad epiſcopum introducendis adeſſe; ergo ad evitanda ſcandala, non in gratiam ſacrorum myſteriorum, eorum ordinatio fuit inſtituta, Hinc S. Epiphanius hær. 76. ait: *Diaconiſſarum ordo eſt in Eccleſia, non tamen ad ſacram aliquam functionem fuit inſtitutus.* Et in Ex-

pof. fidei ait: *Diaconiſſæ adhibentur in miniſterium mulierum tantummodo, propter honeſtatem.* Profe- runt nonnulli Nicænum can. 19. quo ſtatuitur: *De diaconiſſis, quod manus impoſitionem non habent, inter laicas deputari*, quove nonnulli ordinationem diaconiſſarum tot momentis firmatam expungere conati ſunt, nam iſte canon, cum Morino, & Lupo, de diaconiſſis Paullianiſtarum accipiendus eſt; non ergo neganda eſt diaconiſſarum ordinatio, ſed eam fuiſſe Sacramentalem jure negandum. Vide Lupum in Schol. ad can. 15. Chalced.

C A P U T VIII.

De Presbyteratus ordine ac poteſtate.

Presbyter Græce πρεσβύτερος comparativum vocabuli πρέσβυς *ſenex*, latine redditur *ſenior.* Aliquando ætatis nomen eſt, aliquando muneris, & dignitatis; falluntur ergo qui hoc nomine ſemper ſacerdotes intelligunt: quique presbyteros eos tantum cenſent, qui ætate, aut magiſtratus jure præcellunt; atque ita falluntur hæretici, qui putant, in lege Evangelica eos, qui dicuntur presbyteri, nulla ſacramentali ordinatione a laicis fuiſſe diſcretos. Recte ergo Iſidorus l. 7. Orig. c. 12. *Presbyter Græce, Latine ſenior interpretatur, non pro ætate, ſed propter honorem & dignitatem.* Ordinantur presbyteri apud Latinos non ſolum impoſitione manuum, ſed etiam porrectione calicis cum vino, & patenæ cum pane, quæ eſt ex Eugen. IV. hujus ordinis *materia.* De presbyterorum munere, & officio ait Pontificale Rom. *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare.* Præcipue tamen debet offerre ſacrificium, & a peccatis abſolvere, ad quod duplex munus cenſent Bellarminus, Eſtius, Vanroy &c. duplicem conferri poteſtatem & characterem.

Propositio I. Presbyteratus eſt proprium novæ legis Sacramentum.

Prob.

Prob. I. ex argum. cap. 1. hujus libri. II. In presbyteratu extat materia & forma, & ſpiritalis poteſtas per eam traditur; ut infra videbimus; ergo &c. III. Act. 14. legitur: *Et cum conſtituiſſent illis presbyteros, & oraſſent*, græce χειροτονήσαντες &c. ibi ergo habetur *chirotonia*, *& oratio* Apoſtolica. IV. Florentina Synodus, poſtquam ordinem eſſe ait ſextum in Eccleſia *Sacramentum*, immediate agit de presbyteratu. Trident. vero anathemate ferit affirmantes ſacram ordinationem non eſſe Sacramentum a Chriſto inſtitutum; ergo &c.

Propositio II. Sacerdotalis ordo non confertur ob ſolam prædicationem, ſed etiam ob ſacrificium.

Prob. I. ex c. 13. & 19. l. 33. apud Auctorem, ubi oſtendit dari in novo Teſtamento ſacerdotes, ad quos ſpectat Euchariſtiam conſecrare. Et ratio eſt, quia Chriſtus poſt conſecrationem Euchariſtiæ Apoſtolis, quos ex Trid. *novi Teſtamenti ſacerdotes conſtituit*, ait: *Hoc facite &c.* II. Idem conſtat ex ritu, tum Latino, quo ait epiſcopus: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium, Miſſaſque celebrare*, tum Græco, quo Deus exoratur, ut ordinatus *dignus fiat aſſiſtere altari, prædicare Evangelium, offerre ſacrificia, & renovare populum per lavacrum regenerationis.*

III. Aug. l. 2. contra Creſc. c. 2. docet, presbyteri officium non eſſe prædicare dumtaxat verbum Dei, ſed etiam Sacramenta conficere, & miniſtrare. Et Carthag. IV. can. 33. jubet, ut presbyteri venientes *ad alterius Eccleſiam, tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem conſecrandam invitentur.* IV. Tridentinum ſeſſ. 23. oppoſitum ſentientes damnat. V. Accedit ratio: remanet enim Sacramentum ordinis in monachis plurimis, qui plebem non regunt, imo etiam in hæreticis, qui falſa prædicant; ergo &c.

Propositio III. Confertur presbyteris in ſacra ordinatione, etiam facultas abſolvendi a peccatis.

Ita

Ita Trid. loc. cit. & prob. I. ex poteſtate judiciaria, qua donantur ſacerdotes, de qua vide c. 7. hujus lib. prop. 2. II. ex ritu noſtræ ordinationis. Epiſcopus enim manus rurſus imponens ordinato ait: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris &c.* ubi cum habeatur materia ac forma diſtincta, agnoſcunt theologi clariſſimi characterem diſtinctum a charactere, & poteſtate presbyteris collata ſacrificium offerendi: quæ ſententia traditur etiam a Catechiſmo Romano p. 2. c. 7. Reapſe Chriſtus unam ante paſſionem, alteram poſt reſurrectionem Apoſtolis contulit. Idem ſentit Bellarminus, qui duplicis hujus poteſtatis præſidio, ad concordiam revocare nititur eorum ſententiam, qui materiam hujus ordinis ſtatuunt in ſacrorum inſtrumentorum traditione, & eorum, qui eam conſtituunt in manuum impoſitione, dicens per illam tradi poteſtatem ſacrificandi, per hanc abſolvendi. Sed hoc non videtur omnino exploratum: nam impoſitio manuum in ſacerdotum ordinatione neceſſaria eſt, ſed ſi ſtatuatur *chirotonia*, quæ in fine Miſſæ adhibetur, jam ſacerdos ordinatus erit ad ſacrificium, (actum præcipuum ſui ordinis) abſque manus impoſitione, quod eſt falſiſſimum; ergo &c. Deinde Orientales in ordinatione presbyteri non exprimunt poteſtatem ſolvendi peccata, & tamen unica ſacræ ordinationis ceremonia utramque poteſtatem accipiunt; ergo &c.

CAPUT IX.

De ordine epiſcopatus.

Not. I. Epiſcopus, Græce ἐπίσκοπος, ab ἐπὶ *ſuper*, & σκοπέω *ſpeculor* derivatus, idem valet ac *ſuperinſpector*, & *ſpeculator*. Unde Auguſt. l. 19. de C. D. *Epiſcopatus*, ait, *nomen eſt oneris, non honoris, atque inde ductum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendit, curam eorum gerens.* In veteri Teſtamento epiſcopi dicebantur, qui Levitis præerant, ut 2. Eſdr. Azzi filius

filius Bani hebraice dicitur פקיד *Pakid visitator.* Hinc 1. Petr. 2. Christus dicitur: *Pastor & episcopus* animarum nostrarum. Promoventur episcopi impositione manuum, verborum forma, & ex ritu latino unctione etiam chrismatis: unde quæritur a Theologis, num eorum ordinatio sit verum Sacramentum.

Not. II. Id negasse ex veteribus plurimos, nempe Hugonem Vict. Magistrum, D. Thomam, Bonaventuram &c. apud Estium, & Morinum. Ajebant enim ordinis nomen ampliori sensu, prout significat spiritalem potestatem, nedum jurisdictionis, sed sacrarum etiam actionum, puta baptizatos confirmandi, aut clericos initiandi, etiam episcopatui convenire; non autem, si stricte sumatur, & prout est Sacramentum ad Eucharistiam consecrandam, & offerendam a Christo institutum: eaque potestas, qua nulla major, in presbyteratu collata est. Alii putarunt in episcopali ordinatione non imprimi novum a presbyteratu characterem, sed hunc ampliari, & perfici, ut fit cum presbytero superadditur absolvendi potestas: juxta quos episcopatus est Sacramentum, sed ab ordine sacerdotali indistinctum. Ita Paludanus, & Vasquez, apud Morinum, nec non Gavardi, Argentinas, Gibbon &c. Alii demum censent, episcopatum, & Sacramentum esse, & a presbyteratu distinctum. Ita Major, Scotus, Cajetanus, Soto, Bellarminus, Estius, Sylvius, Meratius, Isambertus, Gonzalez, Habert, Tournely, Juenin, Vitasse, Le-Droint, Vanroy, Piette &c. ab Auctore laudati, quibuscum sit

PROPOSITIO I. Ordo episcopatus Sacramentum est; & a presbyteratu distinctus: atque scholarum dissidia ea de re facile componuntur.

Prob. I. pars. Ex 1. ad Tim. 4. & ex ep. 2. c. 1. ubi legitur, Timotheum ordinatum fuisse *per impositionem manuum presbyterii*, eaque ordinatione gratia exornatum. Sed ex Chrysostomo, Oecumenio, Theophylacto, Anselmo, D. Thoma, aliisque

Apo-

Apoſtolus loquitur de ordinatione Timothei in epiſcopum; ergo aut epiſcopatus eſt ordo, aut, quod dici nequit, ordo non eſt Sacramentum. II. Trid. Synodus, poſtquam ex Ap. oſtendit, *ordinem eſſe vere & proprie unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, quod verbis, & ſignis perficitur, & gratiam Dei reſuſcitat*, ait: *Sacra ordinatione epiſcoporum, ſacerdotum, & ceterorum ordinum conſtitui Eccleſiaſticam Hierarchiam*, quam divinitus inſtitutam agnoſcit can. 6. ergo per Trid. epiſcopatus eſt verum & proprium Sacramentum. III. PP. omnes inter *hierarchicos ordines* præcipue epiſcopatum enumerant, ſed nemo perfecte in *Hierarchia* conſtituitur, niſi per Sacramentum *Ordinationis*, ſive ut ait Tertullianus: *Cum Sacramento, cum traduce Spiritus S.* Unde electus epiſcopus nondum conſecratus, nequit exercere ea, quæ ſunt ordinis, nec vocatur *epiſcopus*, licet juriſdictionem exerceat ex cap. *Tranſmiſſam* de elect. & ex c. *Tua nuper;* ergo &c. Proinde S. Leo, & S. Gregorius M. ordinationem epiſcopalem expreſſe vocant *Sacramentum*.

IV. Ordinatio epiſcopi dicitur *chirotonia* a Græcis, *ordo* a Latinis, non ſecus ac presbyteratus &c. ut patet, ex libris Euchologicis, ex Nicæn. can. 4. ex cod. canonum Eccl. Rom. ex laud. Trident. verbis, ex ep. Innoc. I. &c. Unde qui ordines numerant, epiſcopatum ſeptimo, aut octavo loco conſtituunt, ut PP. Carth. IV. Rabanus, Simeon Theſſ. aliique Græci, & Latini: qui, licet inter ſe diſcrepent in eo calculo, nemo tamen epiſcopatum omittit. V. De inſtitutione divina epiſcopatus dubium non eſt. Apoſtolus enim a Chriſto inſtitutos, & poſitos eſſe regere Eccleſiam Dei expreſſe habetur Act. 20.

VI. Ritus ſolemnior eſt in ordinatione epiſcopali, quam in aliis Sacramentis. Extat in eo idonea *materies*, ideſt manuum impoſitio: confertur gratia, & character, ex 1. ad Timot. 4. ubi gratia ſenſibili ſigno, ideſt *impoſitioni manus*, tribuitur: ideoque

ex

ex opere operato, ut in aliis Sacramentis confertur. Unde S. P. A. l. 1. de Actis cum Fel. Manich. ait, cum gradu episcopali *miram virtutem* donari. Hinc est, quod Moyses quidam apud Theod. l. 4. c. 20. numquam induci potuerit, *ut a Lucio Ariano episcopo consecraretur in episcopum, quod certus esset Spiritum S. ad illius invocationem numquam descensurum*: & Martyrius apud Sozom. p. 716. ad Nectarium ait: *Munus episcopale delictorum esse remedium, & expiationem.* Observat tamen cl. Auctor, pro ἱερωσύνη *sacerdotio*, sponte sua *munus episcopale* apposuisse Frontonem Ducæum.

VII. Validæ sunt ordinationes episcoporum, qui ab Ecclesia separantur, aut schismate, aut hæresi ex Aug. l. 2. contra Parmen. c. 13. ergo episcopi vi consecrationis suæ habent *potestatem aliquam indelebilem*, adeoque *characterem.* Unde semel rite collatus episcopatus iterari non potest; constat ergo ex nomine, institutione, materia, forma, & charactere esse verum, & proprium Sacramentum, cumque peculiari ritu, distincta consecratione, propriaque materia & forma, & ampliori potestate conferatur, quam presbyteratus, satis liquet, eum esse ab hoc ordine distinctum.

Prob. II. pars. Qui enim negant episcopatum esse Sacramentum, fatentur tamen ordinatione episcopi gratiam conferri cum D. Thom. l. 3. in ep. 2. ad Tim. ubi ait, Timotheo *in manus impositione datam esse gratiam Spiritus S.* Ajunt autem, hanc non esse gratiam Sacramentalem, quia non datur ad conficiendam Eucharistiam, sed ad munus episcopale digne exercendum. Fatentur in ordinatione episcopi spiritalem potestatem, nedum jurisdictionis, sed etiam ordinis conferri, ex D. Th. q. 40. Suppl. sed quia, inquiunt, non refertur specialiter ad Eucharistiam, non est potestas ordinis, ut Sacramentum est, sed ordinis late accepti. Fatentur in episcopatu ampliari ordinis characterem, quod explicat Vasquez exemplo characteris presbytera-

lis, qui extenditur ad poteſtatem ſolvendi peccata. Quæ ſane apud omnes ſunt explorata: incertum eſt autem, an character iſte realiter, & *entitative* diſcrepet a gratia, eaque mere ſcholaſtica quæſtio eſt, & ſufficit, ſi gratia & character *connotative* tantum diverſa ſint, ut de charactere ſacramenti Confirmationis dictum eſt ab Auctore Tom. 7. pag. 119. & 135. ergo &c.

Ob. I. In hac ſententia Sacramenta eſſent plura quam ſeptem; ergo &c. R. neg. ant. Nam epiſcopatus, & presbyteratus ſub uno ſacerdotii ordine comprehenduntur, ſive ſacerdotium in duos ordines diſpeſcitur, in quorum primo traditur poteſtas Euchariſtiam conficiendi, in ſecundo ordinandi, & conſecrandi eos, qui Euchariſtiam conficiunt: ut ait Sirmondus ad Sidonii Apoll. ep. 2. l. 4. ubi de Claudiano presbytero legitur: *Antiſtes fuit in ordine ſecundo.* Hujus *ſecundi ordinis* meminere etiam S. Optatus l. 1. n. 12. leges Theodoſii, Fidegoldus &c. Hinc Trid. ſeſſ. 23. c. 2. enumerans ſeptem ordines, ſupremum non presbyterorum, ſed ſacerdotum appellat. Conſtat etiam ex c. 2. libri hujus ab aliquibus presbyteratum in ſexto, epiſcopatum in ſeptimo ordine collocari: nec deeſſe qui octo ordines recenſeant, queis conſentit Carthagin. IV. & Pontificalia Græca, & Latina: unde, ſi quis teneret ordines eſſe octo, nulla eſſet cenſura notandus.

Ob. II. Epiſcopatus ad Euchariſtiam ex dictis non ſpectat; ergo non eſt ordo. R. diſt. ant. Non ſpectat, ideſt poteſtatem non confert Euchariſtiam conſecrandi, eſto; conſecrandi eos, qui illam conficiunt, neg. Vide R. ad I. Obj.

Ob. III. *Tempora ordinationum ſunt ſabbata quatuor temporum, ante Domin. Paſſionis, & ſabbatum S.* ex Pont. Rom. atqui epiſcopatus conferri poteſt *ſingulis Dominicis, & in natal. Apoſtolorum;* ergo &c. R. Recte id lege poſitiva conſtitutum eſſe, ut ordo omnium præſtantiſſimus in præcipuo Domi-

Dominico die, & in Apoſtolorum ſolemniis, quibus epiſcopi ſuccedunt, conferretur.

Ob. IV. Si ob ampliorem dignitatem epiſcopatus a presbyteratu ſejungendus ſit, etiam patriarchatus, & archiepiſcopatus ordines erunt, & Sacramenta ab epiſcopatu diverſa; ergo &c. R. neg. ſequelam, nam in iis amplior eſt quidem jurisdictionis, non autem ordinis poteſtas, ut eſt in epiſcopatu.

Ob. V. In conſecratione epiſcopi nec ſpecialis gratia Sacramentalis, nec diſtinctus character confertur: ergo &c. R. neg. ant. De quo vide prob. primæ partis hujus n. 6.

Ob. VI. Ignatius, Auguſtinus, aliique PP. docent, *ſacerdotium* eſſe graduum omnium præſtantiſſimum; ergo &c. R. neg. conſ. PP. enim loquuntur de *ſacerdotio*, prout duos diverſos ordines complectitur, ut ſupra dictum eſt.

Ob. VII. Unus ordo ſacer ſine alio collatus imprimit characterem, ut patet de presbytero, aut diacono per ſaltum ordinatis, ex cap. *Sollicitudo* diſt. 52. ſed nemo promoveri poteſt ad epiſcopatum non ſuſcepto presbyteratu; ergo &c. R. Eſtius, ideo non poſſe aliquem in epiſcopum ordinari abſque presbyteratu, quia poteſtas epiſcopi ad conſecrandum, ad conferendos ordines &c. cum ſit eximia, ac præſtantiſſima, ex divina inſtitutione ſolis ſacerdotibus communicatur. Vide Auct. tom. 7. p. 82.

CAPUT X.

De chorepiſcopis.

Not. I. Chorepiſcopos, quaſi τȣ̃ χώρȣ τȣ̀ς ἐπισκόπȣς, *ruris vel pagi epiſcopos* dictos eſſe c. 2. prop. 2. dictum eſt. Hinc inter canones Nicænos Arabicos n. 8. legitur: *Chorepiſcopus eſt loco epiſcopi ſuper villas, & monaſteria, & ſacerdotes villarum, quæ ſub poteſtate ejus ſunt.* Et apud

Hincmarum *episcopi vicani*, apud alios *Villani* dicuntur. Non omnes tamen parochi villarum chorepiscopi dicuntur, sicut nunc non omnes parochi sunt episcoporum vicarii. Nam in Apol. 2. S. Athanasii legitur impium Ischyram, qui Athanasium fracti calicis reum traduxerat, fuisse episcopatu insignitum, licet in agro Mareotes, cui præerat, *nunquam antea episcopus*, *imo nec chorepiscopus fuerit*; erant ergo jam a priscis sæculis Exarchi, aut primates, seu archiepiscopi, qui plures provincias moderabantur, Metropolitæ, qui unicam, episcopi, quorum plures in eadem provincia erant, & chorepiscopi in pagis episcoporum vicarii, fallitur ergo Rabanus, aliique asserentes chorepiscopos ita dictos: *Quod essent de choro sacerdotum.*

Not. II. Quidam chorepiscoporum originem ab Apostolorum ævo repetunt, ac tales fuisse putant Linum, Clerum, Clementem, aliosque Rom. Pontificis vicarios, priusquam fierent Pontifices. Verum si qui tales extitere, quod Paglus negat, cum isti extra urbem vices Pontificum non gererent, chorepiscopi dici non possunt. Hi ergo ante IV. sæculum non inveniuntur: & primum eorum mentio fit can. 12. Conc. Ancyrani ann. 314. cum tamen heic eorum institutio supponatur, circa finem sæculi III. contigisse dicenda est. Censet tamen Tournelyus, post Salmasium, Basnagium &c. longe vetustiorem fuisse chorepiscoporum institutionem, constat enim ex Clementis ep. ad Corinth. Apostolos *per urbem*, *& agros episcopos constituisse*. II. Eusebius l. 7. H. E. c. 30. narrat, Samosatenum *episcopos vicinorum pagorum & civitatum* submisisse ad populum decipiendum. III. Idem lib. 5. meminit episcoporum *Comanensis* & *Apamensis*, qui pagi erant. IV. Et l. 8. c. 13. Sylvanum laudat, *qui fuit episcopus Ecclesiarum vicinorum Gazæ*, non *episcopus Gazæ*, ut male vertit Valesius. Epiphanius etiam hær. 30. laudat *epis-*

episcopum vicinum Tiberiadi, non *Tiberiadis*, ut male vertit Petavius; ergo &c.

R. Hæc nimis futilia esse. In his enim testimoniis episcopos audio, non chorepiscopos. Clemens autem loco cit. hæc habet: *Prædicantes per regiones & urbes episcopos, & diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt*: ubi græce habetur: χώρας καὶ πόλεις. Porro χώρα, nedum *pagi*, ac *vici* nomen est, sed *regionis*, & cujusque loci, neque ad episcopos hoc nomen referendum est, sed ad τὸ *prædicantes*, ut sensus sit, Apostolos per varias *regiones prædicantes*, episcopos, ubi opus esset, fidelibus regendis constituisse.

Ad II. R. *Episcopos vicinorum pagorum*, non evinci ex Eusebio, esse alios ab *episcopis civitatum*. Ad III. R. Eusebium ibi asserere, Zoticum ex agro viciniisque Comanæ, & Julianum ex Apamia *duos viros probatos & episcopos* venisse ad explorandum spiritum Maximillæ, non vero eos fuisse pagorum tantum antistites. Ad IV. R. Immerito reprehendi Valesium, is enim vertit: *Silvanus Gaza oriundus episcopus*. Nec repugnat unum, eumdemque Gazæ urbis proximarumque Ecclesiarum fuisse episcopum: unde vertit Christophorsonus: *Ecclesiarum Gazæ episcopus*. Ad V. R. Male reprehendi Petavium; episcopus enim, quem Ellel Judæus arcessit, fuit episcopus urbis Tiberiensis, non ruris: habetur enim in græco πλεσιόχωρον, quod non solum propinquum significat, sed etiam *accolam*: cur enim Ellel in urbe degens non urbis, sed pagi antistitem in mortis articulo arcessisset?

Not. III. Controverti ab eruditis, an chorepiscopi essent consecrati episcopi, an insigniti tantum presbyteratus ordine. Consecratos fuisse in episcopos censuit Rabanus, cui subscribit noster Lupus, Basnagius, Tournely, qui duo hanc sententiam pluribus momentis ostendere conati sunt, quorum I. est, quod can. 12. Conc. Ancyr. legitur:

Chorepiſcopis non licere presbyteros, aut diaconos ordinare ſine præcepto epiſcopi; ergo horum facultate id poterant. II. In can. 10. Antioch. de chorepiſcopis legitur: *Ordinent lectores, ſubdiaconos &c. nec presbyterum, nec diaconum audeant ordinare.* III. S. Baſilius ep. 181. reprehendit chorepiſcopos ſuos, quod aliquos *in ſacerdotalem numerum cooptarent*, cum antea, *niſi præmonitis epiſcopis* id non auderent. IV. Synodus Neocæſar. can. 13. & Nicolaus I. in ep. ad Archiep. Bituric. ait: *Ad formam 70. diſcipulorum facti chorepiſcopi, quo quis dubitat epiſcoporum habuiſſe officia?* ergo &c. Contraria tamen ſententia communior eſt, & his momentis innititur. I. Leo M. ep. 88. vetat chorepiſcopis chriſma conficere, & baptizatorum frontes inungere, eo quod non habent pontificatus apicem. II. in cit. canone Ancyrano iis vetatur *ordinare presbyteros & diaconos.* III. Ipſe ordinationis ritus chorepiſcoporum, qui nullibi extat, niſi in ſolis Pont. Maronitarum apud Morin. non eſt ritus Sacramentalis, ſed ceremonialis, eique ſimilis, quo archipresbyteri inſtituuntur, & longe diverſa ab epiſcopi ordinatione. IV. Chorepiſcopos ab uno epiſcopo ordinatos obſervat Morinus, cum epiſcopi a tribus ordinentur. V. Ex can. 6. Sardicen. quem laudat Leo M. in urbibus tantum, non in pagis conſtitui debent: *Ne epiſcopi nomen, vel auctoritas vilipendatur*; ergo &c. His prænotatis ſit

Propositio. Chorepiſcopi per ſe quidem erant presbyteri, ſed aliquando, & *per accidens*, epiſcopali dignitate præditi.

Prob. I. Ex auctoritate ſcriptorum: hanc enim ſententiam tuentur Bellarminus, Hallier, de Marca, Morinus, Thomaſſinus, Alexander, Dufreſne, Juenin, Vitaſſe, Le-Droint &c. II. hæc opinio ab utraque præcedente fulcitur, atque a nulla rejicitur. III. In canone 10. Antiocheno permittitur chorepiſcopis ordinare presbyteros & diaconos: *Si*

Si impositionem manuum episcoporum perceperint, & ut episcopi consecrati sint. IV. Cum episcopi in solis urbibus statuendi essent, Cathari autem, aliique hæretici illos in pagis locarunt, ex can. 8. Nicæno: imo hoc etiam apud *Arabes Cyprios* & Novatianos fuit in usu, ex Sozomeno l. 7. H. E. c. 19. atqui Cathari episcopi ad catholicam redeuntes chorepiscopi fiebant, si id catholico episcopo videbatur, ex cit. Nicæno can. 8. catholici etiam, aut ob persecutionem, aut alia de causa a propria Ecclesia pulsi, ad aliquem chorepiscopatum promovebantur; ergo &c.

Nec obstant prioris sententiæ momenta. Nam ad I. R. in eo can. 12. Ancyrano absolute legi: *Chorepiscopis non licere presbyteros, vel diaconos ordinare*, & in alia canonis parte, ubi de licentia episcopi diœcesani sermo est, non legitur: *Ordinare*, sed *committere*, *imperare*. Ad II. R. Aliquos chorepiscopos habuisse consecrationem episcopalem, sed non omnes: unde canon conditionate loquitur, non absolute. Ad III. R. Basilium exponi a viris doctis de initiatione inferiorum clericorum; in eo enim peccabant chorepiscopi, quod inter præsentandos episcopo aliquos cooptabant, quos presbyteri indignos esse affirmabant.

Ad IV. R. Ex lxx. discipulis quosdam episcopos fuisse, sed non omnes, nec iis, ut discipulis, convenisse episcopalem dignitatem ex eo patet, quod episcopi, non discipulorum, sed Apostolorum successores appellantur. Hinc patet etiam, cur tandem chorepiscopi fuerint abrogati. Instituti enim sunt initio, ut pagis vice episcoporum fungerentur, rurales Ecclesias regerent, eleemosynas erogarent, *formatas* literas dispensarent: tum iis datum est, ut minores ordines, & subdiaconatum conferrent, & in Oriental. Ecclesiis ut confirmarent, ac templa, & virgines consecrarent, ex Syn. Antioch. Neocæs. & ex ep. Basil. Cum ergo etiam in Occidentali id auderent, & jura episcoporum

invaderent, de iis eliminandis actum est Sæc. VIII. ex Capitul. Caroli M. l. 6. c. 119. At Sæc. XI. chorepiscopos omnino exolevisse scribit Balsamon in notis ad can. 13. Ancyr. Censet Du-Cangius chorepiscopos, quoad officium ac dignitatem, etiamnum vigere in primo subdiaconorum Ecclesiæ Ultrajecten, in primo cantorum Ecclesiæ Colleg. Colonien. & Treviren. Verum in abbatibus tantum, qui mitra & pastorali utuntur, & quatuor minores conferunt, aliqúa eorum umbra servatur.

CAPUT XI.

De distinctione episcoporum a presbyteris, & an ea sit ex institutione divina.

Novatores non aliam inter eos distinctionem agnoscunt, quam *primogenituræ*, eo quod prius in clerum adlecti fuerint episcopi, quam presbyteri. Idque l. commentus est IV. sæculo Aerius, de quo S. P. hom. 53. & Epiph. hom. 75. ægre ferens, quod episcopalem honorem obtinere non potuisset. Eandem insaniam, ob non adeptum Wigorien. episcopatum adoptavit Wiclefus, ex Th. Valdensi l. 2. Doctr. fidei, nec non Calvinus, Blondellus, & Salmasius. At impium dogma impugnarunt Petavius, Alexander, Habert, Vitasse, Cotelerius, Beveregius, Armacanus, Pearsonius &c. quibuscum sit

Propositio. Ab Apostolorum ævo episcopi ordine, ac dignitate præfuerunt presbyteris.

Prob I. Ex scripturis. I. Etiam in lege Evangelica admitti debet Hierarchia, ad quam ii tantum pertinent, qui in sortem Domini adsciti vocantur a Deo tamquam Aaron, sed hæc postulat, ut episcopus presbyteris, & clericis præsit, ut Aaron præerat filiis suis, & levitis; ergo &c. Maj. est Hieronymi, & Trid. definientis, hanc hierarchiam *divina ordinatione* institutam: min. patet ex c. 28. Exodi, ex c. 9. Levit. &c. ex quibus constat, Aaron ampliorem facultatem habuisse, & supra sacerdotes,

dotes, & levitas omnes amplissimam jurisdictionem: idque non diffitetur Calvinus l. 4. Inst. c. 6. nec Magdeburg. Cent. 1. c. 7. ubi ajunt: *In Ecclesia Judaica unus erat lege divina summus sacerdos, quem omnes agnoscere tenebantur.* II. Ap. in 1. ad Tim. 3. exigit, ut episcopus sit *doctor*, & ad Tit. 1. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Sed hæc de episcopis dicuntur ad distinctionem presbyterorum, tum quia illi per singulas urbes præsides, ac magistri constitui debent, ex Chrysostomo hom. 10. in ep. ad Tim. tum quia Apostolus sejungit seniores, *qui laborant in verbo, & doctrina*, ab aliis presbyteris, eosque *duplici honore* ait dignos esse. III. Ib. c. 5. ait Apost. *Seniorem ne increpaveris &c.* quæ S. Epiphanius urget adversus Aerium dicens: *Quid attinebat episcopo vetare, ne presbyterum objurgaret, nisi majorem supra presbyterum haberet auctoritatem?*

IV. Ib. subdit Apostolus: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus;* ergo Timotheus, qui certe fuit episcopus, erat presbyterorum antistes, & judex; unde infert Chrysost. Timotheo, ut episcopo, creditam fuisse gentem Asiaticam: *Ut omnes episcopum tamquam præsidem, judicemque formident.* V. Evangelica historia Apostolos a discipulis aperte distinguit, quos Dominus ab iis separatim elegit, illi enim ad regendam Ecclesiam, & prædicandum Evangelium a Christo Domino missi sunt. Atqui constat ex PP. maxime ex Nysseno, Chrysostomo, Hieronymo &c. Apostolorum successores esse episcopos; ergo &c.

Prob. II. Ex definitionibus Ecclesiasticis. I. In canone Ap. decernitur, ut presbyter *ab uno* tantum episcopo ordinetur; episcopus autem *a duobus*, vel *tribus aliis.* Idque can. 3. Conc. I. Arelaten. & Can. 4. Nic. I. statutum est. II. Iidem Canones tres ordines *episcoporum, presbyterorum*, & *diaconorum* aperte distinguunt, can. 3. 4. 5. &c.

Can. 12. interdicitur presbyteris in aliam parœciam migrare, *absque proprii episcopi permissione.* Et can. 34 cuncta administrare jubentur ad nutum episcopi. III. In eadem Urbe ex ordinatione Apostolorum *duo episcopi prohibentur existere.* Hinc cum decreto Constantii jussum esset, ut cum Liberio sederet Felix, clamavit populus: *Unus Deus, unus Christus, unus episcopus.* Sed ex Nicæno can. 8. non repugnat plures presbyteros ibidem morari; ergo &c. IV. Tridentina Synodus sess. 23. can. 6. statuit Hierarchiam Ecclesiasticam divina ordinatione institutam constare *ex episcopis, presbyteris, & ministris:* & can. 7. ait episcopos presbyteris superiores esse; ergo &c.

Prob. III. Ex Patribus. Missis enim Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia c. 5. ubi ait, presbyteros esse *sub ordine pontificum*, missis Const. Ap. l. 2. ubi episcopus *dux, & princeps credentium* appellatur, nec non Clemente, qui eum Aaroni comparat; certe Ignatius in ep. ad Magnes. n. 6. ait, cuncta omni studio agenda esse, *præsidente ceteris episcopo Dei locum tenente.* Ad Trall. n. 2. ait: *Episcopo subjecti sitis tamquam Jesu Christo*, & infra: *Necessarium est ut sine episcopo nihil agatis;* quæ verba iterum profert n. 7. ep. ad Philadelphien. II. Clemens Alex. l. 3. Pædag. c. 12. ait, alia præcepta data in sacris literis *episcopis*, alia *presbyteris*, alia *diaconis*, & in 6. Stromat. ait; *Nam & hic quoque sunt progressiones episcoporum, presbyterorum, & diaconorum.* Ubi Græcum προκοπὴν *profectum*, a προκόπτω *proficio, procedo*, de uno gradu in alium superiorem progressum significat: ibique explicat Clemens Ecclesiasticam hierarchiam, in qua primo diaconos, 2. presbyteros, 3. episcopos statuit. III. Origenes Hom. 2. in Jer. ait, plus a Deo exigi ab episcopis, *quibus super diaconos, & super presbyteros commissus est principatus Ecclesiasticus.*

IV. Tertullianus de Bapt. c. 17. ait, illum dandi jus non habere presbyterum, *ſine epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem.* V. Cyprianus ep. 65. ad Rog. de diacono in epiſcopum contumaci ait: *Meminiſſe diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt epiſcopos, & præpoſitos Dominus elegit.* Et in Carthag. Syn. Clarus a Maſcula ait: *Apoſtolis nos ſucceſſimus, eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes.* VI. S. P. A. hom. 53. Aerium, ut hæreticum notat, quod aſſereret: *Presbyterum ab epiſcopo nulla differentia diſcerni.* Et epiſt. 82. ait: *Quamquam epiſcopatus presbyterio major ſit, tamen in multis Auguſtinus Hieronymo minor eſt.* Vide Leonem M. ep. 27. Cæleſtini ep. ad Gall. epiſcopos, Greg. M. l. 4. in 1. Reg. 6. &c.

Prob. IV. Ex Hieronymo & Chryſoſtomo, quibus Presbyteriani innituntur, l. enim in ep. ad Tit. ad ea verba: *Conſtituas per civitates epiſcopos*, ait: *Audiant epiſcopi, qui habent conſtituendi presbyteros per urbes ſingulas poteſtatem.* Et epiſt. ad Marcellam 27. ait: *Apud nos Apoſtolorum locum epiſcopi tenent*, eoſque ait: *Stare loco Pauli, & tenere gradum Petri* in ep. ad Heliod. Et in ep. ad Nepotian. 34. ait: *Quod Aaron, & filii ejus, hoc eſſe epiſcopum, & presbyterum noverimus.* Et in Epithal. Nepotiani, vel ep. 35. ait: *Ut regi ſic epiſcopo; imo minus regi quam epiſcopo;* Hieronymus ergo tribuit epiſcopis poteſtatem conſtituendi presbyteros, ordinis diſcrepantiam, ſucceſſionem Apoſtolorum, Aaronis præeminentiam, regiam majeſtatem; ergo &c.

Chryſoſt. etiam in Or. contr. Judæos ait, Eccleſiæ epiſcopos prænuntiatos Iſ. 40. ubi dicitur: *Ponam præpoſitos tuos juſtitiam.* Et Orat. de S. Philogon. epiſcopos vocat: *Præfectos Eccleſiarum.* L. 3. de Sacerd. tribuit epiſcopo ſummam *auctoritatem, & potentiam:* & hom. 3. ait: *Princeps eſt hic quoque, & quidem, rege, honoratior.* Et hom. 34. in ep. ad Hebr. ait, epiſcopos eſſe, quos Paulus vo-

cat *præpositos*, & *principes*, & episcopatum esse *imperii molem*. Hom. demum 13. in 1. ad Tim. ostendens illud: *Per impositionem manuum presbyterii*: de episcopo accipiendum ait: *Non enim presbyteri episcopum ordinaverunt*. Quibus verbis distinctionem, & prærogativam episcoporum perspicue tradidit.

Prob. V. Ex successione episcoporum, ex qua cum PP. aut dogmatum veritatem, aut Ecclesiarum antiquam institutionem ostendant, necesse est, ut ab initio unus fuerit in Ecclesiis gradu & auctoritate præstantior, ceterisque præfectus. Ita S. Irenæus l. 3. advers. Hæres. c. 3. Valentinianos refellit, quod oppositam illis doctrinam teneant Ecclesiæ, *in quibus ab Apostolis constituti sunt episcopi*, ibique successiones episcoporum Romanæ Ecclesiæ a Petro ad Eleutherium enumerat. II. Tertull. de Præscr. c. 32. *Evolvant*, inquit, *hæretici, ordinem episcoporum suorum, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis viris habuerit auctorem*. Profert deinde *Polycarpum a Joanne, & Clementem a Petro ordinatum*, addens: *Confingant tale aliquod hæretici*. III. Eadem habet auctor Carminum advers. Marcionem inter opera Cypriani, ubi post Petrum, Linum laudat, usque ad Anicetum.

IV. Eandem successionem urgent contra Donatist. S. Optatus l. 2. & S. P. ep. 53. nunc 165. ex quo nullum antiquum episcopum proferre possint, referens ex adverso Rom. Pontifices a Petro usque ad Anastasium. V. Huc referri possunt antiquissimi aliarum Ecclesiarum episcopi apud Eusebium, Jerosolymitanæ, Alexandrinæ, Lugdunen. Smyrnen. &c. VI. Adde, acta S. Ignatii Mart. ab Usserio, & Ruinartio edita, ubi legitur: *Honorabant sanctum per episcopos, presbyteros, & diaconos Asiæ civitates, & Ecclesiæ*. In epist. Smyrnen. Ecclesiæ S. Polycarpus dicitur: *Doctor Apostolicus, & catholicæ Smyrnen. Ecclesiæ episcopus*. Hinc ipsi persecutores in suis proscriptionibus episcopos nominabant, un-

de

de S. Cyprianus ep. 55. meminit profcriptionis fuæ, quæ fic habet: *Si quis tenet de bonis Cæcilii Cypriani epifcopi Chriftianorum &c.*

Prob. VI. ex ipfo nomine epifcoporum, quod ethnici tribuebant diis fuis, quos rectores univerforum putabant. Obfervat etiam Beveregius ex Plutarcho in Numa, & Tullius l. 7. ep. 2. viros, qui rebus adminiftrandis præficiuntur, *epifcopos* nominari. Hinc Apoft. Act. 20. ait: *Vos Spiritus S. pofuit epifcopos regere Ecclefiam Dei.* II. Apocal. 2. epifcopi *angeli* dicuntur, ob Evangelium, quod annuntiant, & ob eminentiam auctoritatis: angeli enim Dei *nuncii* rebus creatis præfunt. Hinc S. P. Filio Dei, qui eft epifcopus animarum noftrarum, angeli nomen, ob Evangelii annuntiationem, & Ecclefiæ regimen, convenire demonftrat. III. Licet etiam presbyteri facerdotio fungantur, epifcopus tamen antonomafticæ *Sacerdos* nuncupatur, ut vocatur S. Hilarius a Venantio Fort. quod nempe inter facerdotes præcipuo fulgeret honore. Dicitur etiam: *Summus facerdos*; Ambrofius enim l. 3. de Sacr. c. 1. ait: *Succinctus fummus facerdos*, epifcopus, *pedes tibi lavit.* Adde, quæ ex Optato, & Sidonio diximus de Sacerdotio in primum & fecundum *ordinem* dividendo.

IV. S. P. A. in Pf. 126. ad ea verba: *Nifi Dominus cuftodierit civitatem &c.* ait: *Ideo altior locus pofitus eft epifcopis, ut ipfi fuperintendant, & cuftodiant populum. Nam Græce epifcopus fuperintentor interpretatur, quia fuperintendit, quia defuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad cuftodiendam vineam, fic & epifcopis altior locus factus eft.* V. Nazianzenus Carm. 11. ad epifcopos eorum eximios characteres defcribens ait: *Lux vitæ, fidei columen, fundamina mundi, doctores vitæ nullo quæ clauditur ævo, Chriftiferi, foliis præclaris, quique fedetis fublimes:* ex quibus titulis, & officiis eorum poteftas elucet.

Prob.

Prob. VII. rationum momentis. I. Enim nisi admittatur Ecclesiastica Hierarchia, quam PP. & Concilia definiunt, omnia permixta forent, & confusa, nisi unus ceteris præficeretur, nec esset ordo Procerum & antistitum, quibus presbyteri, diaconi, aliique clerici, & laici in spiritalibus subjicerentur. Item in eadem Hierarchia sunt *episcopi*, *presbyteri*, *& diaconi*, sed diaconi presbyteris subjiciuntur; ergo & presbyteri episcopis. II. Ab Apostolorum ævo unus tantum episcopus præfuit majoribus Ecclesiis. Unde loco Narcissi Jerosolymæ episcopi decrepitæ ætatis, Alexander, nonnisi *divina dispensatione & oraculo*, Eusebio teste l. 6. H. E. c. 1. suffectus est. Singularis autem præsul solium tenens, & in locum unius pastoris suffectus, in communem presbyterorum ordinem redigi nequit. III. Habet episcopus supra presbyterum ampliorem ordinis potestatem, cum possit ad ordines promovere, conferre Sacramentum confirmationis, & alia præstare, quæ nequeunt presbyteri; ergo &c.

IV. Presbyter alium ordinans in presbyterum frustra ordinat; ergo caret episcopi potestate. Prob. ant. ex D. Athan. Apol. p. 134. qui nullam fuisse ordinationem Ischyræ probat, ex quo fuerit ordinatus a Colluthо, *qui cum esset presbyter obiit*. Unde *omnes, qui schismatis tempore a Collutho fuerunt ordinati, ad laicalem statum*, ait, *fuisse redactos*; ergo &c. V. Episcopi ampliorem jurisdictionem habent, quam presbyteri: nam statim possunt confessarios approbare, censuras ferre, presbyteros ipsos suspendere, & degradare, sed hoc facere nequeunt presbyteri; ergo &c.

Ob. I. Act. 14. legitur, Apostolos constituisse *per singulas civitates presbyteros*. Et c. 15. & 16. recensetur conventus Apostolorum, & seniorum, græce *presbyterorum*. In 1. ad Timoth. 4. cœtus sacrorum ministrorum dicitur: *Presbyterium*: & c. 5. presbyteri appellantur, *qui præsunt*. Sed sacerdotes

dotes in civitatibus conſtituti, ab Apoſtolis in Concilium & adminiſtrationem communem recepti, quique aliis præficiebantur, erant epiſcopi; ergo a presbyteris non erant ſecreti. Nec dicas, quoſdam presbyterorum epiſcopos fuiſſe, at non omnes: nam Act. 20. presbyteros omnes Epheſios, quos *Majores natu* appellat Vulgata, Græca vocat τὰς πρεσβυτέρους, eoſque v. 28. appellat *epiſcopos.* Hinc Apoſtolus ad Philipp. 1. pacem omnibus ſanctis apprecatur: *Cum epiſcopis, & diaconibus*, ideſt *cum presbyteris, & diaconibus.*

R. diſt. maj. Et loca producta demonſtrant idem omnino fuiſſe epiſcopos ac presbyteros, quoad ampliorem vocabulorum ſignificationem, conc. quoad gradum, ordinem, ac dignitatem, neg. Nomina ergo *apoſtoli, epiſcopi, presbyteri, & diaconi* nunc communi, nunc peculiari acceptione inveniuntur deſcripta. Apoſtolus enim dicitur Chriſtus Hebr. 3. Apoſtoli dicuntur duodecim, Barnabas, Paulus, Andronicus, Junius &c. Epiſcopus etiam dicitur Chriſtus 1. Petr. Epiſcopi vocantur, quos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam Dei. Presbyterum ſe vocat Petrus in 1. ep. c. 5. & Jo. initio ep. 2. & 3. Diaconus etiam dicitur miniſter presbyteri, & tamen de Archippo epiſcopo, ex Hieronymo, hoc nomen enunciatur prope finem ep. ad Coloſſ. ſicut ergo, ex quo Chriſtus epiſcopus dicatur, & D. Petrus *compresbyter*, non ſequitur, aut Chriſtum, aut Petrum nullam habuiſſe ſupra Apoſtolos, aut epiſcopos auctoritatem aut præeminentiam; ita nec ſequitur, ex quo eodem nomine epiſcopi & presbyteri ſint appellati, pari eoſdem auctoritate pollere. Adde, ex iiſdem locis refelli adverſarios: ibi enim dicitur ad Tit. 1. epiſcopos Eccleſiæ præfici, ut conſtituant presbyteros, 1. ad Tim. 5. ut Eccleſiæ cauſas dirimant; ergo &c. Vide Prob. 1. *Majores natu* autem interpretatur Irenæus l. 3. c. 14. *de epiſcopis, & presbyteris, qui erant ab Epheſo, & a reliquis proximis*

ximis civitatibus; diſtinguuntur ergo ibi epiſcopi a presbyteris.

Ob. II. Clemens Rom. in ep. ad Corn. n. 42. ait, Apoſtolos, per regiones prædicantes conſtituiſſe probos viros *in epiſcopos, & diaconos eorum, qui credituri erant*; ergo &c. II. Hinc Papias apud Euſebium l. 3. presbyterum appellat S. Marcum Alex. epiſcopum, & Zoticus Comanenſis præſul *compresbyter* dicitur ab auctore de geſtis Montaniſtarum.

R. Ad I. ut ſupra, vocabula epiſcopi, & presbyteri fuiſſe aliquando communia, verum S. Clemens ibi epiſcopos a presbyteris aperte ſecernit dicens: *Præpoſitos noſtros*, ideſt epiſcopos, *revereamur, & presbyteros noſtros honoremus*: & infra ait: *Summo ſacerdoti*, epiſcopo, *ſua munera tributa ſunt, & ſacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt, & levitis ſua miniſteria incumbunt.* Ad II. R. eodem modo. Quamvis Papias hæc habeat: *Etiam hoc presbyter narrabat, quod Marcus interpres Petri &c.* ubi *presbyter* dicitur, qui de Marco loquebatur. Non Marcus ipſe: ut patet ex verſione Rufini, & Valeſii. Zoticus etiam Comanenſis epiſcopus, de quo l. 5. H. Euſeb. c. 16. non eſt ille, qui ſupra dicitur *presbyter*, iſte enim Otrenus erat, non Comanenſis.

Ob. III. Chryſoſtomus in epiſt. ad Philipp. ad illud: *Cum epiſcopis, & diaconibus* ait: *Presbyteros ita appellavit.* Eadem ferme habent Theodoretus, & Theophyl. Et hom. 11. in 1. ad Timoth. quærens, cur poſt epiſcopos, *omiſſo presbyteratus ordine*, ad diaconos tranſierit reſpondet: *Inter epiſcopum & presbyterum intereſt fere nihil, quippe & presbyteris Eccleſiæ cura promiſſa eſt, & quæ de epiſcopis dixit, etiam presbyteris congruunt*; ergo &c.

R. Ut ſupra Chryſoſtomum velle, quod etiam epiſcopi interdum presbyterorum nomine dignentur, iiſque animarum curam, & munus baptizandi, ſacrificandi, & abſolvendi committi. Quærens enim

enim cur Paulus unius Ecclesiæ Philipp. plurali numero episcopos dixerit, ait: *Quid hoc? unius urbis multi erant episcopi? nequaquam: sed presbyteros ita appellavit, tunc enim adhuc communicabant nominibus, & episcopus, & diaconus dicebantur.* Quod confirmat ex 2. ad Timoth. c. 4. ubi Paulus ait: *Ministerium tuum imple, cum tamen esset episcopus*: quod ostendit ex epist. 1. c. 4. Ex quibus infert: *Antiquitus etiam presbyteros vocatos episcopos, & diaconos Christi, quamobrem & hodie multi episcopi scribunt: Compresbytero, & Condiacono;* ergo Chrysostomus inter episcopos & presbyteros solam vocabulorum communionem admittit.

Idem dicendum de hom. 11. ad Timoth. ubi ex verbis ὀ πολὺ τὸ μέσον, quæ melius reddas: *Haud multum interest*, quam: *Interest fere nihil*, differentiam episcoporum a presbyteris profitetur. Ibi enim episcopis facultatem ordinandi tribuit, quam presbyteris negat. Quod autem etiam presbyteris curam fidelium adscribat ultro concedimus adversariis. Theodoretus autem in 1. ad Timoth. 3. ait: *Eosdem olim vocabant presbyteros & episcopos, eos autem, qui nunc vocantur episcopi, Apostolos nominabant. Procedente autem tempore Apostolatus nomen reliquerunt iis, qui vere erant Apostoli: episcopatus autem appellationem iis, qui olim appellabantur Apostoli, imposuerunt.* Theophylactus autem ait, etiam presbyteros dici episcopos, quod *etiam ipsi populum inspiciant, sed alia esse episcopi officia: non enim presbyteri ordinant.* Qua de re in Creta relictum Titum ait: *Ut episcopalia exerceret.*

Ob. IV. Hieronymus ep. 85. nunc 101. ad Evang. ait: *Cum Apostolus doceat, eosdem esse presbyteros, quos episcopos, quis patiatur ut mensarum minister* (diaconus) *supra eos se efferat, ad quorum preces Christi corpus conficitur?* productisque locis ad Philipp. 1. Act. 20. 1. ad Tit. 5. & 1. ad Timoth. 4. ad episcoporum, & presbyterorum vetustiss. æquali-

tatem

tatem probandam, ait: *Quod autem postea unus electus est, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est.* Addit etiam rationem: *Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non facit?* Et in c. 1. ad Tit. *Idem est presbyter, qui episcopus; & antequam diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* Post schisma autem subdit S. D. *In toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Id postea ex ep. ad Philipp. 1. & Act. 20. confirmat, ubi unius urbis presbyteri vocantur *Episcopi*, & vicissim. Addit in epist. ad Hebr. inter plures dividi Ecclesiæ curam, & concludit: *Apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & episcopos: paullatim vero, ut dissensiones evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos, ita episcopi norint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere:* ex quibus dogma suum invicte firmari novatores contendunt.

R. Hieronymi scopum ibi esse diaconorum insolentiam retundere, qui sese presbyteris comparare audebant: idque præstat S. D. presbyteros summopere commendans, qui *episcopi* nomine in Actibus, & in epist. Apostolicis designantur, & ubi nondum multiplicatis fidelibus nullum schismatis periculum erat, ipsi quoque gubernarint Ecclesiam, non pari auctoritate, sed *communi consilio.* Quod constat ex ipsa ep. 101. ubi S. D. presbyteros adæquat episcopis, in conficienda dumtaxat Eucharistia, & ubi agit de Act. c. 20. negat *in una Ecclesia plures fuisse episcopos*, Titum vero ait in Creta relictum, *ut presbyteros constitueret;* ergo ex iis qui *presbyteri*, & *episcopi* promiscue dicebantur unum Ephesiorum, alte-

alterum Cretensium agnoscit episcopum, qui nedum Eucharistiam conficere, sed etiam eos, qui conficiunt, poterant ordinare.

Addit S. D. *Alexandriæ a Marco usque ad Heraclam, & Dionysium episcopos, presbyterum semper unum in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem archidiaconum vocent*, sed imperator & archidiaconus præeminentia audent & ampliori jurisdictione; ergo &c. De potestate ordinis addit ib. *Quid enim facit, excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?* uterque enim baptizat, sacrificat, non tamen confirmat, ut tom. 7. p. 77. ostendit cl. Auctor.

Addit S. D. episcopos omnes *ejusdem esse meriti & sacerdotii*, non jurisdictionis, quia omnes Apostolorum sunt successores; sicut ergo Apostoli, ita episcopi presbyteris præsunt: clauditque Epistolam statuens inter eos discrimen, quod inter Aaron, filios, & Levitas intercedebat, de quo supra; ergo &c. Eadem repetit S. D. in epist. ad Tit. ubi ostendit ex ep. ad Philipp. presbyteros dici episcopos, ex quo ibi enuncientur episcopi numero plurali: *Et certe in una civitate Philippi, plures episcopi esse non poterant*; sed si plures esse non poterant, unus erat, penes quem summa regiminis residebat; ergo &c.

Addit, initio gubernatam Ecclesiam, *communi presbyterorum consilio*, deinde ad unum episcopum *delatam sollicitudinem*, demum hac in re *magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate* episcopos majores esse presbyteris. Hæc nimirum, quoniam Apostoli ab initio etiam *seniores* in partem sollicitudinis Ecclesiæ admittebant, cum tamen ipsi pleniorem haberent auctoritatem; postea vero crescente fidelium numero satius duxerunt ad schismata removenda ceteris unum præficere, qui plura præciperet, presbyteris inconsultis. Illam enim consiliorum communionem, quam initio servatam

ait S. D. exponit exemplo Moyſis: *Qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, 70. elegit, cum quibus populum judicaret;* fallitur ergo quidam imperitus ſcholaſticus, qui audacter aſſeruit, Hieronymum in Aerii hæreſim fuiſſe prolapſum, nec non Blondellus, qui hæreſim ſuam ipſam eſſe Hieronymi ſententiam impudentiſſime commentus eſt. Vide auctorem.

Ob. V. Presbyteri, ſicut epiſcopi, Euchariſtiam conficiunt, & etiam ordines conferunt, ut chorepiſcopi, & S. Conciliis interſunt; ergo *unus* utriſque *honos eſt, & una* dignitas, ut ajebat Aerius. II. PP. etiam docent, ſacerdotium eſſe dignitatem omnium præſtantiſſimam; ergo &c. III. Docent etiam, eos ætate, & officio differre. IV. Alii ajunt, epiſcopos a presbyteris creari, alii idem evenire ajunt, cum presbyter epiſcopus fit, ac cum epiſcopus creatur Rom. Pontifex, utrobique enim juriſdictio ampliatur.

R. ad I. neg. conſ. Baptizant enim & ſacrificant presbyteri, idque juſſu epiſcopi, qui poteſt eos degradare & ſuſpendere, ſed alios presbyteros *non generant*, ait Epiphanius, chorepiſcopi autem, qui ſacros ordines contulere, fuerunt veri epiſcopi ex cap. præced. Qui autem Synodis interfuerunt, ſuffragium non tulere, nec ſubſcripſere, niſi epiſcoporum vices gererent.

Ad II. R. Sacerdotium in duos ordines dividi, ut alibi dictum eſt. Ad III. R. PP. optime epiſcopi ac presbyteri etymologiam explicaſſe, hæc enim dictio ſeniorem ſignificat, illa *ſuperinſpectorem*, qui nempe aliis præficitur. Ad IV. R. Creari quidem epiſcopos, ideſt eligi alicubi presbyterorum, imo aliquando etiam laicorum ſuffragiis, ſed præter electionem habent ipſi conſecrationem, & amplitudinem characteris per *impoſitionem manuum* epiſcoporum: non enim presbyteri, ait Chryſoſtomus, epiſcopum ordinant. Quæ ordinatio indicat quantum diſtet progreſſio epiſcopi ad ſummum pontificatum

catum ab inauguratione presbyteri in episcopum: in utroque enim ampliatur jurisdictionis potestas, sed in episcopum electo confertur amplior ordinis auctoritas; itaut Rom. Pontifex ad supremam jurisdictionem, episcopus ascendat ad apicem sacerdotii, & sint ambo pares ordinis charactere, & longe dissiti regiminis potestate.

CAPUT XII.

De materia, ac forma Sacramenti Ordinis.

Not. I. Eugenius IV. in Instr. Arm. de materia, ac forma sacrarum ordinationum hæc habet; *Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; diaconatus per libri Evangeliorum dationem; subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris &c. Et sic de aliis, prout in Pontificali Rom. condinetur.* Apud Græcos tamen ordinatio presbyteri, & diaconi fit sola manuum impositione. *Orarii* enim, seu stolæ in anteriorem partem deductio, & flabelli porrectio, cum sit muta ceremonia, & absque ulla verborum forma, *materia Sacramentalis* dici nequit.

Hinc magnum inter scholasticos dissidium ortum est, quorum nonnulli post Capreolum, Soto, Vasquesium, aliosque, queis videtur accedere D. Thomas q. 34. Suppl. art. 5. docent: *Ordinationum materiam* in sola instrumentorum porrectione consistere. Cumque Eugenii Instructio Arm. exscripta sit ex Opusculo 5. S. Thomæ ad Archiepisc. Panormit. omnes Thomistæ stant pro hac sententia, docentes impositionem manuum ad *integritatem*, non vero ad *substantiam* Sacramenti pertinere. Alii *Ordinum Hierarchicorum* duplicem statuunt materiam partialem, nempe instrumentorum porrectionem, & in presbyteratu, & diaconatu manuum impositionem:

tionem: quam in ſubdiaconatu Latini non adhibent, ex vet. conſuetudine, & ex can. 5. Carthag. IV. Ita Soto, Ledeſma. Hoſius, Eſtius, Sylvius, & Vaſquez, quoad presbyteratum. Alii presbyteratus, & diaconatus materiam ſtatuunt in ſola manuum impoſitione, inſtrumenta vero materiam putant accidentalem, aut integrantem. Ita Morinus, Martenius, Goarius, Habert, Juenin, Tournely, Vitaſſe, Le-Droint, & ex veteribus S. Bonaventura, & Durandus.

Not. II. Nititur I. ſententia auctoritate Florentini Conc. in Inſtr. Arm. ubi non alia aſſignatur hujus Sacramenti materia; ſicut ergo aliorum ſacramentorum materia in eo decreto aſſignata eſt *eſſentialis*, talis eſt etiam, quæ ſacris ordinationibus præſcribitur. II. Cap. *Presbyter* de Sacram. non iterandis ſtatuit, non eſſe iterandam ordinationem presbyteri, & diaconi, in quibus omiſſa fuerit impoſitio manus, ſed eam caute ſupplendam; ſed ubi deeſt ſubſtantialis materia, integrum Sacramentum eſt iterandum, non ſupplenda materia accidentalis, cum ritus præcedens nullus fuerit; ergo &c. Hinc Innoc. III. cap. *Cum veniſſet* de Sacr. Unct. hanc ſuppleri jubet in quodam epiſcopo, qui *in conſecratione ſua eam non acceperat*: quia hæc non ſpectat ad *Ordinationis ſubſtantiam*.

III. Nulla ex tribus manus impoſitionibus eſt eſſentialis in ea ordinatione. Non prima, qua epiſcopus ponit manum ſuper caput ordinandi nihil dicens, quia fit abſque ulla verborum forma. Non ſecunda, qua epiſcopus & ſacerdotes ſimul dexteras tenent extenſas ſuper ordinandum, & ille ait: *Oremus fratres cariſſimi*; hæc enim non eſt forma Sacramenti, cum ſit nuda divini auxilii, pro ordinatione proxima, deprecatio. Quod patet tum ex lectione orationis, tum ex rubricis ſequentibus, quæ uſque dum inſtrumenta tradantur, adſtantes ſemper vocant: *Ordinandos*, & *conſecrandos*, imo *conſecrandi* dicuntur in altera oratione

ne episcopi: *Exaudi nos &c.* Nec tertia, cum episcopus in fine Missæ impositis super ordinatum manibus ait: *Accipe Spiritum S.* Cum presbyteri ante oblationem, & consecrationem Eucharistiæ sint jam ordinati; ergo &c. IV. Imprimitur *character* ex Pontificali Rom. in traditione instrumentorum. V. *Substantialis* materia est sensibile signum, quo traditur ordinato *potestas spiritalis*; sed hæc traditur per instrumentorum traditionem, cum dicitur: *Accipe potestatem*; ergo &c.

Not. III. Sententiam, quæ diaconatus & presbyteratus *materiam essentialem* statuit in sola manuum impositione his momentis inniti I. Valida est ordinatio facta in omnibus Orientis & Occidentis Ecclesiis, sed in eorum plerisque sola manuum impositio locum habet; ergo &c. II. Carthaginen. IV. can. 3. Ancyr. can. 9. Nicæn. can. 19. & Trid. sess. 14. c. 3. presbyteros ordinari ajunt *manuum impositione*, nulla facta instrumentorum mentione. III. Hæc impositio est gratiæ, & characteris signum efficiens, eique PP. gratiæ vim tribuunt, atqui nemo ex iis hanc vim tribuit traditioni calicis, patenæ, aut libri Evangeliorum; ergo &c. Ad I. argum. respondent, Eugenium IV. ibi addidisse impositioni manuum, quam Armeni admittebant, materiam integrantem; quam ii non adhibebant, ut cum Latinis eosdem ritus servarent. Ad II. Respondent qui duplicem statuunt in sacra ordinatione materiam, si una ex iis ab altera separetur, unam potestatem conferri, ejusque *signaculum* imprimi; ideoque illud tantum esse iterandum, quod incaute fuit omissum, alteram nempe materiam cum sua forma partiali. Et ita exponunt etiam caput *Cum venisset* cl. Jureconsulti apud Gonzalez t. 1. Decr. pag. 489. Ad III. R. In Pontificali R. usurpari nomen *ordinandorum*, quando nondum ritus ordinationis completus est, verba autem: *Accipe potestatem*, esse jam collatæ potestatis explicativa.

Not. IV. Ex utriusque sententiæ momentis tertia conflatur, quæ docet, essentialem ordinationis sacræ materiam esse traditionem instrumentorum accedente formula: *Accipe potestatem*, nec non postremam impositionem manuum, prolata forma: *Accipe Spiritum S. &c.* ut c. 8. prop. 3. dictum est. His notatis sit

Propositio. Facile conciliantur, quæ de materia & forma sacrorum ordinum tradunt scholastici.

Prob. Nam in minoribus ordinibus non alia apud Latinos occurrit materia, præter porrectionem instrumentorum, ex c. 4. præced. Huic autem materiæ æquivalet manuum impositio: manus enim est, quæ instrumenta præbet. Unde S. Bonaventura ait, quod in primitiva Ecclesia plures ordines *implicite dabantur manuum impositione, quoniam manus est organum organorum.* Quam sententiam ad conciliandos Græcos Latinosque aptiorem vocat Arcudius. Dicimus etiam Ecclesiam impositionem manuum, quæ est sane *substantialis materia*, in diaconatu, presbyteratu, & episcopatu ampliasse ad ceremonias alias, in diaconatu ad traditionem libri Evangel. calicis &c. Formam quoque, quæ apud Græcos in sola oratione consistit, apud Latinos fuisse divisam; adeo ut cum episcopus porrigens instrumenta ait: *Accipe potestatem*, tunc fiat Sacramentum. Ita omnia conciliantur, & sic manus impositio est ordinum *materia* ex l. 30. c. 10. & 32. c. 4. Et si hanc solam materiam cum sua forma conditores Latinæ Ecclesiæ præscripsissent, non minus valida foret hujus ordinatio, quam est ordinatio Græcorum. Nec porrectio instrumentorum manuum impositionem excludit, sed est ejus materiæ ampliatio, sicut verba: *Accipe potestatem* præmissam episcopi orationem extendunt. Eugenius autem hanc solam commendat, quia per eam perficitur sacramentum, & character imprimitur. Dicimus tandem, Latinam Ecclesiam non immutasse materiam sacrorum ordinum, sed complexam expli-

explicuisse. Atque his Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ ritus facile conciliantur.

DISSERTATIO II.

De ministro, subjecto, ac ritu sacrarum ordinationum.

QUæremus hoc loco, quinam sint legitimi, quinam vero illegitimi sacrarum ordinationum ministri, tum ordinarii, cum extraordinarii? Quinam ad eas promovendi, quinam vero sint arcendi? Quæ dotes in iis requirantur, & qui ritus servari debeant?

CAPUT I.

De legitimo sacrarum ordinationum ministro, tum ordinario, cum extraordinario.

Not. Certum est, ordinarios hujus sacramenti ministros esse episcopos, ut statuit Trid. sess. 23. c. 4. & longe ante can. 5. statuerat Carthaginen. I. can. 7. Arelat. V. necnon Bracharen. Nanneten. &c. Episcopi enim ex Trid. ib. c. 4. in locum Apostolorum successere, & positi sunt regere Ecclesiam Dei. Ea de re ab Apostolis constitutos esse presbyteros, Titum relictum Cretæ, monitum Timotheum, ne cito manus imponeret, constat ex Actibus Apost. & Pauli epistolis, nec non ex PP. Chrysostomo, & Hieronymo aperte docentibus, a presbyteris episcopos differre, quod isti, non illi, *ordinationes* faciant. Vide c. 9. & 10. præced. Dissert.; tota ergo controversia est de extraordinario ministro. Sit itaque

Propositio I. Abbates ab episcopo benedicti possunt extraordinario jure conferre ordines minores.

Prob. I. ex can. 14. Syn. Nicænæ II. quæ id abbatibus permittit, dummodo *presbyteri sint, & ab episcopo juxta morem abbatum præficiendorum fuerint benedicti.* Id confirmavit Innocent. III.

ex 1. decr. tit. 14. cap. *Cum contingat*, Alex. IV. in Conſt. quam laudat Du-Cange in Gloſſ. v. *Oſtiarius*, & Trid. ſeſſ. 23. c. 10. II. Eadem facultas conceſſa eſt chorepiſcopis ex can. 12. Ancyrano, ex 10. Antioch. & 14. VII. Synodi. III. Idipſum ex privilegio conceſſum eſſe S. R. E. Card. non epiſcopis conſtat ex c. 16. Notitiæ Cardinalatus Cohellii privil. 2. IV. Videtur etiam ab Apoſtolica ſede concedi poſſe non epiſcopis poteſtatem conferendi *ſubdiaconatum*, I. quia eadem gaudebant olim chorepiſcopi, II. quia is non eſt ordo *hierarchicus*, licet ſit ordo ſacer, III. quia Gelaſius ep. 1. c. 8. chorepiſcopis concedi negat, *ut ſubdiaconum, vel acolythum ordinent, absque Rom. Pontif. permiſſione*; ergo hac accedente id ipſis conceditur.

Opp. Minores ordines, & ſubdiaconatus, cum ſint vera Sacramenta, & ordines proprie dicti, a ſolo epiſcopo conferri poſſunt, ergo &c. R. Non repugnare, quod aliquis per characterem epiſcopalem conſtituatur hujus Sacramenti *ordinarius* miniſter, & per characterem presbyteratus habeat aptitudinem quandam, qua accedente Sedis Apoſtol. privilegio ordinare valeat, ſicut ex eodem privilegio poteſt chriſma conficere, & confirmare: ut l. 32. c. 5. ab Auctore demonſtratum eſt.

Propositio II. Nequit collatio presbyteratus a Rom. Pontifice committi ſimplicibus presbyteris, licet committi poſſit diaconatus collatio, ut abbati Ciſtercienſi olim commiſſum eſt.

Prob. I. pars. Ex D. Th. q. 38. Suppl. art. 1. ad 3. qui etiam rationem profert: *Quod majores ordines* (quæ ratio tenet præſertim de presbyteratu, ut notat Sylvius in hunc loc.) *habeant immediatam relationem ad corpus Chriſti*. In hanc D. Thomæ ſententiam abiere omnes poſteriores Theologi. Reapſe nullum momentum, ſive ex PP. aut ex Conciliis, vel ex H. E. proferri poteſt, quo oſtendi poſſit, a ſimplici presbytero alios presbyteros fuiſſe ordinatos. Tandem hæc poteſtas, uti a Chri-

a Christo & Apostolis collata est; ita ab eorum successoribus conferri debet. Oppositum tamen senserunt Card. Hostiensis, Innoc. IV., aliique canonistæ apud Morinum: necnon Guillelmus Antisiodoren. Aureolus, Meratius &c.

Prob. II. pars ex privilegio Innoc. VIII. concesso an. 1489. abbati Cistercien. diœcesis Cabilonen. & abbatibus quatuor monasteriorum, quæ *per dictum monasterium fundata erant, ne monachi pro suscipiendis subdiaconatus, & diaconatus ordinibus extra claustrum discurrere cogantur, ut suorum monasteriorum religiosis, subdiaconatus, & diaconatus ordines conferre valeant.*

R. aliqui, hoc privilegium, vel suppostitium esse, vel dubium. II. Navarrus illud vocat *exorbitans.* III. Nec inveniri ait in Bullario Romæ edito. IV. Nec Cistercienses eo usos esse. V. Postulatum quidem, sed inverisimile est esse concessum. VI. Adversari Trid. sess. 23. de Ref. c. 10. ubi hæc facultas ad quatuor minores coarctatur. VII. Eam bullam exponendam de dimissoriis, quibus Cisterc. ordinari possint a quocumque episcopo, ut exponit Trid. & Clem. VIII. Sed contra est: nam privilegium illud ut germanum agnoscunt Major, Navarrus, Henriquez, Isambertus, Meratius, Morinus, Vanroy, Henno, Vasquez, qui asservari ait in Collegio Compluten. & a se lectum fuisse: sicuti illud legit cl. Auctor, tum apud Henriquez, tum apud Rodericum Ord. Min. p. 257. ed. Tournoni.

Ad II. R. A Navarro *privil. exorbitans* appellari, quia communia abbatum jura excedit. Ad III. Vide R. ad I. Ad IV. R. Cistercienses eo privilegio uti, ex Morino. Imo eorum Generalis monachos suos Romæ ordinavit diaconos, & subdiaconos ann. 1662. consentiente Alex. VII. & ann. 1663. consimiles ordinationes habuit Gandavi. Ad V. R. Innoc. VIII. Jo. abbati concessisse privilegia ampliora petitis, neque hoc privilegium ad quædam

monasteria coarctasset, cum eo gaudeant, quoad ordines minores, alia omnia. Ad VI. R. Trid. decretum universale esse, neque in eo eos comprehendi, quibus Romanus Pontifex peculiare privilegium impertitur: alias nec possent non episcopi ex facultate Romanorum Pontificum subdiaconos ordinare, quod falsum est.

Ad VII. R. eam expositionem adversari privilegio Innocentii Cisterciensibus collato, ne *extra claustra vagentur.* Bulla autem Clementis VIII. Innocentianæ non meminit: confirmat quidem commune Abbatum privilegium, quoad collationem Minorum, sed Cisterciensem non revocat. Imo consimile in India Franciscanis concessum narrat Henriquez apud Morinum, & Vasquez apud Henno.

Propositio III. Episcopatus a solis episcopis, & quidem pluribus, conferri debet, id tamen ad valorem ordinationis non requiritur.

Prob. I. pars ex momentis allatis in notis hujus capitis, quæ a fortiori probant de Ordine episcopatus. Deinde ex Glossa in cap. *Manus quoque* de Consecr. d. 5. *Papa delegante ordinatus potest conferre ordinem, quem habet*; qui ergo eo carent, conferre non possunt. Hinc Novatus, ut in Episcopatum irrueret, ex Italia quosdam episcopos rudiores accivit, qui temulenti, & crapula oppressi umbratili manuum impositione sibi traderent episcopatum. Prob. II. pars ex 1. ad Timotheum c. 4. ubi verba illa: *Per impositionem manuum presbyterii*, a Chrysostomo, aliisque exponuntur *de episcopis.* Act. 13. quinque episcopi laudantur, ex quibus Paulus, & Barnabas segregati ab aliis tribus, qui erant episcopi, acceperunt manuum impositionem. Jacobum Justum ordinatum fuisse Jerosolymorum episcopum a Petro, Jacobo, & Joanne scribit l. 2. H. E. c. 1. Eusebius. In 1. canone Ap. & in Const. Ap. legitur, episcopum ordinandum *a duobus vel tribus Episcopis.* Idem tradunt can. 21. Arel. I. 4. Nicæni I. 19. Anti-

Antioch. 39. Carth. III. &c. Tandem Cyprianus Ep. 68. præcipit, ut *ad ordinationes rite celebrandas cum plebe, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant.*

Prob. III. pars, in quam descendunt Lupus in Appendice ad can. 4. Nicæn. Gavardi, Piette, aliique nostrates. I. enim non opus est, ut ad ordinationem episcopi omnes ejusdem provinciæ conveniant, ut part. 2. dictum est; traditio ergo, de qua Cyprianus, ad disciplinam variabilem spectat, non ad dogma. II. Habert, qui nobis præcipue adversatur, probat ut validam ordinationem Armentarii a duobus episcopis ordinati ex can. 5. Conc. Regensis an. 439. Idque statuitur can. 1. Apost. & in Constit. Apost. In vitis etiam Romanorum Pontificum legitur, Pelagium I. consecratum fuisse ab episcopis Perusino, & Ferentino, & Andrea Ostiensi Archipresb. quod in tota Italia non fuerit inventus tertius episcopus. III. Timotheum peculiari ratione a Paulo ordinatum legitur ep. 2. c. 1. Unde Estius notat: *Ceremoniam quidem impositionis manuum a pluribus fuisse adhibitam, sed solum Paulum peregrisse, quæ sacramento substantialia erant.*

II. Titus post discessum Zenæ & Apollinis solus remansit Cretæ: *Ut constitueret per civitates presbyteros*, idest episcopos ex ep. ad Tit. c. 7.; & ex dictis c. 11. III. Episcopum urgente necessitate *ab uno* ordinari constat ex Constit. Ap. l. 8. c. 27. IV. In can. 2. Carth. IV. habetur, ab omnibus episcopis tangi caput electi, sed ab uno *fundi benedictionem.* V. Gregorius Magnus ep. 64. l. 10. ad Augustinum Anglicanum episcopum scribit: *In Anglorum ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum non aliter, nisi sine episcopis potes.*

VI. Theodoretus l. 5. H. E. c. 23. refert, Evagrium a solo Paulino ordinatum episcopum Antiochenum, nec unquam de validitate ejus ordinatio-

nis

nis diſputatum eſt, licet de ejus legitima ſucceſſione in ſede Antiochena fuerit magna contentione diſputatum. Imo Innocentius I. ratas habuit Evagrii ordinationes; conſtat ergo eum valide fuiſſe ordinatum. VII. Plures epiſcopi convenire juſſi ſunt ad ordinationem electi: *Ne furtivum beneficium præſtitum videatur*, ut ait Innocentius I. ep. ad Vitricium; ergo non ad validitatem. VIII. Ann. 1686. Innocentius XI. indulſit Godefrido Duci Franciæ Orientalis, ut ab uno epiſcopo cum aſſiſtentia duorum Abbatum conſecraretur epiſcopus, ex Gavardo tom. 6. Theol. Ægid. p. 526. IX. Accedit ratio: habet enim quivis epiſcopus apicem pontificatus, & plenitudinem ſacerdotii; ergo &c. Canones itaque ideo deponunt ab uno ordinatum, quia furtim, & absque majeſtate, quam poſtulat epiſcopatus, eſt ordinatus, non quod invalide, & ſine charactere.

Propositio IV. Debet quiſque promoveri a proprio epiſcopo, a quo, non ab alio, ordinationis forma proferri debet.

Prob. I. pars. Ex Tridentino ſeſſ. 23. c. 8., ubi ordinans a collatione ordinum per annum ſuſpenditur, ordinatus vero ab eorum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. Eandem ſuſpenſionem incurri etiam collatione minorum ordinum, & tonſuræ clericalis, ſi id fiat absque licentia ſuperioris ordinandorum, ſtatuunt Gregorius X., & Bonifacius VIII. Sacerdotes etiam a proprio epiſcopo ordinandos conſtat ex vet. can. diſt. 67. c. *Reliqui*, ex can. 21. Antioch., ex 3. Conſtantinop. I., ex 15. Aurelianen. III. &c. Conſtat etiam ex Sozom. l. 3. c. 21. Athanaſium ab Arianis accuſatum, quod ordinationes feciſſet in Urbibus ad illum non ſpectantibus. Et S. Jo. Chryſoſtomus apud Nicephorum l. 13. c. 13. ægre tulit S. Cyprianum Salaminæ epiſcopum ordinaſſe diaconum in Baſilica ſeptem millia paſſus ab urbe Conſtantinopolitana diſtante. Primates tamen extra diœceſim

ſuam

ſuam aliquando ordines contulere, ut epiſcopus Carthaginenſis in tota Africa, in Syria Antiochenus, in Hiſpania Toletanus, & ubique terrarum Romanus Pontifex.

Prob. II. pars ex can. 5. Conc. Hiſpal. II. an. 619. cui præfuit S. Iiidorus, ubi irrita declarata eſt ordinatio presbyteri, & duorum diaconorum ab epiſcopo Egrabenſi facta, quibus, dum ipſe detentus dolore oculorum manus imponeret, quidam presbyter formam protulerat. Vide Auctorem lib. 35. c. 8. prop. 5.

CAPUT II.

De ordinatione Epiſcopi intruſi, Hæretici, Schiſmatici, & Simoniaci.

Cum Donatiſtæ nulla exiſtimarent Sacramenta baptiſmi, & ordinis ab improbo miniſtro collata, vetuſtiores ex ipſis ordinatos a catholicis inter laicos detrudebant. At poſteriores Donatiſtæ ab ea ſeveritate recedentes, illos quidem iterum baptizabant, ſed aliquando rurſus ad ordines promovebant, quod quibuſdam diaconis factum narrat S. P. A. ep. 23. Donatiſtis autem acceſſiſſe poſteriorum ſæculorum hæreticos dictum eſt c. 14. l. 30. De quatuor autem improborum miniſtrorum generibus quæſtio eſt, nempe de intruſis, hæreticis, ſchiſmaticis, & ſimoniacis. Cum autem multum anceps & difficultatibus implicata olim fuerit hæc quæſtio, ut patet ex 5. Exerc. Morini *de ſacrarum Ordinationum iteratione*, ut breviores & faciliores ſimus, nonnulla notanda præmittimus.

Not. I. Veteres ſcholaſticos, qui cum Mag. in 4. diſt. 25. putant irritas ordinationes factas ab epiſcopis hæreticis, vel degradatis, nullo modo poſſe invicem conciliari. Quidam enim ajunt, epiſcopos exauctoratos charactere, & poteſtate ordinis exui; alii cenſent hos epiſcopos poteſtatem quidem ordinandi retinere, ſed ea carere illos, qui ab iis ordinan-

dinantur: quod primi in Ecclesia, alii extra Ecclesiam fuerint inaugurati.

Not. II. Non de licita, sed de valida ministrorum ordinatione controversiam hanc agitari.

Not. III. Nil facere ad eam dirimendam, quod ab hæreticis, aut schismaticis ordinati venientes ad catholicam, modo ad solam laicam communionem recepti, modo clericis sint cooptati. Hæc enim quæstio *de validitate Sacramenti* dogma respicit, non disciplinam, qualis est modus recipiendi clericos venientes ab hæresi, in qua pro qualitate, ac temporum circumstantiis resipiscentes clerici, modo pristino honore privati sunt, modo totum vel ex parte exercere iterum permissi sunt. Ita Cornelius Papa Maximum, & Nicæni Patres Arianos recepere.

Not. IV. Scholasticos ferme omnes, qui a 500. annis floruere, affirmasse validas esse, nec iterandas hasce ordinationes, licet ex prava suscipientium dispositione (non ob sacramenti inefficaciam) qui scienter a schismaticis, aut hæreticis episcopis ordines suscipiunt, gratiam non recipiant, teste D. Thoma q. 38. suppl. cui omnes subscribunt. Sit itaque

Propositio. Validæ sunt ordinationes factæ ab episcopis hæreticis, schismaticis, excommunicatis &c. dummodo habeatur debita materia, forma, & intentio.

Prob. I. ex canone Concilii Capuani sub Siricio celebrati an. 389. qui a Carthaginensi III. his verbis confirmatus est: *Non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, quod etiam in Capuensi plenaria synodo videtur statutum.* Idem statuit Florentinum in decreto unionis, & Tridentinum sess. 23. can. 4. ubi ait, Sacramento Ordinis imprimi characterem, ideoque non posse iterari.

Prob. II. ex PP. & præsertim ex Augustino, qui l. 1. de Bapt. c. 1. ait: *Sicut baptizatus, si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus.* Et l. de Bon. Conjug. c. 24. de cleri-

clericis improbis, & officio privatis ait: *Manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis.* Theodoretus H. Relig. c. 13. etiam ait: *Fieri non potest, ut bis fiat eadem manuum impositio.* Similia habet Hieronymus in Dial. contr. Lucif. Prob. III. ratione. Nam *potestas ordinis* semel collata numquam auferri potest, ut potestas consecrandi: secus dicendum de *potestate jurisdictionis*, quæ potest auferri; atqui potestas ordinandi est potestas ordinis; ergo &c.

Prob. IV. Discurrendo per classes eorum, quorum ordinationes nullæ censentur. Quarum I. est *Intrusorum*, qui alienam sedem contra fas & jura invaserunt. Quidam recentiores cum Vitassio producunt exempla Felicis II. Liberii, & Vigilii Romanorum Pontificum, quos Auxilius, & S. Petrus Damiani intrusos dixere, nec tamen repetitæ sunt eorum ordinationes. Sed Felicem tanquam verum Pontificem agnoscunt antiquiores Romanæ Ecclesiæ catalogi, Breviarium, & Martyrologium Romanum, pervetustæ Pontificum imagines in Ecclesia S. Pauli via Ostiensi, Nicephorus, Theophanes &c. Liberii fidem c. 2. diss. 2. l. 8. vindicavimus. Vigilium quoque eruditissimus Coustantius in epistolis summorum Pontificum egregie defendit.

Tria ergo exempla producam, quibus prop. invicte demonstratur. I. est Anatolii, qui in locum S. Flaviani C. P. episcopi a Dioscoro intrusus, a S. Leone Magno Marciani & Pulcheriæ Aug. precibus susceptus est; probatis quoque singulis ejus ordinationibus: ut patet ex ep. 78. Leonis. II. Est Petri Moggi, qui, etsi intrusus in episcopatum Alexandrinum, & ab uno tantum episcopo ordinatus contra canones, fecit tamen plures ordinationes, quas Rom. Ecclesia ratas habuit: ut narrat Metrophanes apud Lupum Tom. 2. pag. 1526. III. est Photii, qui S. Ignatii sedem invasit, & a Gregorio Syracusano episcopo degradato consecratus fuit; defuncto tamen Ignatio Jo. VIII. Rom. Pontifex in Patriarchalem

lem gradum illum reſtituit, nullo eorum, qui ab eo fuerant in ſchiſmate initiati, reordinato. Qua in re, licet nonnulli Joannem nimiæ facilitatis redarguant, defenditur tamen a Lupo, a Petro de Marca &c. Sed etſi molliter ſe geſſiſſet Jo. non tamen ſequeretur, irritas fuiſſe illius ordinationes, ut falſo ſcribit Morinus a Lupo, aliiſque refutatus.

II. Eſt ſchiſmaticorum I. enim Maximum presbyterum, alioſque reſipiſcentes Novatianos tertio ſæculo abſque nova ordinatione ſuſcepit Cornelius Papa; ergo in ſchiſmate character perſeverat. II. Sæculo IV. ordinati in ſchiſmate Donatiſtarum, *non ſunt rurſus ordinati, ſed ſicut baptiſma in eis, ita ordinatio manſit integra*, ait S. P. A. l. 2. contra Parm. c. 13. III. S. Melchiades ordinatos a Majorino ſuſcepit, ejuſque ſententiam ut *providam, & pacificam* laudat S. P. A. epiſt. 43. Ex adverſo Donatiſtas reordinantes paſſim exagitat S. D. IV. Confirmatur noſtra ſententia exemplis ſchiſmatum poſteriorum, in quibus promoti ad Eccleſiaſticos ordines numquam fuerunt repetita ordinatione recepti, quod nec factum eſt in diuturno ſchiſmate, quod ab anno 1378. uſque ad 1417. ab Urbano VI. uſque ad Martinum V. vexavit Eccleſiam; ergo &c.

III. Eſt hæreticorum: Nam de Novatianis canone 8. Nicæno definitur ex verſione Dionyſii: *Ut impoſitionem manus accipientes, ſic in clero permaneant.* Quæ verba perperam Morinus de reconciliatione canonica intelligit, cum legitima Græcorum verborum verſio ſit: *Eos, qui manus impoſitionem perceperunt, ita in clero permanere;* unde ipſa verſio Dionyſii in ſecunda canonis parte habet: *Ut qui ex illis erant ordinati, ſic maneant in clero.* Sic enim Nicænum can. accepere monachi Studitæ in VII. Synodo, quæ eorum expoſitionem Act. 1. probavit, Collector canonum Arabum n. 18. Hieronymus in Dial. & Innoc. I. Item S. Athanaſius ex ejus epiſt. ad Rufinianum, & ex Act. 1. Syn. VIII. ann. 362. coacta Synodo ſtatuit inter clericos

eos recipiendos eos, qui ad Arianiſmum vi adacti erant. Baſilius ep. ad Amph. ſcribit, idem factum eſſe cum Zoi, & Saturnino Encratitis. Et Epheſina Synodus hæreticos Meſſalianos reſipiſcentes ea lege ſuſcepit: *Ut ſi clerici fuerint, maneant clerici &c.* Toletana Synodus ann. 400. in ſuas ſedes reſtituit Symphoſium, Dictinium, & Anterium epiſcopos Priſcillianiſtas. Leo M. epiſt. 1. n. 6. ait, non eſſe ab epiſcopali ſede ejiciendum Donatum Salicinen. Novatianum, ſi oſtendat *quomodo* epiſcopalem ordinationem *ſit adeptus.* In VII. Synodo ann. 787. Act. 1. lectæ ſunt diverſæ S. Baſilii, S. Cyrilli, & S. Athanaſii epiſtolæ, Nicænæ item, & Epheſinæ Synodi canones, quibus ſtatuitur ſolos hæreſiarchas, perpetuo ab Eccleſiaſticis honoribus dejiciendos, reliqui, & ipſi iconomachi, in clericalem gradum ad Eccleſiam redeuntes ſuſcepti ſunt. Produxit Taraſius exemplum eorum, quos Sergius, & Pyrrhus Monothelitæ initiarunt: cumque a Sabba nimiæ facilitatis argueretur, purgavit ſeſe. Tandem S. Gregorius M. l. 2. epiſt. 46. cum Auguſtino ait: *Sicut baptizatus ſemel &c. ita conſecratus ſemel non debet iterum conſecrari.* Et l. 9. epiſt. 61. præcipit, ut Neſtoriani *ſervatis propriis ordinibus in ſuo cœtu ſuſcipiantur.*

IV. Eſt de ſimoniacis, qui ex can. 2. Chalcedonen. aliiſque innumeris, dignitate & officio privantur, at nullo canone definitur ſimoniaca ordinatione non imprimi characterem. Imo ſimoniaca lue graſſante ipſi Romani PP. permiſerunt, ut in acceptis ordinibus miniſtrarent, qui gratis ordinati fuiſſent, aut ignoraſſent epiſcopum ordinantem eſſe ſimoniacum, aut ſi hoc ſcientes ordinationis tempore, poſtea egiſſent pœnitentiam, ut patet ex epiſtola Nicolai II. ex Concilio Rom. ſub Alex. II. ex epiſtola S. Gregorii VII. & ex Rom. Synodo III. apud Lupum in 2. Diſſ. prœmiali p. 3. ergo &c. II. Licet Simoniacas ordinationes quidam iterandas cenſerent, PP. tamen, inter quos eminet S. P. A. de

iis ac de baptiſmo eandem habendam eſſe rationem docuere, ut ſupra dictum eſt. Baſilius in epiſt. ad Epiſcopos ſuos ait quidem: *Satanæ venundatos, qui vendere, aut emere audet donum Dei;* non tamen irritat, ſed monet, *ut poſthac non fiant, ſed emendentur* ordinationes ſimon. ita ſe geſſit Chryſ. in ſimoniace ordinatis ab Antonino Metropolita Epheſi, ex Palladio in ejus vita. III. S. Petrus Damiani, ferventibus de ſimoniaca ordinatione diſſidiis, pluribus momentis oſtendit, a ſimoniacis ordinatos non eſſe reordinandos. Quod etiam ratione firmavit, ex quo nempe homines exterius Sacramenta miniſtrent, & unus ſit, qui interius baptizat, & conſecrat: nec Spiritus S. ex merito ſacerdotum, ſed ex vi ſacramenti conferatur: ex quo Eccleſia ratas habuerit ordinationes Anatolii, Polychronii ſimoniaci, aliorumque: ex quo Deus per ſimoniacos epiſcopos, ut per Rainaldum Feſulanum, plura mirabilia patraverit: ex quo denique, ſicut baptizari, ita denuo conſecrari nemo valeat.

Ob. I. Producta momenta ſacris canonibus, Patribus, & Eccl. Hiſt. adverſantur; ergo &c. Prob. ant. quoad primam part. I. enim can. 68. Apoſt. habetur: *Qui a talibus*, hæreticis, *baptizati, vel ordinati fuerunt, neque fideles, neque clerici eſſe poſſunt;* ergo &c. II. Nicæn. can. 8. ſinit quidem, ut ordinati a Novatianis in clero permaneant, ſed accepta manuum impoſitione, ſive, ut habet Latina verſio, ſi iterum *ordinentur*. Et in ep. Synodica apud Theodoretum eadem S. Synodus jubet ordinatos a Meletio ſchiſmatico ad nullum Eccleſiæ miniſterium admitti, niſi prius fuerint *ſanctiore ordinatione confirmati*. Ex quo loco Dupin, Valeſius, Binghamus, aliique cenſent aperte oſtendi reordinationes ſchiſmaticorum. Unde Theodorus Oxyrinchi epiſcopus iterum ordinavit presbyteros & diaconos partis Meletii. III. Innocentius I. ep. 18. de Arianis ait: *Quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus, quoniam cum a fide deſciſcerent perfectionem ſpiritus amiſerunt*:

ſerunt : nec dare ejus plenitudinem poſſunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt; ergo &c.

IV. Cæcilianus apud Optatum l. 1. ait: *Si traditores ſunt, qui me ordinaverunt, ipſi veniant,* Donatiſtæ, *& ordinent me,* quod in Coll. diei 3. apud Auguſtinum Donatiſtæ objecerunt Catholicis. V. Baſilius ep. ad Amphil. ait: *Tam baptiſma, quam ordinationes hæreticorum nullam vim habere.* VI. Idem ſenſit Firmilianus, qui in ep. 75. inter Cyprianicas ait, Conc. Iconienſe ſtatuiſſe, hæreticos *nec baptizare poſſe, nec ordinare.* Firmiliano adhæſit Cyprianus, aliique rebaptizantes; ergo &c.

VII. Accedunt plura exempla Hiſtoriæ Eccl. Nam can. 4. Synodi Conſtantinopolitanæ irritæ habitæ ſunt ordinationes Maximi Cinici, qui eam ſedem dolo occupaverat ann. 767. VIII. Stephanus IV. ann. ſeq. reordinavit epiſcopos, & presbyteros a Conſtantino pſeudo-pontifice ordinatos. IX. Hincmarus an. 853. iteravit ordinationes Ebbonis. Et ann. 869. ordinationes Photii irritas declaravit VIII. Synodus. X. Idem præſtitit Innocentius, quoad ordinationes Bonoſi Epiſcopi Naxitani. XI. Urbanus II. ann. 1088. reordinavit Duibertum, a Nezelo Moguntinæ ſedis invaſore ſimoniaco ordinatum. XII. Idem ante Urbanum præſtiterat, quoad plures ſimoniacos, S. Leo IX. Et Stephanus VII. quoad ordinationes Formoſi; ergo &c.

R. neg. ant. Ad I. prob. neg. conſ. Nam cit. canon Apoſt. ſive a Firmiliano, ſive ab Iconienſi rebaptizantium Synodo depromptus ſit, nullius eſt roboris, niſi forte accipiatur de baptiſmate, & ordinationibus hæreticorum, qui legitimam formam non adhibebant; ſicut ergo adverſus hunc canonem recte recipimus hæreticorum baptiſma collatum cum *invocatione SS. Trinitatis,* ita ſuſcipi debent ordinationes hæreticorum legitima forma peractæ.

Ad II. De interpretatione canonis 8. Nic. dictum ſupra claſſe 3. Adde, *manuum impoſitionem* (dato

etiam a laud. canone 8. præſcribi) non fore ſacramenti repetitionem, ſed reconciliationis ritum, ut oſtendit cl. Auctor tom. 3. pag. 124. Idem dicendum de ep. Synodica, in qua manus impoſitio ſignificatur participio præteriti temporis βεβαιωθέντες *confirmati*, & nomine *confirmationis*, quo deſignatur approbatio præcedentis ordinationis a Meletio factæ.

Hinc Sozomenus l. 1. c. 24. de Nicæno illo decr. ait, latam contra Meletium ſententiam: *Ut in Lyco degeret, nec deinceps ordinationem ullam faceret. Hi vero, qui ab illo prius ordinati fuiſſent, miniſterium ſuum retinerent, reliquis tamen clericis inferiores eſſent; ita tamen ut in locum morientium ſuccederent, dummodo plebis ſuffragio judicarentur idonei, epiſcopo Alex. electionem eorum confirmante.* Ex quibus verbis Valeſius, qui χειροτονίαν accipi non poſſe, niſi pro ordinatione affirmaverat, coactus eſt dicere, in decreto Nicæno de Meletianis eam accipi *de ſimplici benedictione.* At Sozomenus omnem dirimit controverſiam dicens, a Nicænis Patribus ratas habitas ordinationes Meletii, ordinatos tamen a Meletio indiguiſſe, ut in locum morientium ſuccederent, ſuffragio plebis, & confirmatione Eccleſiæ; ergo χειροτονία ibidem, vel eſt præcedens ordinatio Meletii, vel populi electio, & epiſcopi confirmatio. Vide c. 1. libri hujus not. 2. Theodorus ergo Oxyrichi epiſc. non ſecutus eſt mentem Nicænæ Synodi, ſed Apollonii cujuſdam, ut narrat Marcellinus ſcriptor alioquin fidei ſuſpectæ.

Ad III. neg. conſ. Licet enim *ratum*, & *validum* promiſcue ſæpe uſurpentur, *ratum* tamen dicitur, quod comprobatur, & omnem ſortitur effectum; cum ergo ordinati ab Arianis, ex diſciplina illius temporis, non admitterentur ad miniſterium Eccleſiaſtici ordinis, & tantum donarentur laica communione, ideo Innocentius negat *ratam* eſſe ordinationem Arianorum. Id enim ab eo quæſierat Alexander epiſcopus Antiochenus, an ſcilicet ordinati

dinati ab Arianis essent in suo honoris gradu restituendi? Cui respondens Innocentius, allato Baptismi & Ordinis discrimine, recipiendos non esse cum ministerii dignitate, nec episcopum Arianum clericis suis contulisse jus ministerii, & Spiritus sancti plenitudinem, quam ipse *sua perfidia amisit*, satis ostendit, se de hoc jure, ministerio, ac plenitudine loqui, non de Ordinis charactere. Vide notas Binii, Lupi, & Bellarmini.

Ad IV. R. S. P. A. in Brev. Coll. 3. diei c. 16. Cæcilianum hæc dixisse *ad illos irridendos, quibus hæc mandasse perhibetur, quoniam certus erat, ordinatores suos non esse traditores.* Probe hanc irrisionem intellexit Porphyrius Donatista, qui statim respondit: *Exeat huc, quasi imponatur illi manus in episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentia.* Ad V. & VI. neg. cons. Basilius enim, uti Firmilianus, & Cyprianus, in errore rebaptizantium versati sunt docentes, hæreticos *nec ordinandi habere potestatem, ut qui non possint Spiritus S. gratiam aliis præbere, a qua ipsi exciderunt.* Sed hæc ratio, quæ gratiam a charactere non secernit, & Sacramenti efficaciam a conditione ministri, sicut nunc a nullo Theologorum admittitur; ubi agitur de baptismo, nec debet admitti, ubi agitur de ordinis Sacramento.

Ad VII. R. I. productis exemplis probari tantum, sacras ordinationes fuisse aliquando repetitas, nondum hac controversia finita, hoc tamen non officit præsenti causæ: sicut nec officit validitati baptismi, quod aliqui viri sanctissimi rebaptizaverint.

R. II. Quoad can. CP. neg. ant. Licet enim in eo statuatur: *Nec Maximum episcopum esse, vel fuisse, nec eos, qui ab ipso sunt ordinati;* id tamen de ministerio, & gradus honore accipiendum est, non de charactere Sacrament. Constat enim, Maximum fuisse rite ordinatum a S. Petro Alex. cum tribus aliis episcopis. Unde apud Harduinum T. 1. Conc. p. 819. legitur: *Nec ille, qui ordines ab eo accepit, in quemlibet sacerdotii gradum admittatur.* Ad VIII.

R. I. Baronius ad an. 769. n. 6. & N. Alex. H. E. ſæc. 8. n. 6. ordinatos a Conſtantino *ſuſcepiſſe benedictionis conſecrationem*, ideſt ſacram ceremoniam, qua ordinati ad priſtinum honoris gradum reſtituuntur. R. II. Auxilius l. 2. de Ord. Form. c. 4. in ea manifeſte peccatum, *dum* rite ordinatos *eos nefario auſu iterum in eadem ordinatione conſecrandos eſſe ſtatuerunt.*

Ad IX. R. Acta Hincmari reſciſſa fuiſſe a Nicolao I. in epiſtola data ann. 866. in qua ſtatuit, ut clerici ab Ebbone ordinati *ſuis gradibus reſtituerentur.* De Photio dictum ſupra. Ad X. R. Bonoſiacos fuiſſe Paulianiſtarum diſcipulos, nec formam ſervaſſe baptiſmi, ideoque ad Eccleſiam redeuntes juxta can. 19. Nicæni II. 16. Arelat. II. &c. iterum baptizandi erant. Ad XI. R. Hanc Urbani II. epiſtolam de ordin. Daiberti ſpuriam a doctis viris cenſeri. Incertum eſt etiam Nezelonem invaſorem fuiſſe epiſcopum. Certum eſt demum Urbanum II. epiſt. 17. ad Lucium in ordin. Hæret. & Schiſm. veram Sacramenti formam agnoſcere.

Ad XII. R. Leonem *Simoniacorum ordinationes*, ut narrat S. Petrus Damiani, *caſſaſſe*, non quoad Sacramenti ſubſtantiam, ſed quoad ordinis dignitatem, & jus miniſterii: & quaſi repetitas eſſe ceremoniali traditione clericalium inſignium, quæ videtur tamquam nova ordinatio. Quod confirmatur, ex quo pluribus affirmantibus, non eſſe honore privandos, qui ordinationis ſuæ tempore ignorabant epiſcoporum ordinationem eſſe ſimoniacam, Leo temperata ſententia hos *in officio perſeverare mandavit*, & idem aliis ſcienter ſimoniace ordinatis indulſit, indicta quadraginta dierum pœnitentia. Cum Formoſo autem impie ſe geſſit Stephanus, de quo ſcripſit Auxilius, eum nec poeticam attendiſſe ſententiam: *Parce pias ſcelerare manus, jam parce ſepulto*, & in eo apparet non error in fide, ſed violenta tyrannis in facto.

CAPUT

CAPUT III.

De Ordinationibus præsulum Anglicanorum:

Not. I. Anglorum ordinationes validas esse asserunt, præter D. Masonum Norfolciæ Archidiaconum, Godwinum episc. Landaven. aliosque protestantes Anglos, etiam P. Courayer, qui pro Anglorum ordinationibus quasdam edidit dissertationes. Ex adverso P. Le-Quien, Harduinus, Tournelyus, Boucat, aliique, quibus subscribimus, eas irritas esse demonstrant.

Not. II. Non moveri quæstionem de ordinationibus peractis regnante Henrico VIII. Licet enim is a catholica religione deficiens ann. 1534. Summum Ecclesiæ Anglicanæ caput seipsum temere nominaverit, Missæ tamen sacrificium, & ordinis Sacramentum admisit, teste Sandero de Schism. Angl. l. 1. pag. 132. Verum postquam Henricus fatis cessit ann. 1546. cum in comitiis Londinensibus habitis ann. 1547. a Seimero sancitum sit, ut cum episcopi ad illud usque tempus ritu fere catholico presbyteri Anglicani, excepta Rom. Pontificis obedientia, ordinati fuissent, in posterum alia forma haberentur ordinationes: & ea de re ederetur ritualis liber, qui vulgo dicitur *Rituale Eduardi VI.* a Pseudo-Synodo Londinen. probatus. Porro episcopus consecrator prius ab electo exigit mandatum regium, ut apud nos producitur mandatum Apostolicæ Sedis; tum loco juramenti, quod post responsiones ad quæsita circa fidei articulos apud nos præstat electus, is apud Anglicanos interrogatur, an hæreticis dogmatibus, quæ traditiones, & Rom. Ecclesiæ doctrinam rejiciunt, assentiatur: juratque se hæretica illa dogmata ex corde credere, promittens in iis commissam sibi plebem instruere, addito juramento sacrilego, quo regem declarat in omnibus Ecclesiasticis, & spiritalibus rebus supremam habere auctoritatem.

Post hæc consecrator super electum cum impositione manuum hanc sacrilegam orationem effundit: *Deus, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat vires ad hæc efficaciter præstanda, ut opus istud suum, quod incœpit in te, absolvat per J. C. D. N. Amen.* Licet autem defuncto Eduardo ann. 1552. Maria Henrici, & Catharinæ filia Eduardi & Londinensium comitiorum statuta resciderit, & res sacras instaurare, & Angliæ regnum ad fidei communionem revocare studuerit; hæc tamen, cum quinquennio tantum regnasset nullis post se relictis liberis, regnum obtinuit Elisabetha illegitimo Henrici & Bolenæ matrimonio edita, quæ religionem catholicam, quam dissimularat, abjiciens, arripuit, ut Henricus & Eduardus, Anglicanæ Ecclesiæ primatum, præscripta formula execrabilis sacramenti, quam l. 3. pag. 369. recitat Sanderus. Tunc fidei formulas immutare statuit, Missam ritumque administrandi Sacramenta abolere, episcopos in exilium pellere, & novum clerum, juxta Eduardi Ritualia, instituere: quorum princeps, aliorumque consecrator fuit Matthæus Parkerus ritu illo hæretico archiepiscopus Cantuarien. De his ergo ordinationibus, non de illis sub Henrico & Maria habitis, quæritur, an validæ haberi debeant? Sit itaque

Propositio. Ordinationes Anglorum hodiernæ irritæ prorsus & nullæ sunt.

Prob. I. enim Anglia destituta est legitima episcoporum successione. Parkerus enim, aliique cum eo consecrati, Elisabetha regnante, in Londinensi hospitio, non a legitimis episcopis, sed a Guilelmo Barlow, a Jo. Scoræo, & Milone Coverdalo (quos ex Act. *Parlamenti* a Raymero collectis constat non fuisse episcopus, cum episcopatum iis tributum, alii occuparent antistites) umbratili ceremonia fuit consecratus. Verum cum hoc argumentum pendeat a factis, in quibus scriptores discrepant, licet ludicra Parkeri consecratio firmari possit testimonio Hardingi, Henrici Fitz-Simons, D. Campney, aliorumque

que Anglorum ſcriptorum, cum tamen affirment alii Parkerum conſecratum fuiſſe in cappella palatii Archiep. Lamethen. ann. 1559. ejuſque promotores legitimos fuiſſe epiſcopos; ut adverſariis os penitus obſtruatur, ordinationem illam irritam fuiſſe dicimus, etiam ex *forma* conſecrationis. Itaque

Prob. II. Forma enim illa, vel fuit, quæ præſcribitur in rituali Eduardi, ſi hæreticis credimus, vel ſi fides Henrico Fitz-Simons, aliiſque, hæc verba fuere: *Accipe poteſtatem ſincere verbum Dei prædicandi*, quæ Scoræus protulit ſuper caput Parkeri primum, deinde Grindalli ſacro codice impoſito. Formam Eduardi ad ordinationem ſufficere putat P. Courayer, eo quod oratio impoſitioni manus addita ſatis ſit ad ordinationes perficiendas. Nam oratio illa non eadem eſt in ſingulis mundi Eccleſiis: quævis enim natio ritus ad diſciplinam ſpectantes pro variis temporum circumſtantiis permutare poteſt. Subſtantialis quidem verborum mutatio tollere poteſt integritatem ſacramenti, non accidentalis: quæ omnia nos ultro admittimus, illo tantum excepto, quod per quemcumque paſtorem mutari poſſint ritus Eccleſiaſtici, & multo minus, quod in Anglia accidit, per regem impuberem, laicos, & fœminam. Verum ex his non infertur, validas eſſe Anglorum ordinationes. Nam Eduardi forma, ſi non expreſſe hæretica, ſaltem ambigua eſt, cum non exprimat, cur electo ſupernas vires ordinator apprecetur: imo ſi attendantur præmiſſæ ceremoniæ, juramentum de primatu regis Anglicani in Eccleſia, & profeſſio hæreticorum dogmatum, verba illa hunc ſenſum reddunt: „ Det tibi Deus, ut defendas „ primatum regis, ut conculces ſanctæ Sedis auctoritatem, ut propugnes Novatorum blaſphemias, „ ut commiſſam tibi plebem ſeducas „. Altera deterior eſt: nam & idem ac prima ſignificat & ulterius epiſcopos, & ſacerdotes ordinari ait tantum ad *miniſterium verbi*, ut placet hæreticis; hæc ergo forma non Chriſtum auctorem habet, ſed homines

perditiſſimos. Adde *formam* etiam legitimam, ſi verbis æquivocis conſtet, non eſſe *ſacramentalem*, ſi a circumſtantiis, ab intentione miniſtri, a præcedentibus, vel ſequentibus ceremoniis ab alium effectum determinetur. Itaut nec ipſa formula confirmationis, nempe: *Signaculum doni Spiritus S.* qua Græci utuntur in reconciliandis hæreticis, ſatis ſit ad Sacramentum conſtituendum: multo minus ſat erit forma dubia contra Eccleſiæ praxim inducta, & in officinis hæreticorum procuſa. Ex quibus conſtat, formam Ritualis Eduardi, utpote ambiguam, animoque conferendi ſolum verbi miniſterium, attentoque impio juramento electi, non ſufficere ad ſacram ordinationem; adeoque Anglorum conſecrationes irritas eſſe, & inanes. Quod erat demonſtrandum.

CAPUT IV.

De ſubjecto, ſeu de promovendis ad ſacros ordines.

De hoc argumento plura quæri ſolent in ſcholis, quæ omnia ſequentibus propoſitionibus expendemus.

Propositio I. Nequeunt mulieres ſuſcipere ordinis Sacramentum.

Prob. Nam præter communia argumenta, quibus oſtendimus, non omnes Chriſti fideles eſſe miniſtros Sacramentorum, ſed eos tantum, quos Chriſtus, Apoſtoli, & epiſcopi conſecrarunt, queis nec mulieres, nec B. V. M. accenſeri ait S. Epiphanius; qua de re Pepuziani fœminis ſacra myſteria committentes a PP. repreſſi ſunt; id peculiariter probatur I. Ex Apoſtolo 1. Corinth. 14. & 1. ad Tim. 2. ubi vetat mulieribus palam docere, licet hoc non ſit munus ſacrorum miniſtrorum præſtantius.

II. In epiſt. laud. 1. ad Corinth. 11. ait Ap. *Turpe eſt mulieri tonderi*, eique præcipit, ut ſemper incedat *velato capite*. III. In lege veteri Eccleſiaſticum munus

munus fœminis non eſt demandatum, in novo autem nec ultimæ cœnæ fœminæ adfuere, ubi Apoſtoli ſunt conſecrati. IV. ratio eſt D. Bonaventuræ, quod Chriſtus, cujus legatione ſacerdotes funguntur, vir fuit, non fœmina. His adde caput *Mulieres* diſt. 32.

Opp. I. Quod narrat Hiſtoria Eccl. de diaconiſſis: ſed R. eas nullo ordine fuiſſe inſignitas conſtare ex cap. 7. libri hujus. Addunt II. non repugnare mulieribus politicum regimen, unde præſunt monialibus abbatiſſæ. At reſpondetur aliam eſſe rationem regiminis a Deo, aliam ab homine inſtituti. Imo ex Philoſopho l. 1. Polit. fœminarum regimen corruptela reipublicæ appellatur. Abbatiſſæ autem munus eſt cura quædam domeſtica ſacrarum virginum, quam viris committi non decet. Ceterum ſacerdotium viris tantummodo etiam Ægyptii commiſere, ex Herodoto, imo & Romanis olim ſacerdotia *non fuiſſe promiſcua* ſcribit Livius l. 10. Hiſtoriarum.

PROPOSITIO II. Vir non baptizatus incapax eſt Sacramenti ordinis.

Prob. Baptiſma enim eſt *janua omnium Sacramentorum*; nequit ergo Eccleſiæ miniſteriis frui, qui nondum ejus corpori inſertus eſt. Vide Auctorem l. 32. c. 8. II. Eccleſia numquam ratos habuit ordines non baptizatis collatos. Quiſque enim damnat ordinationem Zanajæ, quem Petrus Fullo Patr. Eutychianus epiſcopum conſecravit. III. Nicænus can. 19. præcipit, ut clerici Paullianiſtæ baptizati abſque invocatione Trinitatis *rebaptizati ordinentur*. Et in 3. Decretal. tit. 44. extat antiquiſſimus canon: *Si quis presbyter deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*. Eadem habet Innoc. III. c. *Veniens*, eodem titulo.

Dices: Socrates l. 5. H. Eccl. c. 22. ait: *Alexandriæ lectores & pſaltes abſque ullo diſcrimine fiunt tam catechumeni, quam fideles*. R. Socratem non loqui de ordine lectoratus & pſaltis, ſed de legen-

di, & canendi munere, quod interdum etiam laicis committitur: non enim ibi eorum *chirotoniam* memorat.

Propositio III. Quævis ætas apta est ad recipiendum ordinis characterem.

Prob. Quamvis enim ad canonicam ordinationem exigat Ecclesia certam ætatem, tamen etiam infantes esse ordinationis capaces contra Durandum censent Theologi omnes, ipso fatente Tournelyo. Constat enim ex can. 1. Toletani II. olim parentes ab infantia pueros clericatus officio mancipasse: quod ex epistolis Siricii & Zosimi ostendit Morinus Exerc. 15. n. 5. idque ait sine clericali tonsura, & primi ordinis collatione factum non esse. Martenius producit etiam exemplum S. Felicis Nolani. Inter clericos in exilium pulsos in persecutione Vandalica, *quamplurimi erant lectores infantuli*, ex Victore Viten. l. 5. c. 9. Euthymius abbas triennis baptizatus, tonsus in clericum, & ordinatus est, ex Cyrillo Scythopolitano. De Eugenio I. habetur in Pontificali, fuisse clericum a *cunabulis*. Profert Baldinus marmoream capsulam, in qua cum ossibus Maximi pueruli inventus est annulus cum inscriptione: MAX. LEVIT. ex qua declaratur clericus, non diaconus, aut subdiaconus. Nam Levitæ nomen etiam minoribus clericis tribuerunt antiqui. Porro ex productis exemplis constat Euthymium, & Eugenium valide fuisse ordinatos, ex cap. *Tuæ nobis* de clerico per saltum promoto, ubi jubetur ad diaconatum promoveri, qui hoc ordine omisso ordinatus fuerat sacerdos, non tamen iteratis ordinibus inferioribus, quos infra annos discretionis susceperat; ergo hi ordines valide in primis pueritiæ annis fuerant collati.

Opp. Durandus: non potest parvulus fieri sacerdos, vel episcopus; ergo nec suscipere alios ordines. II. requiritur in suscipiente intentio, saltem interpretativa, sed hæc deest parvulis; ergo &c. III. Addit Tournely, quod nullum hujus rei

rei in traditione exemplum occurrit, cumque ordini adnexa ſit lex continentiæ, nemo ante rationis uſum ei debet adſtringi. R. ad I. cum Soto, Palud. &c. diſt. ant. Non poteſt, quoad munus & officia, conc. quoad poteſtatem & characterem, neg. Ad II. diſt. ant. Requiritur in adulto, conc. in parvulo, neg. Vide Auctorem cap. 18. l. 30. Ad III. neg. ant. quoad 1. partem, & quoad 2. vide R. ad 1.

Propositio IV. Non ſubſiſtit ordo collatus invito, & reluctanti.

Not. Cum in Eccl. Hiſtoria plura ſint exempla SS. virorum, qui ad ordines promoti dicuntur inviti, cenſuit Auxilius, & Morinus, queis ſubſcribunt De Coq. Vanroy, Noriſius etiam, Salinas, alique, olim in uſu fuiſſe ut inviti ad ordines promoverentur. Sed ii non appellaverunt invitos conſtantiſſime reluctantes, ſed humiles a populo apprehenſos oblatoſque Pontifici, cui tandem ſponte acquievere. Tales fuere Cyprianus ex Pontio in ejus Vita, Nazianzenus ex ejus Or. 20. Nepotianus ex Hieronymo, S. P. A. ex Poſſidio, Paulinus ex epiſtola inter Auguſtinianas 35. Difficiliora tamen ſunt exempla ſequentia.

I. Pauliniani fratris Hieronymi, de quo S. Epiphanius ep. inter Hieronym. 60. ait: *Per multos diaconos apprehendi juſſimus, & teneri os ejus, ne forte liberari ſe cupiens adjuraret nos per nomen Chriſti, & primum diaconum ordinavimus, & rurſus ingenti difficultate tento ore ejus ordinavimus presbyterum.* De Macedonio autem hæc habet Theodoretus in Hiſt. Relig. c. 13. *Per ſpeciem objectæ accuſationis adductum admotum altari cooptatum fuiſſe in numerum ſacerdotum, cumque peracta liturgia hoc illi quidam indicaſſet, ignorabat enim prorſus quid egiſſent, arrepto baculo Pontificem ipſum inſecutum.* De ſeipſo Baſſanus Epheſinus ait in epiſt. ad Valentinianum, & Marcianum Imp. *Ego non acquieſcebam, ſed ab hora tertia uſque ad ſextam coram altari me plagis affixit, & S. Evangelium*

lium & altare ſanguine eſt impletum. De S. Gregorio Thaumaturgo ſcribit Nyſſenus tom. 2. pag. 976. cum eum Phœdimus *manu capere non poſſet, & ad ſacerdotium adducere, interjecto ſpatio triduani itineris, loco impoſitionis manuum ſermonem adhibens ordinavit.* Idem S. Danieli Stylitæ factum eſt. Salamanem quoque prorſus inſcium, *nullaque expreſſa ab eo voce*, ordinatum narrat Theodoretus in Philoth. c. 19. Accedit ratio, baptizatus enim eſt Eccleſiæ ſubditus; ergo poteſt, ſi urgeat neceſſitas, ad Eccleſiaſticam dignitatem compelli, ut religioſus ad regimen monaſterii. His notatis

Prob. I. ex Innoc. III. c. *Majores*, ubi ait: *Ille, qui numquam conſentit, ſed penitus contradixit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti.* R. Vanroy: Innocentium de ſolo Sacramento baptiſmi locutum, ad quem nemo cogi poteſt, cum non ſit Eccleſiæ ſubditus, ut eſt, cum agitur de ordine. Sed fallitur vir clariſs. Ibi enim Innocentius eorum ſententiam refellit, qui ajebant, *quod baptiſmus, & ordo invitis & contradicentibus, quantum ad characterem, conferuntur*; ergo, &c. Adde, quod ſicut ante baptiſmum quiſque liber eſt ut eum ſuſcipiat, vel non, ita poſt baptiſmum liber eſt ut clericis numeretur, vel non; ſicut ergo ad baptiſmum nemo compelli poteſt, ita neque ad ordinem clericalem. Quod probat Lupus exemplo cujusdam, qui a Firmo armata manu in epiſcopum Thyanenſem conſecratus, indutus chlamyde clamans ſe per vim fuiſſe ordinatum, in theatrum ludos ſpectaturus nemine prohibente ingreſſus eſt, eo quod cuique perſuaſum foret irritam eſſe ejus ordinationem.

Nec obſtant, imo hanc ſententiam confirmant, oppoſita exempla: cum enim primis Eccleſiæ ſæculis exiguus eſſet numerus clericorum, & Eccleſiaſtici gradus plus oneris, quam commodi afferrent: *Multi*, ait S. P. A. *ut epiſcopatum ſuſcipiant tenentur inviti, perducuntur, includuntur, patiuntur*

tur

tur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni, ita Ambroſio, Paulino, Nepotiano, & Auguſtino factum eſt; ergo voluntate non accedente non ordinantur. Unde de Pauliniano ait S. Epiphanius loc. cit. *Valde obnitebatur indignum ſe eſſe conteſtans; vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis ſcripturarum &c.* Nec oris obſtructio coactionis indicium eſt, ſed libertatis. Quidam enim cum tenerentur a plebe jurabant, ſe inſervire nolle altaris miniſterio: unde ne perjuri fierent, nunquam ordinabantur. Hinc Epiphanius juſſit, *teneri os Pauliniani, ne forte liberari ſe cupiens adjuraret nos per nomen Chriſti*, & Pinianus per vim raptus a plebe ad Auguſt. ait: *Se velle populo jurare, quod ſi eſſet ordinatus invitus, ex Africa diſcederet.*

Macedonii hiſtoriam *haud laudandam* ſcribit ib. Theodoretus. Deinde Macedonius erat quidem inſcius rei, quæ agebatur, ſed ſponte altari ſe admoveri paſſus eſt, & dum ſacra ceremonia ageretur, tacuit: *Plus eſt tamen*, ait Innocentius ib. *expreſſe contradicere, quam minime conſentire.* Salamanes autem adeo ſe Dei voluntati commiſerat, ut lubens ſineret in ſe agi quidquid aliis placeret, *nulla umquam ab eo expreſſa voce.* Exempla Thaumaturgi, & Stylitæ mira ſunt, nec in his controverſiis proferenda: probarent enim poſſe ordinari abſentem, & absque manuum impoſitione. Hi ergo vel divinitus ſunt ordinari, vel poſtea ſuppleti ſunt ritus ordinationis. Idem enim, de Greg. thaumaturgo affirmat ipſe Nyſſenus dicens: *Poſt hæc iis, quæ legitime fieri ſolent, ſuper illum peractis &c.* Ad ult. R. Poteſtatem Eccleſiaſticam inhærere animo, qui cogi nequit, regimen autem religionis vel reipublicæ in exteriori miniſterio ſitum eſt, hoc autem coactioni ſubjici manifeſtum eſt.

CAPUT

CAPUT V.

De conditionibus, quæ in ſubjecto, ſive in ordinandis prærequiruntur.

Conditiones præcipuæ ordinandorum ſunt vocatio, ætas, conditio, ſcientia, probitas, titulus & præparatio.

§. I. De Vocatione. Neminem absque Dei vocatione Eccleſiæ miniſterio accenſendum ex Hebr. 5. ſatis liquet: monet enim Apoſtolus, ne quis ſibi hunc honorem aſſumat, niſi, *qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, propoſito exemplo Chriſti, *qui non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret.* Deinde Eccleſiaſticus adſtare debet altaribus, plebem erudire, cœlibem vitam agere, Sacramenta conficere &c. quæ abſque ſpeciali Dei ope digne exerceri non poſſunt. II. Hujus autem vocationis indicia ſunt, primo ſæcularium curarum abjectio, ſecundo ſtudium divini cultus, tertio recta intentio &c. Ac de prima ait Ap. 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus.* De ſecunda ait Trid. ſeſſ. 23. *Prima tonſura non initientur, de quibus probabilis conjectura non ſit, eos hoc vitæ genus elegiſſe, ut Deo fidelem cultum præſtent.* De tertia S. P. ait l. 2. de Verb. D. *Si evangelizamus ut manducemus, vilius habemus Evangelium quam cibum.* III. in ea vocatione perſeverandum eſt. Vetant enim ſacri canones, ne ſemel inter clericos deputati, *ad militarem expeditionem, vel munus ſæculare* pertranſeant.

§. II. De Ordinandorum ætate. Cur aliqui infantes tonſura fuerint initiati id factum eſt, vel pietate parentum, ut prop. 3. cap. præced. dictum eſt, vel ut *imberbes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoveantur ad Eccleſiaſticas dignitates*, ut ait D. Bernardus ep, 42. Huic morbo occurrit Trident. Synodus præcipiens ſeſſ. 23. c. 6. ne prima tonſura initiatus *ante* 14. *annum* beneficium obtinere poſſit, ad curam vero animarum non pro-

promoveatur ante ann. 25. Quoad minores ordines requiritur ætas, quæ episcopo videtur idonea commissis officiis accurate adimplendis. Subdiaconi ante 22. diaconi ante 23. presbyteri ante 25. ætatis annum inchoatum ordinari nequeunt, ex Trid. sess. 23. c. 12. Veteres tamen non ordinabant diaconum ante ann. 25. eo quod *in lege veteri*, ait Romanus Pontifex Zacharias ep. 13. *ab annis 25. Levitæ in tabernaculo servire mandantur* Ad presbyteratum olim ex can. 11. Neocæsarien. ex 17. Agathen. &c. opus erat ætate ann. 30 qualis modo necessaria est in consecrandis episcopis: licet eos annorum 50. desiderare videatur auctor Const. Apost. Constat tamen Thaumaturgum, Acholium, imo Timotheum juniores fuisse ordinatos.

§. III. De Ordinandorum conditione. Cautum est olium, ex 1. ad Tim. 3. ne ad supremos Ecclesiæ gradus Neophyti promoverentur. Vide can. 2. Nicæn. II. Nec ordinandi sunt, qui se ipsos mutilant, ut de Origene narrat Eusebius l. 6. Hist. Eccl. c. 8. Ordinatos tamen legimus eunuchos ab utero matrum, aut in persecutione Deciana mutilatos. Hi enim neque *opificii Dei hostes*, nec *falsæ pietatis* ostentatores dici poterant, qua de re ad clericalem ordinem eos assumi vetat can. 7. Arelaten. II. Idem dicendum de insigni macula notatis, quos ab altari etiam lex vetus arcebat, ex Levitici c. 16. Non ordinandos, qui militiam sectantur, constat ex ep. 23. Innoc. I. item servos, & libertos absque dominorum assensu, ex can. 10. Tolet I. & 80. Illib. Curiales etiam, decuriones, & in forensibus curis versatos a sacerdotio removet cit. epist. Innoc. Digamos etiam, *propter sanctitatem Sacramenti*, ut ait S. P. A. de Bon. conj. ordinari non decet, neque illegitimum ob clericalis ordinis dignitatem.

§. IV. De scientia Ordinandorum. Cur in promovendis ad minores ordines Trid. Synodus sess. 23. de Reform. c. 2. requirat, ut saltem Latinam

 linguam

linguam intelligant; in promovendis autem ad majores neceſſum ſit explorare, num ad docendum populum, & Sacramenta miniſtranda idonei ſint, exquiſite demonſtrat Notificatio Benedicti XIV. edita ann. 1735.

Doctrinam autem neceſſariam eſſe ſacerdotibus conſtat ex Malach. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam*, Item ex Ap. 1. ad Timoth. 4. *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Accedunt rationes Chryſoſtomi. I. Quod ſacerdos variis animorum affectionibus curandis idoneus eſſe debet, quod nonniſi Evangelicæ doctrinæ uſu conſequi poteſt. II. Quod infidelium, & hæreticorum impetus reprimere debet. III. Quod concionibus & diſputationibus ad populum vacare debet. Inter clericorum ſtudia, ut docet S. P. epiſt. 3. nunc 137. ad Voluſ. præcipuum eſſe debet lectio, & meditatio ſacrarum ſcripturarum, ac SS. PP. Hinc Hieronymus laudat Nepotianum, quod data quavis occaſione recitans veterum teſtimonia ajebat: *Illud Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii eſt*, & can. 16. Carth. IV. ait: *Epiſcopo nefas eſſe ignorare canones, & librum Gregorii Papæ de cura paſtorali.*

§. V. De probitate clericorum. Hæc neceſſaria omnino eſt, debent enim clerici laicis prælucere. Hinc vetat canon Illiber. 24. ordinationes peregrinorum: *Quod eorum minime ſit cognita vita.* Cujus rei rationem reddit Siricius, quoniam *nullam debent gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.* Vetant proinde canones ordinari apoſtatas, homicidas, adulteros, fœneratores & uſurarios. Scite ergo S. Leo ad illud Apoſt. 1. ad Timoth. 5. *Manus cito nemini impoſueris*, exigit, ne id fiat *ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ.*

§. VI. De Ordinationis titulo. Titulus, quo in primis Eccleſiæ ſæculis clerici ordinabantur, fuit addi-

addictio uni tantum Ecclesiæ, atque sacro ministerio in illa exercendo: cujus gratia portio eis ab episcopo debebatur Ecclesiasticorum redituum, oblationumque fidelium: unde beneficiorum collationes promanarunt. Hinc ex 6. can. Chalcedonen. nusquam ministrare poterant, *ad episcopi ordinantis injuriam*, qui *absolute* & absque titulo ordinarentur: & viri sanctissimi Hieronymus, & Paulinus notati sunt, quod sine titulo consecrati essent presbyteri. Extat etiam apud Gratianum hoc caput dist. 70. *Decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur.* Porro ex tituli præscriptione factum est, ut clerici de una ad alteram Ecclesiam absque episcopi licentia transire non possent, secus *communionem tantum laicam perciperent*, ex can. 3. Antioch. ex 21. Arelat. &c. Et ex can. 70. Agathen. communione privantur presbyteri, & diaconi sine episcopi sui literis divagantes. II. Ob exiguum tamen beneficiorum numerum factum est, ut titulus in majoribus tantum ordinibus necessarius judicaretur, & ejus loco substitueretur patrimonium, quod a Sæculo XII. ex Thomassino receptum est. Nam in Lateranen. Synodo, sub Alex. III. statuitur episcopum, si aliquem sine titulo ordinaverit, debere ei necessaria ministrare: *Nisi ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium possit habere.* Cum autem patrimonium loco beneficii constituatur, optime statuit Sacra Congreg. Concilii anno 1589. non posse titulo patrimonii industriam, & lucrum ordinandorum computari: nec sat esse, si ludimagistri sint, pictores, doctores &c. Deinde, cum beneficium impendatur pro ministerio Ecclesiæ, sequitur neminem solius patrimonii titulo ordinandum, nisi *pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum*, ex Trid. sess. 21. c. 2. III. Religiosi, cum divino cultui, & Ecclesiasticæ vitæ mancipentur, & de monasteriorum reditibus, & fidelium eleemosynis sustententur, parum a priorum sæculorum clericis videntur absimiles; possunt ergo religiosæ pauperta-

tis titulo, ut definit laud. canon Chalcedonen. ordinari: triplex ergo erit ſacrarum ordinationum titulus, nempe beneficium, patrimonium, & profeſſio monaſtica (1).

§. VII.

(1) De ſacris ordinationibus complura, eaque utiliſſima, ſancivit Eminentiſs. Card. Gallus in ſæpe laud. Conſtitutionibus Synodalibus Auxim. ann. 1593. ubi poſtquam c. 1. animadvertit manuum impoſitionem ſolis epiſcopis commiſſam, eſſe tamquam oſtium, per quod intrant, qui Eccleſiarum gubernaculis ſunt præficiendi, tantamque eſſe Sacramenti ordinis dignitatem, ut quodammodo ex hominibus Deos faciat, omniaque Sacramenta ab hoc uno ita pendeant, ut ſine ipſo partim confici, & adminiſtrari nequeant, partim ſolemnibus ceremoniis careant; cap. 2. monet ordinandos, ne in ſuſcipiendis ordinibus partem aliquam habeat ambitio, aut avaritia; ſed ut ſolum Dei gloriam, & ſalutem animarum in omnibus quærant, & Eccleſiæ miniſterio addicti in juſtitia, & ſanctitate deſerviant. Cap. 3. præcipitur, ut parochi pueros quamplurimos, præſertim valde pauperes, ſed bona indole præditos, vitæ Eccleſiaſticæ præceptis erudiant, & ad primam tonſuram promoveri curent: ut in Seminarium cooptati ſtudiis gravioribus vacare queant. C. 4. & 5. jubentur fieri proclamationes publicæ ordinandorum, & vetantur litteræ dimiſſoriæ pro ordinibus ſuſcipiendis extra diœceſim, niſi ex gravi neceſſitate, & prævio examine. Cap. 16. Præſcribitur ordinandorum examen, & mandatur examinatoribus Synodalibus, ut in hoc pergravi negotio ſint oculatiſſimi, nec humanis affectibus obſequantur: ſed Deo imprimis, conſcientiæ, Eccleſiæ, & animarum ſaluti conſulant.

Cap. 7. interdicitur familiaribus epiſcopi, ne quid ab ordinandis accipiant, etiam pro ordinis inſtru

§. VII. De præparatione ad ordines. Debent ordinandi ex Mediolanen. Conc. ann. 1576. ex Alex. VII. Innoc. XI. & Clem. XI. emittere ſpiritalia exercitia. Hinc S. P. A. a Valerio Hipponen. epiſcopo extemplo, & nulla prævia præparatione ordinatus presbyter enixe rogavit, ut priuſquam ordinem exerceret, ſineret ut certo dierum ſpatio ſe diſponeret, *petendo, quærendo, pulſando, plangendo &c.*

---

inſtrumento. Neve cancellarius curiæ epiſcopalis plus audeat accipere, quam in Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 1. præfinitum eſt, & in tabella mercedum continetur. Cap. 8. Jubentur ordinationes fieri in Cathedrali Eccleſia præſentibus canonicis, & univerſo clero: vel in digniori Eccleſia, ſi fiant in diœceſi. Cap. 9. & 10. præcipitur ordinandis, ut exhibeant teſtimoniales literas parochi, & ludimagiſtri, tum de fide & moribus, cum de exercitio literarum. Cap. 11. & 12. jubentur ad majores ordines promovendi ſecum ferre teſtimonium rectoris Eccleſiæ, ubi fuit adſcriptus, de prioris ordinis exercitio, de legitima ætate, hoc eſt 22. annorum incœptorum quoad ſubdiaconum, 23. quoad diaconum, & 25. quoad presbyterum: tandem de Eccleſiaſtico beneficio, vel patrimonio ſufficienti &c.

C. 13. ſtatuitur, ut in ordinandis regularibus, præter literas teſtimoniales ſuorum ſuperiorum, & fidem ordinis proxime ſuſcepti, & loco tituli profeſſionis regularis emiſſæ, necnon legitimæ ætatis, diligens quoque eorum habeatur examen de doctrina, de functionibus ad ordinem ſpectantibus, de uſu & ratione recitandi officium, miſſamque celebrandi &c. Cap. 14. mandatur legi Bullas Pii II. & Sixti V. contra illegitime, aut male promotos. Cap. 15. indicitur proceſſio, & gratiarum actio abſoluta Synodo. Tandem cap. 16. catalogus texitur eorum qui ex diſpoſitione ſacrorum canonum ad ordines promoveri non poſſunt.

CAPUT VI.

De quibusdam sacrarum ordinationum ritibus nondum expositis.

Cum de duplici Sacramenti ordinis effectu, gratia nempe, & charactere in præcedentibus dissertationibus non uno loco fuerit pertractatum, sat erit hoc loco proferre canonem 4. sess. 23. Trid. Synodi, qui sic habet: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum S. aut per eam non imprimi characterem, anathema sit.* Superest modo, ut peculiares quosdam hujusce Sacramenti ritus percurramus.

§. I. De tempore sacrarum ordinationum. Gelasius Papa epist. ad Lucaniæ episcopos ait, ordinationes presbyterorum, & diaconorum fieri debere in jejunio quatuor Temporum, *Medianæ* Quadragesimæ hebdomadæ, & sabbati præcedentis Dominicam Resurrectionis: quod postea Gregorius II. Urbanus II. Leo IX. Innoc. III. aliique Rom. Pontifices, & Concilia tradidere. De his agunt Lupus, Martene, Juenin &c. Censet Sandinus, Gelasium sacris ordinibus conferendis præstituisse solemnium quatuor jejuniorum tempora. At Quesnellus sacros ordines quovis die Dominico collatos fuisse opinatur, Binghamus autem quolibet hebdomadis die. Sed plane falluntur: constat enim ex libro Pontificali, Romanos PP. ad Simplicium usque ordinationes habuisse mense Decembri, ob proximam Nativitatis Domin. solemnitatem, ut ait Amalarius. Ex quo autem Romani PP. in decimi mensis jejunio sacros ordines contulerint, non sequitur, non potuisse illos conferre in aliis quatuor temporum sabbatis, ut notat Bencinus.

Ivo etiam Carnoten. ut ipse ait epist. 58. renuit in festo Purific. ordinare presbyterum, quod hoc vetarent *paterni canones, & Apostolica constitutio.* Et S. Leo epist. 4. ad Anast. Thess. ait, repugnare PP. traditioni: *Presbyteros, & diaconos qualibet die dignitatem accipere.* Hæc de sacris ordinibus, nam tonsura

tonſura juxta Pontificale Rom. *quocumque die, hora, & loco*, & minores ordines *ſingulis Dominicis, & feſtis diebus* conferri poſſunt.

§. II. De ordinationis loco. In Eccleſia tantum, atque inter miſſarum ſolemnia fiunt ordinationes ſacræ. Apud Græcos presbyteri, & diaconi in ſanctuario, hypodiaconi & lectores in *diaconi*, aut ante *portam*, quam vocant *ſpecioſam*, ordinantur. Hujus publicæ ordinationis cauſa, præter rituum ſolemnitatem; eſt quod ad ordinem promovendi probari debeant cleri plebiſque teſtimonio. Hinc Eccleſiaſtica Hiſt. reprobat ordinationem Novati, clero & plebe reluctantibus factam ex Euſebio l. 6. c. 35. Ordinatio diaconi extra templum facta objecta fuit etiam Jo. XII. Et Parkeri ordinatio ob loci turpitudinem a nullo non improbatur. Recte ergo ſtatuit Trid. ſeſſ. 23. *Ordinationes ſacrorum ordinum in Cathedrali Eccleſia præſentibus Canonicis publice celebrari.* Romanos epiſcopos conſecrari ex antiqua conſuetudine ad aram S. Petri conſtat ex Ordine Rom. quod fieri puto ad oſtendendam perpetuam Romanorum PP. a B. Petro ſucceſſionem, & fidei unitatem. Hinc obiter nota, cur *de corpore S. Petri* ſumatur Pallium, quo Archiepiſcopi ornantur ex Pontificali Rom. p. 3.

§. III. De ordinum interſtitiis. Cum in minoribus ordinibus multi inſigniti eſſent adhuc adoleſcentuli, nec ſacerdotio initiarentur ante ann. 25. 30. aut 35. conſtat diuturniorem quam ſit modo fuiſſe in clericis inferiorum ordinum exercitium. Hinc can. 10. Sardicen. definitur exigi a cujuſque ordinis gradu *non minimi temporis longitudinem, per quod fides, & morum probitas, & conſtantia poſſit digno-ſci.* In epiſt. Siricii ad Himerium epiſc. c. 9. definitur: *Ut quicumque ſe Eccleſiæ vovit obſequiis*, ante pubertatis annos lectorum miniſterio ſocietur, & ab acceſſu adoleſcentiæ acolythus, & ſubdiaconus ſit *uſque ad 30. ætatis annum*: in officium autem diaconi quinque *annis* ſe exerceat, priuſquam pres-

byteratum consequatur. Eadem habet Innocentius I. & Zosimus. Hinc Trid. Syn. sess. 23. c. 11. statuit, ut minores ordines tradantur *per temporum interstitia*, nisi aliud episcopo expedire videatur. Nec aliquis ad sacros ordines promoveatur, nisi post annum a susceptione acolytatus, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas aliud exposcat. Omnino autem vetuit, ne eodem die duo sacri ordines etiam regularibus conferantur, sublata facultate episcopi, & solo Romano Pontifice excepto.

§. IV. De gradualitate ordinum. Licet S. Thomas qu. 35. suppl. art. 5. scribat, in primitiva Ecclesia, aliquos ordinatos fuisse in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant; constat tamen ex Siricii, Innocentii I. & Leonis M. epistolis decretal. clericis gradatim ascendendum fuisse ad ordinem presbyterii. De Græcorum autem ritu, qui clericos ordinabant per saltum, plura diximus c. 2. libri hujus. Hunc autem ritum non esse sequendum confirmatur ex cap. *Illud nos* dist. 77. Canones etiam mandant, ut ordinati in presbyteros, aliquo inferiori ordine omisso, nequeant officium suum exercere, nisi prius illo suscepto, ex cap. *Sollicitudo* dist. 52. Item ex Const. *Etsi pastoralis* Ben. XIV.

§. V. De vestibus ordinandorum. Postquam clerici ab episcopo attonsi sunt *superpelliceo* induuntur, ad ostendendum quomodo absque labe vitam ducere teneantur, ut ait S. Carolus. Hinc clerici a PP. ob vestium nitorem *candidati* passim sunt appellati. Olim enim superpellicea ad instar albæ talaria erant, & laxa: ut ostendit Bona l. 1. Rer. liturg. c. 24. Hujus generis vestem, quam ob angustiores manicas *Rochetum* dicimus, fuisse putat Baronius (cui subscribunt Dominicus Georgius, & Joseph Catalani) *lacernam birri*, quam exuit S. Cyprianus Martyrium subiturus. Sed *birri* vocabulum ambiguum censent Ruinartius, Balutius, Binghamus &c. Clericos certe *birro* usos constat ex serm. 356. S. Augustini

guſtini, ſed quale indumentum ſit inde non infertur. Græci etiam ſupra nigram veſtem καμίσιον *camiſium* imponunt, lineam nempe veſtem albæ ſimilem.

Subdiaconi, præter albam cum cingulo, lineumque capitis velamen, accipiunt in ordinatione parvam tunicam, & manipulum in ſiniſtra, loco mappulæ, quam ad uſum epiſcopi ante ſæc. X. ferebant. Hinc *tunicellam* ſubdiaconis ſerius, hoc eſt tempore S. Gregor. M. conceſſam fuiſſe, eoſque ſola alba miniſtraſſe oſtendit Bona ib. c. 24. Apud Græcos etiam ſubdiaconi *tunicam* deferunt, non tamen, ut Latini, utrimque diſciſſam, quam στιχάριον *ſticharium* vocant. Diaconis hujus loco imponitur cum orario dalmatica. Sed ante Silveſtrum utebantur *veſte cucullata ſine manicis*, teſte Honorio Auguſtodunen. l. 1. c. 211. De veſtibus presbyterorum actum eſt l. 33. c. ult. Epiſcopi, præter alia presbyterorum indumenta, ſumunt tunicam, & dalmaticam ex priſca conſuetudine, & alia inſignia, de quibus fuſe Bona, Georgius, & Catalanius.

Dum electi conſecratio peragitur, ei dantur *paſtoralis baculus*, *mitra*, *& chirothecæ*. Baculus paſtoralis, ait Hugo Vict. in ſpeculo Eccl. c. 6. *rectitudine ſui rectum regimen ſignificat. Quod autem una pars curva eſt, altera acuta, monſtrat præeſſe ſubjectis, & debellare ſuperbos*, unde dictum eſt: *Curva trahit, quos recta regit, pars ultima pungit. Anulus* Eccleſiæ ſponſum, *chirothecæ* manuum cuſtodiam, *mitra* bifida jus ſpiritale & temporale ſignificat. Vide Honorium, Amalarium, Hugonem, Bonam, & Mabillonium præf. 2. in ſæc. 4. n. 182.

§. VI. De presbyterorum & epiſcoporum unctione. Apud Latinos presbyteris utraque manus oleo catechumenorum linitur, electis vero chriſmate liniuntur manus & caput. Hanc unctionem antiquiſſimam eſſe conſtat ex epiſt. 3. S. Paciani ad Symphoronianum, ex ſerm. 8. S. Leonis M. de Paſſ.

Dom. ex Gregorio M. Nicolao I. & Innocentio III. Quidam, ut Hallierius, & Jo. Catumſyritus Italo-Græcus, apud Græcos etiam, antiſtites *chriſmate deliniri* putant ex Nazianzeni Or. 5. aliiſque. Arcudius tamen, Morinus, Habert contendunt, id accipiendum de chriſmate myſtice intellecto. Certum eſt autem Græcos Orientales modo ritum unctionis non agnoſcere, ut conſtat ex eorum Euchologiis, & ex Simone Theſſalon. ſcribente: *Recte non unguntur qui ordinantur, propterea quod nihil materiale agant, ſed omnia ſpiritualia;* licet hæc ratio ſit infirmiſſima, cum in omnibus Sacramentis *res materialis ſit poteſtatis ſpiritalis myſticum ſymbolum*: quod in hac unctione adeſſe oſtendit noſter Scacchius Myroth. 3. Non ſpectat tamen hæc unctio *ad ſubſtantiam Sacramenti* ex D. Thoma, Bonaventura, Scoto, Richardo &c. Alias irritæ forent Græcorum ordinationes, quas Romani PP. ratas ſe habere ſatis oſtendunt, cum mandant, ut *epiſcopi Græci in ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologiis deſcriptum ſervent*, ex Benedicti XIV. Conſt. *Etſi Paſtoralis.* Vide Auctorem.

APPENDIX.

De varia Orientalis Eccleſiæ diſciplina circa ſacras ordinationes.

Quamvis Orientales propemodum univerſi, ut Cophti, Syri Neſtoriani, Maronitæ &c. tonſuram lectoratui præmittant, ut Græci ſolent, certum eſt tamen Syros Jacobitas Cantoratui, quem non ſecus ac Maronitæ veluti gradum habent ad lectoratum, tonſuram nullo modo præmittere; licet in compendio ordinationum a Morino edito p. 479. ad diaconatum ordinandi in modum crucis tonderi ab epiſcopo jubeantur. Cophti vero, ut conſtat ex eorum Pontificali a Morino edito

to, ſequentes ordinationes agnoſcunt. I. *Anagnoſtæ*, ſeu Lectoris. II. Subdiaconi. III. Diaconi. IV. Presbyteri. V. *Hegumeni*, ſeu Archipresbyteri, qui ex Kirkero eſt *prælatus, qui curam habet ſubditorum, dictus Abigumenos animarum.* VI. Archidiaconi. At in Pontificali nuper tranſmiſſo ad SacramCongreg. de Propag. Fide extant etiam ordinationes *epiſcopi Metropolitani*, quo ritu etiam Patriarcham Alex. conſecrari poſſe, ac ſolere adnotatur. Vide Aſſem. tom. 3. par. 2. pag. 789.

Syri Neſtoriani ſequentes ordinationes exercent. I. Lectoris. II. Hypodiaconi. III. Diaconi. IV. Archidiaconi. V. Presbyteri. VI. Chorepiſcopi, & *Periodeutæ*, ſeu viſitatoris. VII. Epiſcopi. VIII. Metropolitani. IX. Patriarchæ. Verum epiſcopi ac metropolitani, paucis exceptis, una eademque ordinatio eſt. Adde, Timotheum II. Patriarcham Cantorem, & Exorciſtam loco *Periodeutæ*, & *Chorepiſcopi* poſuiſſe. Maronitæ undecim adhibent ordinationes, quarum I. eſt Cantoris, ſeu pſaltæ. II. Lectoris. III. Subdiaconi. IV. Diaconi. V. Archidiaconi. VI. Presbyteri. VII. *Periodeutæ.* VIII. Archipresbyteri, quem *Churi* vocant. IX. Chorepiſcopi. X. Epiſcopi, & Metropolitani. XI. Patriarchæ. Syri Jacobitæ uno eodemque ritu ordinant Epiſcopum, Metropolitam, & Patriarcham, ſicut eodem ritu conſecrant Chorepiſcopum, Periodeutam, Hegumenum, Abbatiſſam, & Diaconiſſam. Alias autem ordinationes Cantoris, Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, Archidiaconi, & Presbyteri communes habent cum Syris Maronitis. Vide Aſſem. loco ſupra cit.

Optime obſervat Renaudotius to. 2. Liturg. Orient. in diſſ. de Patriarchis Alex. pag. 412. Neſtorianos, & Syros Jacobitas gravi ſe ſe reordinationis crimine obſtringere, eo quod Patriarchas, vel Metropolitas jam epiſcopos uſitata epiſcoporum conſecratione promoveant. Maronitæ

ex

ex adverſo, quibus Cophti cohærent, dum Patriarcham, ſive Epiſcopum aliquem conſecrant quovis ordine deſtitutum, puta ſimplicem monachum, omiſſis minoribus, a diaconatu ordinationem prima die auſpicantur, ſecunda die presbyterum, tertia archiepresbyterum ordinant. Tandem die Dominica Patriarcham epiſcopali manuum impoſitione conſecrare conſuevere. Quod ſane & praxi Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum conſtitutionibus adverſatur, ut alibi dictum eſt. Hinc Benedict. XIV. in ſua celeberrima Conſt. *Etſi Paſtoralis* §. 7. num. 6. animadvertit, quod licet in Euchologio Græco *nonnulli de minoribus ordinibus prætermiſſi videantur, eos tamen vel nunquam habuiſſe, vel eorum exercitium aliis ordinibus eſſe adnexum iidem Græci affirmant.* Et nu. 7. præcipit, ut *qui ritu Græco clericus & lector tantum fuit initiatus, & ex benignitate Sedis Apoſtolicæ obtinuit, ut majores ordines Latinis ceremoniis ſibi conferantur, is antequam ſubdiaconus ordinetur, tres minores ordines omiſſos debet ritu Latino ſupplere.*

Clerici inſtitutio apud Græcos terna crucis conſignatione, capillorum tonſione, & SS. Trinitatis invocatione perfici certum eſt, eaque tonſura continetur. Lectoratus materiam apud Græcos in manus impoſitione facta ab epiſcopo ſuper ordinando, dum cruce manu expreſſa obſignat, conſtitui poſſe, ex Balſamone, Theſſalonicen. aliiſque Goarius oſtendit. Forma vero ſunt verba epiſcopi. Græcis hac in parte conveniunt Syri Neſtoriani, Jacobitæ, Maronitæ, & Cophti, ut ex eorum libris demonſtrat cl. Aſſeman. tom. 12. par. 2. pag. 800. & ſequentibus.

In ordinatione Subdiaconi Græci, Cophti, & Syri eadem ferme utuntur precandi formula, in qua cenſent Theologi illius conſecrationis formam ſitam eſſe. Ibi enim manus imponitur, ſive capiti, ſive temporibus ordinandi, ac ſimul exoratur Deus: *Ut dignum*

gnum faciat illum gratia ſubdiaconatus, ut contrectet vaſa miniſterii Eccleſiæ, adſit januis templi, accendat lampades &c. Aſt in ritu Neſtorianorum, ut obſervat Aſſeman loc. cit. non ita expreſſa eſt ordinationis forma, nec manus imponitur ordinando, dum ea recitatur, ſed poſtquam abſoluta eſt, ſignat epiſcopus caput ordinati ſigno crucis, contra communem Orientalis Eccleſiæ morem in omnibus Euchologiis præſcriptum: in quibus manus impoſitio, ſive capiti, juxta Græcos, ſive temporibus, juxta Syros, Cophtoſque in ordinatione diaconi indicitur.

Diaconi materia apud Orientales univerſos manus impoſitione tota perficitur, forma vero apud Græcos eſt; Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν &c. *Domine Deus noſter &c.* Apud Cophtos: *Domine Deus omnipotens &c.* Apud Neſtorianos: *Deus noſter bone &c.* Apud Maronitas, & Jacobitas: *Deus qui Eccleſiam tuam ædificas &c.* Vide Morinum Exercit. 2. c. 3. & 4. Sicut ergo aliæ preces, adhibitæ in collatione hujus ordinis ad ejus formæ ſubſtantiam non ſpectant; ita nec ſpectant traditio flabelli apud Græcos, ut ſuo loco monuimus, nec thuribuli apud Syros Jacobitas, & libri Apoſtolorum apud Neſtorianos, quæ poſt manuum impoſitionem, ac formam prolatam adhiberi ſolent.

Presbyteratus materiam apud omnes Orientales eſt manuum impoſitio; forma vero apud Græcos: *Deus in virtute magnus &c.* Apud Neſtorianos: *Domine Deus fortis omnipotens &c.* Apud Cophtos: *Domine Deus omnipotens, qui cuncta creaſti &c.* Apud Syros Jacobitas, & Maronitas: *Deus magne, & admirabilis &c.* Aliæ vero orationes, quæve deinceps presbytero tradi ſolent, neque ad formam, neque ad materiam ſpectant presbyteratus, ſed ad ejus effectum, vel uſum.

Quod vero attinet ad obligationes, aut peculiares uſus clericorum Orien-

Orientalium, tria præcipue occurrunt obſervanda, nempe delatio veſtium ſacerdotalium, ætas conveniens, & continentia. Quoad primum, dubium non eſt, quod ubi lex, aut conſuetudo viget, veſtibus propriis uti debeant, non ſecus ac Latini, etiam clerici Orientales. Excuſari tamen poſſe a culpa videntur Syri illi Neſtoriani, qui ob motam in Eccleſiaſticos perſecutionem in Perſide, uſum omiſere diſtinctarum veſtium, cum hæc veſtium diſtinctio per plura ſæcula, ne apud Latinos quidem obtinuerit.

Quoad alterum vero, cum apud Cophtos, & Syros Neſtorianos plures infantili ætate ſacris ordinibus fuerint initiati, Benedictus XIV. conſtituit: „ Diaconos in ætate puerili ordinatos, licet ante 16. ætatis annum miniſtraverint in „ ordine ſuſcepto, & in „ ſtatu cœlibi; tamen „ non cenſeri ante nuptias ordinationem ratam habuiſſe, eo quod „ nihili faciendi ſint actus „ illi, quos in ætate puerili, & ante 16. annum „ exercuerint „. Quod explicat doctiſſimus Pontifex exemplo tacitæ profeſſionis ante 16. ætatis annum emiſſæ, quæ locum non habet „ etiam „ ſi ante prædictam ætatem actus illi expleantur: ex quibus tacita „ profeſſio inducitur, ſed „ omnes pro nihilo habentur ad tacitam profeſſionem inducendam; „ niſi expleti fuerint poſt „ annum 16. & poſtquam „ expreſſa profeſſio emiſſa non eſt. Ita conſtituto a nobis anno 16. „ quo præfectus miſſionum diaconos in puerili ætate ordinatos interrogare debet, velint „ ne, an ſecus, perſeverare in ordine ſuſcepto, ex ordinis exercitio ante annum 16. „ peracto nulla tacita ratihabitio argui debet, „ cum ad ſummum hujuſmodi actus tacitam „ ratihabitionem importare poſſint, ſi geſti „ fuerint poſt ann. 16. eo „ caſu, quo præfectus „ miſſionum anno decimo ſexto ipſos interrogare neglexerit „.

Quoad tertium vero hæc

hæc habet ſapientiſſimus Pontifex in laud. Conſt. pro Italo-Græcis §. 7. num. 16. & 17. „Etſi expetendum eſſet, ut Græci in ſacris ordinibus conſtituti caſtitatem, non ſecus ac Latini, ſervarent; nihilominus ut eorum clerici, ſubdiaconi, diaconi, & presbyteri uxores in eorum miniſterio retineant, dummodo ante ſacros ordines virgines, non viduas, neque corruptas duxerint, Romana non prohibet Eccleſia. Eos autem, qui viduam, vel corruptam duxerunt, vel ad ſecunda vota convolarunt, ad ſubdiaconatum, diaconatum, & presbyteratum promoveri prohibemus. Præterea, ſi quis ſubdiaconus, vel presbyter poſt ſacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel ſi non habeat, ducere præſumpſerit, nedum excommunicationis pœna punietur, verum etiam ſtatim ab ordine erit deponendus„.

An vero expediat, nec ne, Cophtos alioſque Orientales ab hac lege aliquando diſpenſare, re mature diſcuſſa, ſtatuit ſapientiſſ. Pontifex: *Recurrendum ad Apoſtolicam ſedem in caſibus particularibus, in quibus, ſi ob graves cauſas, diſpenſatio concedenda videbitur, nullum verbum fiat de renovatione conſenſus.* Ubi notandum eſt, quoad Orientales omnes, non poſſe hominem unius ritus ab alterius ritus epiſcopo licite ordinari, ſed ordinatum manere ſuſpenſum, ordinantem vero fieri irregularem. Atque idem dicendum, ſi ordinetur ſine dimiſſoriis proprii epiſcopi; & proinde requiri diſpenſationem Pontificiam, ut quis rite ab alieni ritus epiſcopo ordinetur. Ordinatos autem ab Hæreticis & Schiſmaticis cum debita materia & forma, valide quidem, ſed illicite eſſe ordinatos; adeoque ab ordinum exercitio manere ſuſpenſos, donec ab irregularitate ſint abſoluti. Tandem apoſtatas, & hæreticos ad Eccleſiam redeuntes non eſſe iterum ordinandos. Errant proinde Syri Neſto-

Neſtoriani, qui diaconos, & presbyteros apoſtatas iterum ordinant, juxta canonem 100. Synodi Joſue Barnan Patriarchæ habitæ anno 820. Quid vero dicendum de ordinationibus Archiepiſcopi Æthiopiæ, qui ordines conferre non ſolet, niſi dum octo, aut decem mille ſint ordinandi per Eccleſiam diſpoſiti, & ſingulis manus imponens celeriter diſcurrendo ait: *Accipe Spiritum S.* diaconis vero non manus, ſed crucem Patriarchalem ſuper caput imponit?

R. Cum Supremæ Inquiſitionis Conſultoribus die 10. Aprilis 1704. *Ordinationem presbyteri cum manus impoſitione, & formæ prolatione validam eſſe, ſed diaconi ordinationem cum ſimplici crucis Patriarchalis impoſitione omnino invalidam eſſe. Quo vero ad praxim admittendi presbyteros, vel diaconos ad exercitium ſuorum ordinum, poſtquam catholicam fidem ſuſceperint, ſequentia obſervanda ſunt. Si ſacerdos dicat ſe ordinatum cum manus impoſitione, & verborum prolatione . . . . poterit miſſionarius poſtquam illum ab irregularitate diſpenſaverit, & ab excommunicatione abſolverit, eum ad exercitium ordinum admittere.* Secus, ſi non meminerit, aut abſolute aſſerat utrumque omiſſum eſſe, formam nempe, & manuum impoſitionem. Tunc enim reordinandus erit abſolute, antequam ad exercitium ſuorum ordinum admittatur. Quia vero ſacerdos valide ordinatus, fuit invalide ad diaconatum promotus, idcirco debet cum illo, tamquam per ſaltum ordinato, ſuper irregularitate diſpenſari.

LIBER XXXVII.

De Sacramento Matrimonii.

De hoc Sacramento, quod magnam habet cum ſacra ordinatione ſimilitudinem, propterea quod utrumque miſterium ad utilitatem Chriſtianæ Rei-

Reipublicæ ſit inſtitutum, unica diſſertatione, ac pluribus capitibus eo, qui ſequitur, ordine pertractabimus.

CAPUT I.

An Matrimonium ſit naturali jure præſcriptum, in ſe bonum honeſtumque, & præceptum.

Not. I. Quatuor ſunt hujuſque Sacramenti vocabula I. *Matrimonium*, quod *a matris nomine dici ſpe & omine mox adipiſcendo* tradunt Juriſconſulti apud Briſſon. Et S. P. A. l. 19. contr. Fauſt. c. 26. ait: *Matrimonium ex hoc appellatum eſt, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat;* non dicitur autem *Patrimonium*, quia licet pater ſit ſexu præſtantior, matri tamen fœtus eſt *ante partum oneroſus, doloroſus in partu, poſt partum laborioſus* ex Greg. IX. II. *Nuptiæ* dictæ ſunt a flammeo, quo caput nubentis obvolvebatur, quod veteres *obnubere* vocabant, ut ait Feſtus. Hinc de Rebecca legitur Geneſ. 24. quod conſpecto Iſaac viro ſuo *tollens cito pallium operuit ſe.*

III. Connubium etiam a nubere derivatur, & definitur in Pandectis Florent. *Uxoris ſuæ ducendæ facultas.* Idem fere ſignificat conjugium, quaſi duorum ad idem jugum alligatio. A Græcis dicitur γάμος a δάμω, ex Arcud. *quod conjuges domet.* Ex his infertur, nil aliud Matrimonii nomine intelligi, niſi mulieris ac viri perpetuum ac ſacrum vinculum, quod Jureconſulti *divini & humani juris communicationem* dixere, & Magiſter, *viri mulieriſque conjunctionem maritalem.* Et definitur: *Maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Eſt autem Matrimonium ſic acceptum officium naturæ, & fidelibus, ac infidelibus connubia ineuntibus commune. At Chriſtus Dominus huic naturæ officio ſuam gratiam alligando, ut conjuges ſanctificaret, ad Sacramenti dignitatem evexit, & ſic definitur: *Matrimonium eſt Sacramentum novæ*

legis, in quo vir mulier per conjunctionem maritalem, individuam vitæ consuetudinem legitime ineunt.

Not. II. Matrimonium esse novæ legis Sacramentum negarunt Lutherus, Calvinus, aliique Novatores. Longius tamen insaniendo progressi sunt Simon Magus, Saturninus, Tatianus, Marcionitæ, Manichæi, & Priscillianistæ, qui illud *opus diaboli, scortationem, & impudicitiæ negotium* appellarunt. Contra quos sit

Propositio I. Matrimonium naturali, & divinæ legi est consentaneum, & honestum.

Prob. I. pars. Matrimonium enim spectat ad naturæ conservationem, perfectionem, & propagationem; ergo &c.

II. Hoc interest inter hominem & bruta, quod hæc non indigent morum institutione, quoniam cum ratione destituta sint, non reguntur alterius animantis eodem genere propagati potestate, & consilio: at homines dominii ac regiminis capaces, cum non uniantur solo naturæ instinctu, sed benevolentia, libertate, & communium liberorum causa, perpetuo nexu, & indissolubili vinculo erant constituenda. Hinc Deus *ex una ex costis* Adæ fabricavit mulierem, ut sese mutua benevolentia, & conjugio indissolubili complecterentur. Atque Adam Gen. 2. v. 23. ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, quamobrem relinquet homo Patrem suum &c.*

III. *Jus naturale*, ex Isidoro apud Gratian. dist. 1. *est illud, quod est commune omnium nationum, ut viri & fœminæ conjunctio*, sed tale est Matrimonium; ergo &c. IV. Hanc naturæ legem Dei institutione esse firmatam, constat ex primorum hominum formatione, & ex Adæ verbis supra cit. Hinc Trid. sess. 24. ait: *Matrimonii perpetuum nexum* primus parens pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, & hanc institutionem firmavit Christus Matth. 19.

Prob. II. pars. Matrimonium enim naturali, ac divina lege est institutum; ergo honestum est. Id autem

autem Prob. I. ſcripturis. Nam Matth. 19. legitur: *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem &c. Quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet.* Hinc Chriſtus ipſe nuptiis voluit adeſſe, ſed per hoc Chriſtus, teſte Aug. tract. 9. in Jo. *etiam excepta myſtica ſignificatione confirmare voluit, quod ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant prohibentes nubere, & dicentes, quod malum eſſent nuptiæ, & quod diabolus eas feciſſet.* Item Ap. 1. Cor. 7. v. 3. ait: *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro.* Et v. 18. *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere.* V. 10. *Si acceperis uxorem, non peccaſti.*

Prob. II. ex Patribus. Clemens Alexandrinus l. 3. Strom. de Tatianis ait: *Volunt viri cum uxore in matrimonio conſuetudinem eſſe peccatum, eam enim ſignificari ex uſu ligni boni & mali per ſignificationem vocabuli: Cognovit. Si autem hoc ita eſt, veritatis quoque cognitio eſt eſus ligni vitæ.* Et l. 4. profert illud Euripidis: *Nil eſt præſtantius uſquam, concordes quam cum in tecto verſantur eodem vir ſimul, & mulier.* Tertullianus, nedum rectitudinem nuptiarum demonſtrat, ſed etiam Marcionem conjugatorum intemperantiam opponentem ſic refellit c. 29. *Non ideo cibi damnabuntur, quia operoſius exquiſiti in gulam committunt. Sic nec matrimonii res ideo deſpuentur, quia intemperantius diffuſæ in luxuriam inardeſcunt.* Et S. P. A. l. 1. de Nupt. & concupiſc. c. 4. ait: *Copulatio maris & fœminæ generandi cauſa bonum eſt naturale nuptiarum.* Vide l. de bono conjug. c. 7. de Hær. n. 25. 31. 70. &c.

Ob. I. Luc. 14. quidam invitatus ad cœnam patris familias ait: *Uxorem duxi, non poſſum venire*; ergo nuptiæ cæleſtem gloriam impediunt. II. Rom. 8. legitur: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* III. In ep. ad Gal. c. 6. *Qui ſeminat de carne ſua, de carne & metet corruptionem*; er-

go &c. IV. Matrimonium, ex 1. Cor. 7. *Secundum indulgentiam, non secundum imperium conceditur;* ergo culpa non vacat. V. Matrimonium rationi adversatur: etenim ob vehementem libidinem est occasio peccandi; ergo &c. VI. Conjuges, ut temperantes, non sine libidine conjugii opus exercent. VII. Nuptiæ sunt causa originalis peccati, quod generatione carnali contrahitur; ergo aut malæ sunt, ut ajebant Manichæi, aut in nos non derivatur originale peccatum, ut ait Pelagius. VIII. Si matrimonium est in remedium incontinentiæ; ergo qui eo utuntur saltem venialiter peccant, cum incontinentiam expleant. IX. Puerperium, & seminis emissio, ex c. 12. & 15. Levit. expiabatur; ergo &c.

R. ad I. dist. conf. Impediunt per se, & ex connubii vitio neg. per accidens, & ex nimia conjugatorum sollicitudine in domesticas res, aut in filios, conc. Hoc sensu accipi debet laudata parabola. Vide Tertulliani locum supra productum. Ad II. R. cum Aug. l. 2. de Pecc. mer. c. 28. conjugatos fideles, *qui dominari sibi libidinem minime patiuntur*, non eos esse, qui sunt *in carne, & vivunt secundum carnem*, nam de iis, *qui ipsa carne corruptili bene utuntur*, ait Apostolus: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* Ad IV. R. cum Hieronymo, quod sicut ii, qui sive bibant, sive manducent, in nomine Domini faciunt, seminare dicuntur *in spiritu*, non *in carne*; ita *in spiritu* seminant, qui cum ratione implent divinam institutionem: *Crescite & multiplicamini.*

Ad V. R. S. P. Serm. 51. dist. ant. Conceditur secundum *indulgentiam* iis, qui propter incontinentiam ineunt connubia, conc. qui propter generationem filiorum, neg. Illi enim, quamvis ob intemperantiam permittantur uti conjugio, ne invicem continendo irruant in adulteria, tamen committ-

mittunt peccatum aliquod, etsi veniale, dum amplius, quam liberorum procreandorum necessitas cogit, exigunt a conjuge debitum, quæ sententia propugnatur a Norisio in Vind. c. 3. & aliis præfertur ab Estio in 4. dist. 26. §. 4. Deinde Pauli verba non consilium significant, sed permissionem, ibi enim indulget conjugibus, ut post orationem revertantur ad conjugales amplexus, *propter incontinentiam*, ne satanas illos ad adulteria sollicitet. Ad VI. neg. ant. Nuptiæ enim potius repagulum sunt, quam occasio peccandi, ut dictum est. Quod si quis non cohibens intemperantiam nupta abutatur, id non nuptiarum vitium est, sed nuptarum.

Ad VIII. dist. ant. Exercent cum libidine *serviente*, conc. cum libidine *subjugante*, neg. *Conjugalis concubitus*, ait S. P. A. de Nupt. & Conc. l. 1. c. 12. *qui fit intentione generandi, non est peccatum, quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem: nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cum juste redigitur in usum generandi plaga peccati.* Ad III. vide Auctorem Tom. 3. pag. 32. ubi ostendit cum Augustino, nuptias ad propagationem naturæ fuisse institutas, ideoque earum finem bonum esse; nec enim peccati causa sunt nuptiæ, sed Adæ voluntaria transgressio. Ad IX. Vide responsionem ad VII. Ad ultimum neg. cons. Nam lex vetus præcipiebat expiationes etiam pro contactu, ac sepultura mortuorum, pro fœminarum fluxu, & pro naturali effusione seminis in somniis, quæ nemo dixerit esse peccata.

Propositio III. Matrimonium cadit aliqua ratione sub præcepto, non tamen obligat in particulari.

Prob. Nam in mundi exordio, quando multiplicandum erat humanum genus, tenebantur omnes ad connubia ineunda, donec omnes ad certum aliquem numerum pervenirent. Hinc verbis illis: *Crescite, & multiplicamini* &c. vim præcepti in-

eſſe putant Richardus, Gabriel, Durandus, Argentinas, &c. Licet Eſtius, Sylvius, & noſter Poncius benedictionem, & auſpicium fœcunditatis in iis verbis obſervent, nam eadem verba beſtiis etiam diriguntur, quæ ſunt præcepti incapaces. Melius ergo probatur præceptum hujusmodi ex ipſo jure naturæ. Si enim, quando homines pauciſſimi erant, non fuiſſent ligati præcepto conjugii, non ſatis proſpectum fuiſſet humani generis conſervationi, & propagationi. Hinc S. P. de Bono conjug. c. 9. ait: *Primis temporibus propter Dei populum propagandum, per quem naſceretur Salvator, uti debuerunt ſancti iſti neceſſario bono nuptiarum.*

II. Idem dicendum de tempore, quod proxime conſecutum eſt univerſale diluvium, quo rurſus Dominus Geneſ. 9. hominibus ait: *Creſcite &c.* III. Idem quoque cenſendum de populo Dei. Nam ex Auguſtino de bono Viduitatis c. 7. cum adhuc exiguo eſſet numero, *ut populus ille propagaretur, maledictus habebatur, qui non ſuſcitaret ſemen in Iſrael.* IV. Sufficienter propagato populo Dei non amplius tenebantur ſinguli nubere, quod probat Eſtius exemplo Joſue, Eliæ, Jeremiæ &c. qui cœlibes fuere: His adde B. M. V. quam Auguſtinus *ſe virginem devoviſſe* ait, priusquam de Chriſto concipiendo audiſſet.

V. Inſtituta lege Evangelica hoc præceptum non urget, & prob. I. ex Matth. 19. *Sunt Eunuchi &c.* II. ex Ap. 1. Cor. 7. *Qui non jungit, melius facit.* III. ex Patribus virginitatem ſummopere commendantibus Auguſtino, Ambroſio, Nazianzeno &c. qui de ea egregios libros ſcripſere. IV. ex ratione Auguſtini de Bon. conj. c. 9. *Nunc vero, cum ad ineundam ſanctam ſocietatem ex omnibus gentibus copia ſpiritalis cognationis exuberet &c.* adeoque nulla urget connubii neceſſitas. VI. Si vero adeo imminuerentur homines, ut timendum eſſet humani generis exitium, ſi qui vivunt non nuberent, an tunc quisque nubere teneatur, non

non conveniunt Theologi. Affirmat D. Thomas, aliique, ne impediatur numerus electorum, quod est *contra dispositionem divinam*. Negant alii, in hoc statu legis Evangelicæ jam satis propagata, & instaurata hominum specie, aliquem obstringendum, ad conjugium. Ajunt enim, illud juris naturæ præceptum, postquam cessavit finis, non amplius urgere. Unde Apost. 1. Cor. 7. optabat, ut omnes essent, ut ipse, soluti a conjugio.

VII. Eadem est ratio, si ex hypothesi perirent sæculares omnes, quo in casu ad nuptias teneri religiosos censet D. Thomas, Sanchez &c. At Basilius Poncius ait, se potius æstimaturum instare mundi finem, & *Dei civitatem citius complendam*, ut ait Augustinus ibidem c. 10. Idem dicendum in hypothesi (quam Hieronymus contra Jovinianum *difficilem* putat) quod omnes servare vellent virginitatem. IX. Tenentur ad nuptias, qui propositum continentiæ servare non valent ex 1. Cor. 7. *Melius est nubere quam uri*, & Principes, si hac via Reipublicæ, aut fidei Christianæ damno consulere possint. X. Ex quo autem in Evangelio virginitas præferatur matrimonio, non sequitur tamen nuptias malas esse, cum unum bonum sit alio præstantius, & matrimonium plura habeat commoda, quæ eleganti carmine Nazianzenus describit. Vide Auctorem.

CAPUT II.

An matrimonium in Lege Evangelica sit ad Sacramenti dignitatem evectum?

MAtrimonium & signum esse rei sacræ, & gratiam producere negant Hæretici, contra quos sit

PROPOSITIO I. Matrimonium ex Divina institutione est signum rei sacræ.

Prob. I. Ex Apost. ad Ephes. 5. ubi ait: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo,*

& in Ecclesia. Quæ verba exponens Chrysostomus ait : *Quid est magnum mysterium ? Ipse dicit, quod magnum quid significavit Moyses , imo vero Deus. Interim autem dicit : In Christo dico , quoniam & ipse dimisso patre descendit , & venit ad sponsam , & factus est in spiritum unum.* Hieronymus in hunc locum ait, appellari ab Apostolo *Sacramentum magnum*, eo quod *ineffabilibus plenum sit Sacramentis.* D. N. J. C. reliquisse patrem suum , ac matrem Jerusalem , ut venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam , & de suo eam latere fabricaretur. Et S. P. A. in Psalm 30. ea verba exponit de Verbi incarnatione præfigurata in Matrimonio : *Quia ex sponso & sponsa fit una quædam persona.* Vide l. 2. de Genes. contra Manichæos c. 24. & l. 12. contra Faustum. Patrum sententiam complexus est Avitus Viennen. in carmine de Origine mundi , ubi loquitur de Evæ formatione & conjugio.

R. Hæretici : Non conjugium viri cum muliere, sed Christi cum Ecclesia conjunctionem Sacramentum appellari : vel si id Adæ & Evæ conjugio convenit , non convenit tamen posterorum conjugiis , inter quos plures sunt infideles , quique polygamiam admittunt , quæ hanc conjunctionem non significat.

Sed errant. Nam incarnatio Christi est quidem magnum mysterium , sed hinc non infertur ejus signum non præcessisse in Adæ conjugio , cum aperte id testetur Apostolus dicens : *Sacramentum hoc magnum est &c.* ubi in Græco habetur : *In Christum & in Ecclesiam* , ex qua Græca syntaxi ostenditur , quod Christi & Ecclesiæ unio sit terminus mysticæ significationis Matrimonii , ut Patres docent. Ad alterum dicimus , quod spectat ad Christi , & Ecclesiæ conjunctionem , in singulis conjugiis recte institutis significari , cum in omnibus impleatur illud : *Adhærebit uxori suæ , & erunt duo in carne una.* Hinc patet , infidelium matrimonia

monia esse Sacramentum, ut docet Innocentius III. quia ex prima institutione sunt insolubilia, & cum unica uxore contrahenda, iniquitate autem, vel incontinentia infidelium, aut solvuntur, aut cum pluribus contrahuntur.

PROPOSITIO II. Matrimonium novæ legis est signum gratiæ efficax, & proprium Sacramentum.

Prob. I. Ex laudatis verbis Pauli ad Ephesios: *Sacramentum hoc* &c. nec non ex aliis, quæ Apostolus profert ibidem: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Quamvis enim Vasquesius, & Estius laudatis testimoniis catholicum dogma efficaciter non probari contendat (quod verum est, si solitarie hæc duo loca sumantur, cum Sacramenti & Mysterii vocabula significationem habeant amplissimam, & symbolum mystici conjugii etiam in matrimoniis infidelium gratia destitutis inveniatur) si tamen attendantur adjuncta, & Apostoli scopus, qui est ostendere, Christum uniri Ecclesiæ, ne dum per naturæ consortium, sed etiam per *caritatem & gratiam*, matrimonium esse verum, ac proprium Sacramentum his argumentis ostenditur.

I. enim matrimonium per Apostolum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, sed hæc unio non est solum secundum carnem, sed etiam secundum caritatem, & gratiam; ergo &c. Deinde ut Christus dilexit Ecclesiam, ita conjugati, præsertim fideles, se invicem diligere debent; sed Christus dilexit Ecclesiam, non solum ut sibi eam copularet carnis assumptione, sed ut illam sibi exhiberet immaculatam, & gloriosam; ergo conjuges fideles tali nexu uniri debent, ut invicem sanctificentur. Hinc Trid. Synodus sess. 24. *Gratiam*, inquit, *quæ naturalem illum amorem perficeret, ipse Christus sua nobis passione promeruit: quod Paulus innuit dicens: Viri diligite &c. mox subjungens, Sacramentum hoc &c.* Ubi τὸ *promeruit* hunc sensum videtur habere: *Promeruit, & alligavit*, nam

inde infert ſancta Synodus, quod *cum Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter novæ legis Sacramenta adnumerandum PP. & traditio docuerunt.* Et S. P. A. l. 1. de Nupt. & conc. *Non tantum fœcunditas, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde Apostolus dicit: Viri diligite &c.* II. Argumentum petitur ex Jo. 2. ubi Christus insigni miraculo nuptias comprobavit, eisque præsentia sua gratiam contulit, & benedictionem, ut Patres tradidere. Nam S. Cyrillus in ep. ad Nestor. c. 26. ait: *Christum benedixisse nuptiis, & ad illas venisse in Cana Galilææ.* Et l. 2. in Jo. ait, ideo Dominum ad eas venisse, *ut illas præsentia sua cohonestaret, iisque, qui postea nascituri erant, gratiam præstitueret.* Epiphanius Hær. 67. ait: *Nuptias Dei gratia regnum obtinere quis vel ex eo non agnoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator fuerit, ut iis benediceret?* Et S. P. A. Tr. 9. in Jo. ait: *Venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, & ostenderetur Sacramentum nuptiarum.* Et S. Maximus hom. 1. de Epiphania ait: *Vadit ad nuptias, ut quas dudum potestate constituit, nunc præsentiæ suæ benedictione sanctificet.*

Prob. III. ex traditione. Tertullianus l. 2. ad uxorem *felicitatem* matrimonii commendat, ex quo illud *Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & obsignat benedictio.* Et c. 40. de Præscript. ubi ostendit diabolum æmulari *in idolorum mysteriis res divinorum Sacramentorum* Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Ordinis ait: *Quid? quod & summum Pontificem in unis nuptiis statuit;* ergo & matrimonium aliis Sacramentis accenset. Ambrosius l. 1. de Abr. c. 7. ait, ab iis, qui sese miscent ancillæ, ut filios suscipiant, *solvi gratiam matrimonii.* Et Ep. 19. ad Vigil. ait: *Conjugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari.*

Innoc. I. epist. 9. ad Protum irritat matrimonium illius, qui uxore in captivitatem abducta sibi alteram

ram copulaverat, ſtatuitque: *Illud eſſe conjugium, quod primitus erat gratia divina fundatum.* S. P. A. l. de Bon. conjug. c. 24. ait: *Bonum nuptiarum per omnes gentes in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis, quoad autem populum Dei, etiam in ſanctitate Sacramenti.* Ubi Sacramenti nomen ſtricte accipit S. P. quia illud tribuit ſolis conjugiis fidelium. Et c. 18. matrimonium appellat Eccleſiæ *ſignaculum, & Sacramentum*, eique gratiam tribuit his verbis: *In noſtrarum quippe*, mulierum, *nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Vide c. 34. de Pecc. Origin. de Fid. & operibus c. 34. de S. Virginitate c. 12.

Prob. IV. ex definitionibus Eccleſiæ. Nam inter vera Sacramenta matrimonium enumerat Conc. Conſtantien. ſeſſ. 15. & Martinus V. in Bulla *Inter cunctas*, Conc. Florent. & Eugenius IV. in Inſtr. Armen. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. & ſeſſ. 24. c. 1. ubi anathema dicit iis, qui ajunt: *Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto inſtitutum, neque gratiam conferre.* Vid. Auctorem to. 6. a p. 62. ad 68.

Ob. I. Magiſter diſt. 26. in 4. quem ſequitur Durandus q. 3. in eandem diſt. 26. negat matrimonium eſſe verum *Sacramentum* dicens, inſtitutum fuiſſe *in remedium tantum*, non ut gratiam conferret. Et S. Bonaventura duas ſententias Theologorum profert, quarum una nullam per matrimonium gratiam conferri ait, altera nonniſi ex devotione ſuſcipientium ſacerdotis benedictionem, ut fit in Sacramentalibus; neutram tamen ut hæreticam damnat S. D. Hinc Gloſſæ antiquiores in cap. *Quidquid invisibilis* ajebant, fas eſſe in matrimoniis de dote paciſci, quia revera non ſunt Sacramenta; ergo &c.

R. neg. conſ. Cum enim Magiſtrum, & Durandum refellant Theologi, non ſolum auctoritate PP. ſed etiam Hugonis Vict. SS. Bonaventuræ, ac Thomæ, Scoti &c. non eſt cur de illorum perpaucorum numero glorientur heterodoxi: præſertim cum ipſe

Magi-

Magister sacramentis novæ legis matrimonium accenseat, licet aliquibus visus sit denegasse gratiæ efficientiam. Durandus autem loco cit. ait: *Tenendum est absolute, quod matrimonium est Sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia Extra de Hæreticis. Ad abolendam.* Deinde Magister ex D. Thoma, & Estio ait, matrimonium institutum esse ad remedium, quoad finem institutionis, ad cujus tamen consecutionem virtus Sacramenti, idest gratia necessaria est. Quod spectat ad Jureconsultos distinguendum est matrimonium, *ut est officium naturæ, & ut est Sacramentum.* Cum enim primo sensu uxoris & liberorum substentationem secum ferat, fas est hac de causa pacisci de dote, quæ non impenditur ratione Sacramenti, & spiritalis effectus. Quo sensu accipienda est Glossa decreti, quæ loquitur de conjugio, *ut initium habuit in lege naturæ*, non prout tribuit *consolationem cælestis gratiæ*, quæ verba leguntur ad cit. cap. *Quidquid invisibilis.*

Ob. II. *Sacramentum*, de qua Ap. ad Ephes. 5. amplissima significatione debet accipi, ut est in Græco *mysterium*: nam ibi Apostolus loquitur de matrimonio Adami, & Evæ, quod etiam inter paganos contrahitur. Hinc sequitur I. matrimonium non esse *signum rei sacræ a Christo institutum*, cum hæc institutio fuerit mundi initio. II. Non esse *signum conferens gratiam*, cum nubant etiam infideles gratia destituti. III. rationem signi in matrimonio esse dumtaxat naturalem, quisque enim hunc ritum spectans statim percipit marem & fœminam simul jungi, cum in aliis Sacramentis arcanum occurrat. IV. Licet matrimonium sit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, non tamen inde infertur gratiæ collatio, quam libidine conferri absurdum est opinari.

R. In matrimonio, ut supra dictum est, duplicem conjugatorum unionem esse cum Magistro dist. 26. distinguendam, nempe *secundum consensum animorum, & secundum permixtionem corporum: sic Ecclesia*

clesia Christo copulatur voluntate & natura, quia idem vult cum eo; & ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo sponsa sponso spiritaliter, & corporaliter, idest caritate, & conformitate naturæ; prout ergo conjugium est institurum lege naturæ ad officium, habetur symbolum tantum conjunctionis Christi & Ecclesiæ secundum consortium naturæ: & prout est Sacramentum legis Evangelicæ, habetur etiam signum conjunctionis secundum naturam, & gratiam: prima ratio signi communis est conjugiis etiam infidelium, altera propria est matrimonii Christiani. Priori sensu quodlibet matrimonium est Sacramentum late acceptum, cum sit signum rei sacræ, ex 1. Prop. posteriori autem matrimonia tantum fidelium sunt Sacramentum, quia sunt signum caritatis, & gratiæ. Ad I. ergo R. institutionem illam initio mundi esse matrimonii, *ut naturæ officium est, non ut est Sacramentum.* Ad II. R. matrimonia infidelium habere priorem tantum signi rationem, non posteriorem. Ad III. R. in matrimonio Christiano, præter insolubilem unionem corporum, significari etiam, & produci internam conjunctionem animorum per caritatem. Ad IV. R. Hoc Sacramentum, prout gratiam confert, non consistere in copula, sed in consensu animorum.

Ob. III. In matrimonio sæpe deest materia, forma, & intentio; ergo &c. Prob. ant. Sæpe enim contrahitur solo nubentium consensu absque ullo signo externo, sæpe nutu absque verbis, & sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Deinde ejus substantia immutata est irritatis clandestinis, & consanguinitatis conjugiis; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. *Materia* enim matrimonii sunt actus contrahentium. *Forma* vero sunt verba legitimi ministri cum intentione &c. Ad alterum R. Romanam Ecclesiam damnando clandestina conjugia, & statuendo impedimenta non immutasse Sacramenti substantiam, sed declarasse quid opus sit, ut

ut contractus sint rati, & personæ legitime contrahant, ut infra explanabimus.

Ob. IV. Matrimonium nullam gratiam producit, cujus sit *signum efficax*; ergo &c. Prob. ant. I. enim conjunctio Christi cum Ecclesia, sive secundum humanæ naturæ consortium, sive secundum caritatem, matrimonii vi & efficacia non producitur. II. Matrimonium non confert nec *primam*, nec *secundam* gratiam. Non primam, quia hanc per se conferunt solum baptismus, & pœnitentia. Non secundam, quia ex Apost. 1. ad Cor. 7. *Qui matrimonio virginem suam non jungit, melius facit.* III. A Sacramento & gratia nemo arcendus; sed Ecclesia a matrimonio arcet sacras virgines, monachos, & ordinatos; ergo &c.

R. neg. ant. Ad I. prob. R. In conjugiis, præter conj nctionem Christi cum Ecclesia, externo ritu connubii significari conjunctionem animorum in caritate, & hanc esse Sacramentalem gratiam conjugibus vi Sacramenti collatam, ut si liberis procreandis dent operam, id non faciant *subjugante libidine*, ut susceptos filios imbuant optimis institutionibus &c. Ad II. neg. ant. Ad prob. R. Apostolum ibi conferre statum conjugalem cum virginali. Non ait tamen per matrimonii Sacramentum gratiam non conferri, validiusque præsidium, ne conjugatus sub onere multiplici gravatus succumbat. Ad III. dist. min. Arcet defectu gratiæ Sacramentalis, neg. ob impedimenta, quæ præsefert ut est naturæ officium, conc. Aliunde clerici, & virgines hisce impedimentis soluti ea gratia non egent, quæ ad onera matrimonii ferenda confertur.

Quæres: Quandonam matrimonium *in ratione Sacramenti fuerit a Christo institutum?* R. Probabilem esse admodum plurium Theologorum ac PP. sententiam, qui cum Cyrillo docent, in Cana Galilææ nuptias fuisse sanctificatas, præstitutam gratiam nascituris, & aditum ad hanc vitam cælesti benedictione suffultum: quam sententiam tuentur etiam Tour-

Tournelyus, Piette, aliique recentiores. Non desunt tamen, qui cum Frid. Gavardi putant hoc Sacramentum institutum, cum Christus Matt. 19. ait: *Quod Deus conjunxit &c.* Verum ex iis verbis nil aliud infertur, nisi Christum Dominum sublata polygamia abrogasse repudii consuetudinem, conjugia revocando ad arctum illud vinculum, quod habent ex primæva Dei institutione.

CAPUT III.

De materia proxima hujus Sacramenti, idest de matrimoniali contractu.

Materia *remota* hujus Sacramenti sunt personæ diversi sexus, nullisque impedimentis obstrictæ, quæ tradunt sibi invicem corporum potestatem, sive hæc eadem potestas mutuumque dominium. Materia proxima sunt actus contrahentium, seu contractus legitimus, quo per mutuum consensum exterius manifestatum jus in propria corpora transferunt. Quod Sylvius explicat comparatione Sacramenti Pœnitentiæ, in quo personæ suscipientes Sacramentum actibus suis exterius expressis materiam exhibent Sacramento. De materia proxima (nam de remota infra erit sermo) plura quæri solent, quæ nos breviter expendemus. Sit ergo

Propositio I. Non spectat ad matrimonii substantiam, ut conjuges sese mutuo carnaliter cognoscant.

Prob. I. Nam ex Decreto Eug. IV. matrimonium fit tamquam causa efficiente *per mutuum consensum* verbis de præsenti expressum; & ex Trid. sess. 14. aliud est matrimonium *ratum*, aliud *consummatum*; atqui illud firmum est, licet conjuges se mutuo non tangant; ergo &c. Unde Valdensis inter errores Wiclefi recenset oppositam sententiam. II. Possunt conjuges post initum matrimonium unanimiter castitatem vovere, qua de re S. P. A. ep. 45. nunc 127. Armeniario & Paulinæ gratulatur, qui id unanimiter præstitere. Et de Bono conjug. c. 25. ait: *Qui*

Qui pari consensu continentiam Deo voverunt, sciant sibi mercedis amplius deberi, quam conjugalis castitas poscit. III. Idem confirmatur exemplis Ss. Valeriani & Cæciliæ, Juliani Antiocheni & Basilissæ, Henrici II. & Cunegundis, nec non B. V. Mariæ & S. Josephi: de quo plura S. P. A. l. 4. adv. Jul. c. 12. ubi hæreticum refellit, qui *conabatur ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugium.* IV. Accedit ratio I. Non dissolvitur conjugium inter senes, qui effœta ætate non possunt, quod poterant juniores. II. Fuit matrimonium inter Adam & Evam, antequam istam ille cognosceret. III. Dominium ab usu, & potestas ab actu separatur; ergo &c.

Propositio II. Ut validus sit contractus matrimonialis, non est necessaria consensio in carnale commercium.

Prob. I. Nam inter B. M. & Joseph verum intercessit matrimonium, licet B. V. M. voto absoluto virginitatis sese obstrinxisset; sed cum hoc voto nequit consistere consensus in carnalem concubitum; ergo &c. Prob. major, quoad votum absolutum B. V. ex Aug. qui l. de S. Virginit. c. 4. illud evinci ait ex verbis, *quæ sibi fœtum annuntianti angelo Maria reddidit: Quomodo fiet istud &c. Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset.* Quæ verba Mariæ ad angelum ita eleganter expressit Sannazarus de partu Virg. l. 1. *Mene attactus perferre virileis posse putas? cui vel nitentis matris ab alvo, protinus inconcussum & ineluctabile votum virginitas fuit una, nec est cur fœdera rumpam.* Hoc vero Virginis votum non fuisse ea conditione expressum, e. g. *Nisi Deus aliter jusserit*, licet hoc probabilius censuerint Magister, S. Thomas &c. prob. I. Tunc enim locum non habuisset admiratio Virginis, imo ex tali nuncio percepisset Deum aliter jubere. II. Hæc conditio est superflua, & in omni voto includitur. III. Votum B. V. M. perfectissimum fuit, & in exemplum aliis virginibus pro-

propositum, sed tale est votum absolutum, utpote magis firmum & tenax; ergo &c.

IV. Anselmus l. de Excell. Virg. c. 4. docet, B. V. perpetua virginitate se Deo consecrasse, & certissime credidisse, se nunquam virum esse cognituram. Addit S. Bonaventura, certam quoque extitisse de B. Josephi continentia; nil ergo obstat, quin votum absolutum emiserit. Emissum autem hoc votum a B. V. ante desponsationem expresse traditur ab Augustino l. de S. Virg. c. 4. ubi ait: *Desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius custodituro, quod illa jam voverat.* Quæ sententia, quam propugnant Scotus, S. Bonaventura, Estius, & Sylvius, confirmatur, propterea quod B. V. M. votum jam emiserat, quando illi angelus conceptum partum nunciavit, tunc autem S. Joseph mysterii inscius, nondum virginitatem voverat, uxoremque duxerat, ut prolem ex ea susciperet, quam spem deposuit, quando revelante angelo, B. Virginem Spiritus S. virtute fœcundatam cognovit. Hinc Hieronymus ait: *Conveniendi desiderium uteri conceptione sublatum est.* Et S. P. l. 5. contr. Jul. ait: *Non ideo vinculum fidei conjugalis judicavit esse solvendum, quia spes commiscendæ carnis ablata est;* non ergo unanimi consensu Maria & Joseph post desponsationem, sed ante sese continentiæ voto obstrinxere. Si enim Mariæ expectandus fuisset consensus conjugis, non fuisset fixum ejus propositum de virginitate servanda.

Inter Joseph autem & Mariam verum intercessisse conjugium probat S. P. A. l. 1. de Nupt. ex verbis angeli: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam,* dicens: *Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat cogniturus.* II. Idem confirmat S. D. ex quo: *Propter fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus; utrumque mente, non carne. Neque enim mentitur Evangelium ubi*

legitur, *Et erant pater ejus*, *& mater &c. & alio loco*: *Ecce pater tuus &c.* III. Conjugium illud ex Aug. habuit *omne nuptiarum bonum. Prolem cognoscimus Dominum Jesum*, *fidem*, *quia nullum adulterium*, *& Sacramentum*, *quia nullum divortium.* Et l. 5. c. 12. contra Jul. asserentem Mariam fuisse conjugem Joseph in hominum opinione, sicut Christus ex Luc. 3. *putabatur filius Joseph*, sic eum urget: *Numquid & angelus secundum opinionem potius*, *quam secundum veritatem fuerat locuturus*, *qui ei dixit*: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Deinde*, *quid opus erat ut usque ad Joseph generationes perducerentur*, *si non ea veritate factum est*, *qua in conjugio sexus virilis excellit?* IV. accedunt rationes, quas profert Hieronymus adv. Helvidium. 1. *Ut per genealogiam Joseph origo quoque Mariæ monstraretur.* 2. *Ne ut adultera lapidaretur.* 3. *Ut in Ægyptum fugiens haberet solatium.* Quartam addit Ignatius M. in ep. ad Ephes. *Ut partus ejus celaretur diabolo*; ergo &c. Vide auctorem.

Prob. II. ratione Theologica I. Si quis mulieri juramento spoponderit infra biennium nubere, postea vero privata lege ductus statuerit ad religionem migrare, is potest contrahere, ut impleat juramentum, & postea, si elegerit, ad religionem transeat, ex c. *Commissum* de Sponsalibus l. 4. Decr. tit. 1. sed in eo nequit esse consensus in carnale commercium; ergo &c.

II. Sufficit ad matrimonium conjunctio duorum sexus diversi, per quam ineant individuam vitæ consuetudinem: *Matrimonium enim non facit coitus*, *sed voluntas*, *& ideo non solvit illud separatio corporis*, *sed separatio voluntatis. Non defloratio virginitatis facit conjugium*, *sed pactio conjugalis.* Ita canones a Gratiano collecti 27. q. 2. Et S. P. A. l. de Bono conjug. c. 1. ait, quod in utroque sexu potest esse absque commixtione concubitus, *alterius regentis*, *alterius obsequentis amicabilis quædam*, *& germana conjunctio*, quod probat exemplo senescentium, & B. V. &

& S. Josephi, de quibus supra. III. Dominium ac potestas in corpus alterius, quæ requiritur in matrimonio, separari potest ab usu, quod constat in senibus, & in iis, qui post connubii jura statuunt cœlibem vitam ducere, sed rerum, quæ separantur, una intendi potest sine altera; ergo possunt conjuges invicem transferre dominium sui corporis, licet nolint, nec intendant exercitium. Vide Auctorem.

Ob. I. Inter Mariam & Joseph verum non fuit matrimonium; ergo ineptum est primum hujus sententiæ momentum. Prob. ant. I. enim inverisimile est virum aut mulierem alio fine nupsisse, quam gignendi causa, præsertim vigente veteri lege, ex qua maledicti erant non suscitantes semen in Israel. II. Joseph, cum invenisset Mariam habentem in utero, ex Matth. 1. *Voluit occulte dimittere eam*, sed hoc fieri non poterat absque libello repudii; ergo Maria non habebatur vera uxor. III. Epiphanius Hær. 78. de B. Virgine ait: *Videbatur uxor, & non erat.* Et Hieronymus refellens Helvidium dicentem, virginem, si viro desponsata fuit, *quandoque nupturam*, negat id contigisse: additque esse scripturarum consuetudinem, ut sponsæ appellentur uxores; ergo sponsam esse fatetur B. V. negat esse uxorem. Item S. P. serm. 17. de Temp. ait: *Concepit virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat.* Et Gregorius hom. 27. in Evang. l. 2. de Joseph ait: *Ad ejus*, nempe B. V. M. *nuptias non pervenit.* IV. Joseph in Evangelio dicitur Christi pater, quia *putabatur*, non quia *erat;* ergo a pari, V. In matrimonio B. V. & S. Joseph fuit bonum conjugii, & proles de Spiritu S. sed hoc deest in connubiis initis cum continentiæ proposito; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Ad I. prob. neg. ant. Id enim inverisimile non est in iis, quos conjunxit caritas ad redemptionis mysterium exequendum vinculo animorum, non autem ad gignendos filios carnis

copulavit consuetudo legis corporum commixtione. In lege autem fœcunditas non præceptum erat, sed promissio, & suscitare prolem ad eos solum spectabant, quorum fratres absque liberis defuncti essent uxore superstite. Ad II. dist. min. Et libellus ille dabatur uxoribus, quas viri haberent exosas, ut cum aliis inirent conjugium, conc. secus, neg. Joseph ergo nec virginem oderat, nec ei ut alteri nuberet permisit unquam, sed voluit occulte dimittere eam: forte quia fœtam videns, & causam ignorans, & aliunde ejus pudicitiam perspectam habens, prudentissime judicavit non esse traducendam ut adulteram, & se ab ea separandum, ne aliqua dedecoris nota sibi obveniret.

Ad III. dist. ant. cum ipso Epiphanio. Non erat, *quatenus cum eo nullam habuit corporis copulationem; nec rem habuerunt nuptiarum*, ut ait Hieron. conc. nullo modo, neg. Eodem modo exponendi sunt Gregorius, & August. Ad IV. dist. ant. Non fuit Christi pater per carnis concubitum, conc. per copulationem conjugii, neg. *Cum Lucas narret*, ait S. P. A. de Consen. Ev. c. 1. *non ex concubitu Joseph, sed ex M. V. natum Christum, unde eum patrem ejus appellat, nisi quia & virum Mariæ recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii; & ob hoc etiam Christi patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus.* Ad V. R. prolem esse conjugii bonum spectans ad finem secundarium.

Ob. II. S. P. A. l. 19. contr. Faust. c. 26. ait: *Matrimonium ex hoc appellatum est, quod debeat fœmina nubere, ut mater fiat.* Et c. *Institutum* 27. qu. 2. num. 23. habetur: *Mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus.* II. In ea commixtione consistit ratio Sacramenti, ut infertur ex Eph. 5. ex c. *Cum societas*, excerpto ex ep. S. Leonis ad Rusticum, ubi habetur: *Præter commixtionem sexus non habere nuptias conjunctionis Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* III. Ad substantiam

ſtantiam Sacramenti ſpectat mutua poteſtas in corpora, ſed hæc eſt commentitia ſecluſo actu conjugii, ut eſt venditio domus hac pactione: *Modo ea nunquam utaris*, alias etiam eunuchi poſſent nubere, & valeret matrimonium ea pactione: *Duco te in meam, ſi prolis conceptum evites.* Tandem ſacræ virgines nubere poſſent, quod c. *Voventibus* 17. q. 1. *damnabile* dicitur; ergo &c.

R. ad I. Auguſtinum ibi refellere Manichæos, qui ajebant, uxorem *non ad matrimonii fidem, ſed ad concupiſcentiæ crimen habendam eſſe;* ex ipſo ergo matrimonii vocabulo oſtendit S. D. gignendi, non explendæ libidinis cauſa nubendum eſſe. In cap. vero *Inſtitutum* verba illa ſunt Gratiani, non Auguſtini, ut notatum eſt in emendatione Decreti. Ad II. R. Verba S. Leonis loco cit. ita ſe habere: *Cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem, haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale myſterium*, quibus verbis oſtendit S. Leo non omnem mulierem viro junctam eſſe uxorem, niſi publicis nuptiis ſit honeſtata.

Ad III. neg. min. De qua vide prob. 3. Ad allata exempla R. primum non eſſe ad rem, cum ex matrimonio, etiam ſecluſa prole, plura habeantur emolumenta, nempe vinculum caritatis, qua ſe conjuges mutuo fovent, & ſolantur, communio bonorum, domus regimen &c. Nec ſecundum: nam ſpadones ex impotentia dominium ſuorum corporum transferre nequeunt. Nec tertium, quia licet liberum ſit conjugibus dare operam liberis procreandis, liberum tamen non eſt poſtquam in concubitum conſenſere. Non quartum, virgines enim nedum a commixtione, ſed etiam a vinculo conjugii abſtinere voverunt; ergo &c.

Propositio III. Licet, communiter loquendo, peccent filii nubentes invitis parentibus, tamen valide contrahunt.

Dixi *communiter loquendo*. Nam, filius juſtis de cauſis, ut ſi mulierem matrimonii promiſſione vitiaſſet, aut haberet cum ea ſtupri conſuetudinem, licite nuberet etiam repugnante patre, ſecus ſi id præſtaret ſine legitima cauſa, & ut propriæ tantum libidini indulgeret. Prob. I. pars. Ex c. *Honorantur* 32. q. 2. ubi habetur: *Conſulitur puella non de ſponſalibus, nam illa judicium expectat parentum, non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum. Unde illud Euripideon: Sponſalium meorum pater meus curam ſubibit: hoc enim non eſt meum.* II. Fieri poteſt, ut juſſio parentum nedum honeſtatem commodumque familiæ, ſed etiam Dei cultum ſpectet, ut cum Jacob filio ſuo Iſaac juſſit, ne uxorem acciperet de filiabus Chanan, ſed ex genere Laban; ergo eis parendum eſt.

Prob. II. pars. Ex cap. *Sufficiat* 27. qu. 2. in quo ex verbis Nicol. I. ad Conſulta Bulgar. definitur, ad matrimonium ſufficere ſolum illorum conſenſum, *de quorum conjunctionibus agitur*, & Trid. ſeſſ. 24. c. 1. damnat eos, qui *falſo affirmant, matrimonia a filiis familias ſine parentum conſenſu contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.* Accedunt rationes ipſius Trid. Syn. apud Pallav. l. 22. c. 4. I. eſt: non poteſt tolli filiis familias innata libertas, cum in iis, quæ ad ſtatum capeſſendum ſpectant, filii patribus ſint pares, nec iis ſubjiciantur. II. A juvene e patria abſente parentis aſſenſus haberi nequit; ergo ſi prohiberetur uxorem ducere, in continuo periculo incontinentiæ verſaretur. III. Apoſt. 1. Cor. 7. ait: *Si ſe non continent, nubant*, nec ſubjicit: *Nubant poſt talem ætatem, & ſi parentes conſenſerint*; ergo &c. IV. Divini juris eſt, ut homo relinquat patrem & matrem, & adhæreat uxori ſuæ, non autem ut a ducenda uxore abſtineat, ne ſejungatur a patre & matre. V. In uſu Sacramentorum locus non eſt paternæ poteſtati ex c. *Cum cauſa*, imo nec heri dominio, ex c. *Dignum eſt.* VI. Ex

D. Tho-

D. Thoma nequeunt filii ad matrimonium compelli; ergo nec ab eo prohiberi.

Ob. I. Ad Coloff. 3. habetur: *Filii obedite parentibus per omnia*; ergo &c. II. Cap. *Nostrates* 30. q. 5. nuptiæ *celebrantur consensu eorum, qui contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt.* Idem consensus requiritur ex Cap. *Placuit* 36. q. 2. n. 2. Et ex c. *Videtur* eo secluso consensu, *secundum leges, nullum est matrimonium.* III. Definitio Trid. adversus solemnem postulationem oratorum Gallorum edita est. IV. Talia matrimonia vetantur nedum a Theodosio, Valentiniano, & Justiniano Imper. sed etiam ab Henrico II. & III. Galliarum Regibus, Carolo V. & Philippo IV. ergo &c.

R. ad I. dist. ant. In iis, quæ patriam potestatem non excedunt, conc. secus, neg. Porro in iis, quæ spectant electionem status filii sunt sui juris, unde si justa patrum jussa non sequantur, illicitum quidem erit, non tamen invalidum Sacramentum. Ad II. R. laudatos canones accipiendos esse de honestate, non de necessitate, ut habet Glossa ad cap. *Sufficiat.* Et cap. *Nostrates* ait quidem Nicolaus nuptialia fœdera celebrari parentum consensu, non ait tamen esse irrita, si absque tali consensu celebrentur. At in cap. *Videtur* R. Pont. leges civiles intelligit, non canonicas. Vide Sylvium art. 6. q. 47. Suppl. ad 4. Ad III. R. Postulatum illud non fuisse absolutum, sed ut adhiberetur certus annorum numerus, quo exacto, si filius non fuisset matrimonio junctus, fas illi esset per se ipsum uxorem ducere; ergo parentum consensus non spectat ad substantiam contractus matrimonii.

Ad IV. neg. conf. Non enim quærimus, an ea matrimonia sint licita, sed an sint valida. Ipsum enim Trid. Concilium, licet definiat matrimonia ista rata esse & legitima, subjicit tamen, illa semper Ecclesiam detestatam fuisse, cum ex iis mala plurima oriantur, quæ parochi contrahentibus significare debent, nisi gravis ratio urgeat oppositum.

Civiles itaque leges, & Principum ſtatuta, ad hæc mala avertenda, & reverentiam ſervandam parentibus debitam, & publicam honeſtatem lata ſunt, & valent, *quoad civiles effectus, non quoad conjugii firmitatem*, jure naturæ, & Eccleſiæ definitionibus ſtabilitam. Unde ait Van-Eſpen, leges Principum Eccleſiæ ſanctiones adjuvare. Hinc Carolus V. ſtatuit anno 1548. *Audiendi non ſunt ii, qui volunt ut diſſolvantur matrimonia contracta a filiis familias, ubi non adſit aſſenſus parentum. Nihil hic a nobis detrahitur obedientiæ filiorum debitæ patribus, ſed nolumus ut patres abutantur poteſtate ſua in præpediendis matrimoniis.*

Quæres: an parentes poſſint hac de re filios exhæredare? R. Soto, aliique non poſſe, ubi id non ſtatuunt leges regni, aut provinciæ. Ubi vero vigent leges iſtæ, poſſe quidem, ſed monendos, ne ob libertatem matrimonii, quam jura longe æquiora permittunt, in filios ſuos durius, quam exigat paternus amor, ſe gerant.

Propositio IV. Matrimonium inter abſentes initum, ſi ſerventur præſcriptæ conditiones, validum eſt, ſaltem ratione contractus.

Enumerantur conditiones iſtæ a Bonifacio VIII. in 6. Decret. l. 1. tit. 19 cap. *Procurator*. I. Eſt ut procurator ad id mandatum habeat ſpeciale. II. Ut alium deputare nequeat, niſi id ei commiſſum ſit. III. Ut mandatum non ſit revocatum. IV. Poſt Tridentinum requiritur ut matrimonium contrahatur coram parocho, & teſtibus, coram quibus literæ legantur. Quibus poſitis Prop. probatur: nam huic matrimonio nihil deeſt, quoad contractus validitatem, cum adſit contrahentium conſenſus, nec deſit conditio ulla naturali, aut humano jure adjecta; ergo &c. Diximus: *In ratione contractus*; nam *in ratione Sacramenti*, plures ſcholaſtici, ut Cajetanus, Victoria, Canus, Sylvius, Vanroy &c. tunc perfici putant, quando principales contrahentes conſenſum per procuratores præſtitum

ſtitum innovant coram parocho, & is profert verba: *Ego vos in matrimonium conjungo.* Non deſunt tamen qui putant, omne matrimonium validum in ratione contractus inter fideles eſſe Sacramentum, & ſacerdotis verba eſſe ceremonialia, qua de re infra erit ſermo.

CAPUT IV.

De quibusdam ſpectantibus ad matrimonii contractum.

Putarunt nonnulli ſufficere ad matrimonium contrahendum conſenſum exterioribus verbis expreſſum, absque interiori animo, ſed non apparenti, atque occulta ſimulatione. Contra quos ſit

Propositio I. Irritum eſt matrimonium abſque intentione, atque occulta ſimulatione contractum.

Prob. I. Ex ipſo vocabulo conſenſus, quod actum interiorem ſignificat, unde commune effatum: *Matrimonium non coitus facit, ſed voluntas,* ut habetur 27. qu. 2. num. 1. II. Innoc. III. Cap. *Tuæ Fraternitati* ait, matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri & mulieris conſenſum, ſed neceſſaria eſſe, quoad Eccleſiam, verba conſenſum de præſenti exprimentia: ubi aperte verba exteriora ab interno conſenſu ſecernuntur. III. Idem Innoc. cap. *Tua nos* irritum declaravit conjugium viri, qui ſuum nomen ſimulavit: *Eo quod non vocaretur hoc nomine, nec haberet propoſitum contrahendi, ſed copulam tantum exequendi carnalem, quoniam dolus affuit, & defuit conſenſus, ſine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale.*

IV. Idem ſtatuit Clemens VIII. de nobili fœmina, licet viro liberos peperiſſet. Vide hac de re Comitolum, Poncium &c. V. S. Thom. in 4. diſt. 27. q. 1. ait: *Expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit.* Eadem habet D. Bonaventura, aliique. VI. Omnis contractus eſt actus hamanus; ergo non fit ſine voluntatis conſenſu. Hæc tamen intelligenda ſunt de foro interno, nam quoad externum, cum Eccleſia de in-

ternis judicium ferat, prout ſignis externis pateſiunt, ubi hæc adſint, putari debet adeſſe conſenſum.

Ob. I. Magiſter in 4. diſt. 27. ait, matrimonium contrahi, *ſi ſponſi verbis explicant, quod tamen corde non volunt.* II. Non deſunt Theologi clariſſ. qui negant ad perficienda Sacramenta opus eſſe intentione interna. III. Eſt etiam Juris proloquium: *Fraus, & dolus nemini debet patrocinari*, ſed patrocinaretur in eo, qui ſimulate cum muliere contraheret, ut ea impune frueretur; ergo &c. IV. Verba externa ſufficiunt ad detrahendum; ergo etiam ad contrahendum. V. Niſi hæc matrimonia valida eſſent, poſſent conjugia quæque diſſolvi, ſubortis enim inter conjuges diſſidiis, ut ſæpe fit, diceret quiſque ſe invitum conſenſiſſe in conjugium; ergo &c.

R. ad I. Magiſtrum refelli ex iis, quæ infra ſubjicit §. *Quod autem conſenſus* eadem diſtinct. 27. ubi ex Patribus, & ſacris canonibus oſtenditur, ſolo voluntatis conſenſu contrahi matrimonium. Ad II. R. Eam ſententiam a nobis eſſe refutatam c. 16. l. 30. Ceterum differt conſenſus ex natura rei ad contractum neceſſarius ab interna intentione ex inſtitutione Chriſti ad Sacramentum requiſita. Ad III. neg. min. Ille enim, præter maximum crimen, tenetur ad ducendam mulierem, quam decepit. Ad IV. neg. conſ. & paritatem. Nam ſola verba per ſe famam lædunt, ſed per ſe non efficiunt animi conſenſionem. Ad V. neg. ſequelam. Non poſſunt enim matrimonia diſſolvi, niſi judicio Eccleſiæ, quæ, ubi verba præceſſere, præſumit adfuiſſe conſenſum, de quo moralem habet certitudinem: eo modo, quo vota religioſorum, licet in foro conſcientiæ ſine intentione facta ſint, *rata*, & legitime emiſſa cenſentur.

Propositio II. Qui ſimulate matrimonium contraxit cum fœmina tenetur illam ducere, ac filios tamquam legitimos habere.

Prob.

Prob. I. pars. Nam eo ſenſu dolus ac fraus deceptori minime patrocinatur, quatenus in utroque foro tenetur ad eam ducendam, quam decepit, in foro nempe externo propter verborum ſignificationem, in interno autem propter damnum & injuriam, qua deceptam affecit; ergo &c. II. Simulator æquitatem violavit; ergo ad ſatisfactionem tenetur, nempe ſimulatione depoſita ſincero animo eam ducens, quam improbe fefellit, innovando utriuſque conſenſum, cum prior fuerit nullus. Vide Vanroy de Contr. Matrim. c. 3. q. 9. Nota ſimulatorem teneri, ut ſupra, niſi forte cum alia poſtea contraxerit, aut ipſa quoque fœmina virum ita deceperit, ut injuria injuriæ poſſit compenſari.

Prob. II. pars. Dummodo enim matrimonium bona fide contractum fuerit ab uno ex conjugibus alterius fraudem ignorante, nec clandeſtine, ſed in facie Eccleſiæ initum ſit, hoc matrimonium, quod putativum appellatur, non afferre filiis præjudicium docent Jureconſulti omnes in 5. Decr. tit. 17. n. 2. cap. *Cum inter*, ubi Alex. III. definit, filios conceptos a parentibus, qui publice, & ſine contradictione Eccleſiæ contraxere, licet poſtea matrimonium ſolvatur; tamen legitimos habendos eſſe. Eadem habentur cap. *Ex tenore* tit. 17. n. 14. Et ratio eſt, quia in eo matrimonio in facie Eccleſiæ contracto præſumitur bona fides. Idem ſtatuunt etiam leges civiles. Dummodo filii concepti fuerint, ante conjugii ſolutionem. Imo nec hæreditate privari poſſunt, etiamſi mater de adulterio accuſata, ſpurios eos eſſe fateatur. Tanta enim eſt matrimonii dignitas, ut ſemel in Eccleſia bona fide contractum, quotquot non ſeparatis conjugibus filii naſcuntur, proprii & legitimi cenſeantur, Vide Baſilium Poncium l. 2. de Matrim. Gonzalez tit. 17. l. 4. decr. &c.

Quæres: quibus verbis exprimi debeat conſenſus

ſus matrimonialis ? R. *Verbis*, ut canones & Theologi ajunt, *de præſenti*, quibus uterque contrahentium declaret, ſe nunc in conjugium & translationem poteſtatis in corpus ſuum aſſentiri. Hoc enim intereſt inter ſponſalia, & matrimonium, quod illa ſint futurarum nuptiarum promiſſio; matrimonium vero eſt ipſa maris, & fœminæ conjunctio. In mutis autem, ſurdiſque, juxta cap. *Cum apud ſedem* ib. n. 23. pro verbis nutus ſufficiunt: nam *quod verbis non poſſunt*, ſignis declarare poſſunt, ibidem n. 23.

CAPUT V.

De impedimentis matrimonii, & ad quem ſpectet illa ſtatuere, atque in iis diſpenſare?

PRæter Lutherum, & Calvinum, Marcus Antonius de Dominis ſuſe ſcripſit, nullam ineſſe Eccleſiæ facultatem conditiones & cauſas apponendi, propter quas aliqui nequeant matrimonium contrahere, ex quo penes eos matrimonium ſit civilis contractus, adeoque cauſæ ad ipſum ſpectantes non ſint a ſpiritalibus judicibus pertractandæ. Hanc hæreticam doctrinam proſcripſit Trid. Synodus can. 4. ſeſſ. 24. his verbis: *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.* Ubi perperam contendit Launojus Eccleſiæ nomine comprehendi regum perſonam, & per Eccleſiam induci impedimenta, quæ inducuntur per reges. Inquirendum ergo quid hac in re poteſtas Eccleſiæ, & quid principum valeat auctoritas. Sit itaque

Propositio I. Poteſt princeps ſæcularis conſtituere impedimenta matrimonii, prout eſt civilis contractus.

Prob. I. Poteſt enim princeps leges ferre, quæ ad reipublicæ bonum conducunt, atqui tales ſunt contractus civiles omnes; ergo &c. II. Per matrimonium, prout eſt civilis contractus, conjuges po-

teſta-

teſtatem ſuorum corporum ſibi tradunt, at princeps poteſt leges ferre, ut contractus, quibus dominium transfertur, fieri non valeant, niſi ſub certa forma, & a certis perſonis, ut patet in pluribus contractibus venditionis & alienationis, in quibus nonnulli redduntur ad contrahendum inhabiles; ergo &c. III. Plures ſunt leges Imperatorum *de ſponſalibus*, & de *ritu nuptiarum*, quas legere eſt l. 23. Digeſtorum; ergo &c.

Ob. I. Contractus matrimonii ſunt juris naturæ; ergo &c. R. diſt. ant. Sunt juris naturæ, quoad aliqua, conc. quoad omnia, neg. Quod enim actus hujuſmodi ſint voluntarii, nec per vim fiant, nec coacte, & ſint de re juſta, lege naturæ inſtitutum eſt. Quod vero fiant coram teſtibus, poſt pubertatem, & ab iis, qui votorum vinculis non ſunt obſtricti, id a temporum & locorum circumſtantiis repetitur. Primum immutabile eſt, alterum mutabile, & principum auctoritati ſubjicitur: eſtque firmiſſimum, ſi naturæ legibus non adverſetur, & reipublicæ utilitatem promoveat.

Propositio II. Statuere impedimenta matrimonii, prout eſt Sacramentum, ſpectat ad auctoritatem Eccleſiæ.

Ita Tridentinum cit. can. 4. & longe ante Conc. Senon. c. 17. Prob. 1. ex 2. Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Quæ verba comparans Hieronymus cum iis, quæ extant 1. Corinth. 7. ubi mulier infidelis, cum viro fideli habitare ſinitur, ait: *Ignoſcere Apoſtolum infidelium*, mulierum, *conjunctioni, quæ habentes maritum poſtea crediderunt*; non vero iis, *quæ cum Chriſtianæ eſſent, nupſerunt gentilibus.* Et infra ait: *Quod Chriſtianæ non liceat omnino ethnico nubere.* Id etiam probat S. D. exemplo Abraham, qui adjuravit ſervum *in fœmore ſuo*, unde Chriſtus naſciturus erat, ne filio Iſaac uxorem adduceret alienigenam, ex 1. Eſdræ 10. v. 30. & Malach. 2. v. 2. habetur: *Contaminavit Judas ſanctificationem Domini, & habuit filiam Dei alieni*, ſed hoc eſt impedimentum,

quod

quod dicitur: *Cultus diſparitas*: ergo &c. II. Prob. ex PP. Tertullianus de Corona c. 13. ait: *Non nubamus ethnicis, ne nos ad idololatriam uſque deducant.* Idem fuſe tradit l. 2. ad Uxorem. S. P. A. l. 15. de C. D. c. 16. ait: *Quis dubitet hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia?* quæ tamen antiquis Rom. legibus ex Caſſiod. l. 7. legitima habebantur, eaque reprobari S. D. ait a cæleſti civitate ob pudicitiam conjugalem.

Prob. III. ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine. Siricius enim Papa in ep. ad Himerium vetuit, ne monachi, aut ſacræ virgines nubant, *cum id Eccleſiaſtica jura condemnent.* Innoc. I. ſententiam protulit, quoad *ligamen*, de conjugio viri, cujus prior uxor de captivitate rediit. Leo M. ep. 92. ad Ruſt. definiit, epiſcopos & presbyteros, qui cum eſſent laici duxerunt uxorem, debere ab operibus nuptiarum ceſſare, non autem repudiare conjugium. Greg. M. l. 11. ep. indict. 4. ep. 64. declaravit, tertia vel quarta generatione connubia fidelium licenter jungi, a ſecunda omnino abſtinendum, nec non a noverca, & cognata. Idem canones præſtitere. Sæculo IV. Synodus Eliber. an. 315. ſtatuit, can. 15. & 16. ne Chriſtianæ virgines gentilibus & hæreticis nuberent, niſi ad catholicam fidem venirent. Ancyrana ann. 314. can. 11. irritat matrimonium cum puellis a viro raptis. Neocæſareen. eodem an. can. 1. confirmavit impedimentum ordinis. Chalcedonen. an. 451. vetat can. 16. monacho, & ſacræ virgini nubere. Agathen. an. 506. can. 61. plures conſanguinitatis gradus aſſignavit. Lateran. IV. ann. 1215. impedimenta conſanguinitatis intra quartum gradum coarctavit. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de Refor. declaravit nulla, & irrita matrimonia clandeſtina, quæ antea rata fuere.

IV. Confirmatur ex Jure Can. quod ante Tridentinum, nedum plura impedimenta conſtituit, ſed etiam cauſas natalium ad forum Eccleſiaſticum

ſpectare

ſpectare decrevit. Cap. *Tuam* de Ord. cogn. n. 3. Neminem prætextu conſanguinitatis poſſe propriam uxorem abjicere, donec epiſcopi cauſam examinaverint, cap. *Multorum*, & alia complura ſtatuerunt. V. Nec dici poteſt, Eccleſiam jus iſtud ſibi arrogaſſe violata principum jurisdictione: conſtat enim ex ſupradictis jus illud antiquiſſimum, & principum approbationibus, factis, legibuſque firmatum. Vigilius enim Rom. Pontifex ann. 540. ſeparationem indixit Theodeberto Francorum Regi a vidua fratris ſui, quam uxorem duxerat. Leo III. irritavit conjugium Henrici I. Caſtellæ regis cum filia regis Luſitaniæ ob conſanguinitatis impedimentum. Greg. V. nullum pronunciavit matrimonium Roberti Regis Franciæ & Bertæ illius conſanguineæ. Idem præſtitit Clemens VIII. cum Henrico IV., quem adegit ut Margaretam dimitteret, cum qua contraxerat poſt repudii ſententiam a judicibus Eccleſiaſticis pronuntiatam; ergo &c.

VI. Principes ipſi ſtatuentes aliquid ſpectans ad matrimonii cauſas, illud Eccleſiaſtico juri ſubjectum, & ad hujus normam ſervandum affirmarunt. Nam Chilpericus in Capitul. editis an. 595. art. 2. juſſit inceſtas nuptias juxta epiſcoporum ſanctiones emendari: & ex Greg. Turon. l. 5. c. 18. adverſus Prætextatum expoſtulavit, quod contra ſtatuta canonum Merovechum cum amita ſua conjunxiſſet. Carlomannus etiam in congreſſu Liptinen. c. 3. præcepit, ut *adulteria & inceſta emendentur epiſcoporum judicio.* Eadem ſtatuit Carolus M. ex l. 5. Capitul. n. 5. Quod quidem exemplo firmavit abjiciens poſt ſententiam epiſcoporum Bertam Regis Longobardorum filiam: *Eo quod eſſet ad prolem inhabilis*, nec niſi poſt divortium factum *ſacerdotum SS. judicio* Hildegardæ nupſit. Cur præterea Gallorum oratores tanto æſtu poſtularunt, ut clandeſtina conjugia prohiberentur in Eccleſiæ ſenatu, ſi ad

ad Ecclesiasticos judices non pertinebant? Tandem post Trid. Henricus IV. & Lud. XIII. declararunt in matrimoniis servanda esse, quæ a Conciliis præscripta sunt; ergo &c.

VII. Accedunt rationes. I. Matrimonium ordinatur ad bonum Ecclesiæ, ut nupti fidelium plebem generatione multiplicent. Sed ex D. Thoma in 4. adv. Gent. c. 78. *Quod ad bonum Ecclesiæ ordinatur, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico*; ergo &c. II. Quæ juris sunt naturalis, prout ad Dei cultum referuntur, subjiciuntur legibus Ecclesiastcis, quæ modum cultus præscribunt, e. g. an Deus sacrificiis, an tali observatione festorum, rituumque decentia colendus sit. Sed matrimonium, licet jure naturæ institutum, tamen ob generationem Christianæ plebis, ob caritatis vinculum &c. ad Dei cultum & religionem spectat; ergo &c. Ita noster Gavardi. Ecclesia irritas reddit leges civiles magistratuum circa matrimoniales contractus. Abrogavit enim, ex cap. *Cum secundum Apostolum* de secundis nuptiis, infamiam, qua lege Cæsarum afficiebantur viduæ infra annum iterum nubentes. Ex adverso leges circa matrimonium ab Ecclesia latæ a sæculari principe abrogari nequeunt; ergo &c.

Propositio III. Ubi dicimus ad Ecclesiam spectare causas matrimoniales, Ecclesiæ nomine non veniunt principes sæculares.

Sequitur ex dictis. Et probatur. Nam quæ constitutionibus Rom. PP. & episcoporum judicio statuuntur, ab Ecclesia decernuntur, prout potestatem habet a sæculari distinctam; sed quæ spectant ad matrimonium, decernuntur Rom. PP. & episcoporum judicio; ergo &c. II. Tridentini canones editi sunt adversus Novatores, asserentes, non posse in gradu consanguinitatis aliud statui, quam quæ extant c. 18. Levit. ideoque immerito legibus Ecclesiæ vetitum esse, ne inter se nubant consobrini &c. sed Ecclesiæ nomine accipiunt hæretici hierar-

hierarchiam ſacerdotum; ergo idem intellexit S. Synodus. III. Reges num. 6. Prop. præced, laudati hac de re confugere ad Pontificium tribunal, quod etiam præſtitit, antequam a fide deficeret, Henricus VIII. cum vellet repudiare Catharinam, & matrimonium inire cum Anna Bolena, miſſis ea de re ad Clem. VII. Stephano Gradinero, & Franc. Briano, ut ab eo hanc facultatem extorquerent; ergo &c.

Ob. I. Nequit Eccleſia immutare *materiam* Sacramentorum, ſed talis eſt contractus civilis; ergo &c. R. neg. conſ. Eccleſia enim non immutavit materiam hujus Sacramenti, neque conſtituit pro ea rem aliquam, præter contractum legitimum, ſed tantum definiit qualis contractus in his circumſtantiis legitimus habendus ſit.

Ob. II. Si Eccleſia facultatem habet ſtatuendi hæc impedimenta, eadem quoque inducere poterunt principes ſæculares. I. enim, cum ex prop. I. matrimonium ſit contractus civilis, & ad reipublicæ utilitatem referatur, ſubjici debet juri principum, quorum curæ politicum regimen commiſſum eſt, eoque exui non poſſunt lege ulla Eccleſiaſtica, cum ab imperii auctoritate jus illud ſit indiviſum. II. Eccleſia laudavit plurimas leges principum, & ſervandas mandavit. Nam Theodoſii lex vetans inter conſobrinos connubia laudatur ab Ambroſio. Alias leges vetantes inter conſanguineos matrimonia laudant Siricius, Leo M. Nicolaus I. &c. ergo &c. III. Primis Eccleſiæ ſæculis poterant hæc impedimenta præſcribere fidelibus æque ac infidelibus ſibi ſubditis principes idololatræ, qui ob diverſam ſubditorum religionem jus ſuum non amittebant; ergo debent jure ipſo frui Chriſtiani principes, qui ob fidem, quam tenent, ſua juriſdictione ſpoliandi non ſunt. IV. Galliarum reges irritarunt matrimonia a filiis familias abſque patrum conſenſu contracta, nec non a viris, fœminiſque regii ſan-

guinis; quæ adverſantur Trident. decretis; ergo &c.

R. Huic argumento, quod non exigui momenti eſt, non una eſt Theologorum reſponſio. Quidam, ut Soto, Victoria, Gerbeſius, du-Hamel, Gamachæus, Le Droint, Tournely &c. ajunt etiam principibus in impedimentis matrimonii ſtatuendis jus eſſe ſuum, & in conjugiis ſuas habere partes jus naturale, civile, atque Eccleſiaſticum: quod probant ex D. Thoma in 4. diſt. 34. ubi ait: *Matrimonium, in quantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ; in quantum eſt Sacramentum ſtatuitur lege divina: in quantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur lege civili.* Alii putant præteritis ſæculis jura principum circa cauſas matrimoniales in ſua vi ſtetiſſe, ſed poſtea Eccleſiæ definitionibus fuiſſe abrogata, eo quod Pontifices ea ſibi reſervarint. Ita Sanchez l. 7. de Matrim. diſp. 3. Et quidem Eccleſiam poſterioribus tantum ſæculis nactam eſſe poteſtatem ſtatuendi impedimenta matrimonii, quam ſibi dudum arrogaverant Imperatores, eo quod matrimonium ſit etiam civilis contractus, docent etiam Lupus, & Van-Eſpen, qui tamen non ajunt, principibus ab Eccleſia ademptum jus priſtinum, quod nequit probari.

Alii putant, ſæculares principes nullam habere poteſtatem in iis, quæ ſpectant ad vinculum matrimonii, & nexum contractus, nec circa ejus impedimenta, aut ea, quæ inde neceſſario conſequuntur, ut ſunt firmitas conjugii, prolis conditio, divortium &c. & quæ pendent a ratione contractus, aut ſacramenti: ſæculari autem judicio relinqui acceſſoria, & extrinſeca, quæ ſpectant ſolum ad civilem ſocietatem, ut cauſæ dotis, hæreditatis &c. Ita Bellarminus, Poncius, & Jureconſulti plurimi, quos laudat, & ſequitur Gonzalez in 2. Decretal. tit. 10. c. 3. Idque prob. I. Quia contractus legitimus matrimonii apud fideles nequit ſeparari a ratione Sacramenti, ſed de his ſpectat ad ſolam Eccleſiam judi-

judicium ferre; ergo &c. II. Etsi Sacramentum non foret matrimonium, ad conscientiam tamen spectaret; ergo &c.

III. Christus ipse de repudio, & divortio judicium protulit; Apostolus de conjugio inter fidelem, & infidelem. Concilia ac Rom. PP. sæpe in causis hujusmodi sententiam tulere; ergo &c. Hæc Bellarminus, qui hanc responsionem vindicat a Kemnitii effugiis. IV. Licet contractus matrimonialis in se spectatus subjiciatur principibus sæcularibus, postquam tamen ad rationem Sacramenti evectus est, ad Ecclesiam refertur, ut ordinis Sacramento initiatus, & res Deo sacræ e dominio laicorum subtrahuntur. Ita noster Poncius. V. Hinc Honorius III. cap. *Tuam* de Ord. cognit. ait: *Causam natalium* spectare ad solum forum Ecclesiasticum, causam vero successionis ad politicum. VI. Si princeps statueret impedimentum dirimens, etiam quoad contractum & vinculum, puta si irritaret conjugium invitis parentibus contractum, quod ratum habet Ecclesia, tunc validum hoc esset lege Ecclesiastica, invalidum lege civili, sed hoc est absurdum, quidquid censeat Tournelyus; sic enim posset princeps separare, quos Deus & Ecclesia junxit, si matrimonium hoc posset dissolvere, sin minus, vana essent impedimenta a se constituta; ergo &c. Nec dicas cum Tournelyo, nil tale timendum ex Christianorum principum religione ac pietate. Quid enim, si principes spreta Ecclesiæ auctoritate jus suum exercerent? ergo &c.

Quamvis hæc sententia verior sit, quibusdam tamen exceptionibus circumscribi debet, queis facile objectio expeditur. Prima est, principes, ut juris naturalis custodes, & civilis legis auctores, posse illa impedimenta statuere, quæ juri naturæ sunt consentanea, & ad politicum regimen spectant in omnibus conjugiis politicis, quæ Sacramenta non sunt, ut conjugia infidelium: eaque impedimenda etiam a fidelibus servanda esse, & ab Ecclesia probanda,

cum Christi religio juri naturali, & civili non opponatur, sed utrumque perficiat. Secunda est: quod in conjugiis fidelium, quæ sunt Sacramenta, non debet sese immiscere sæcularis potestas, nisi in rebus accessoriis, ut sunt causæ hæreditatis, & dotis. Tertia est, leges Christianorum principum utiliter constitui, nedum in iis, quæ spectant ad matrimonium, sed etiam in iis, quæ Dei cultum respiciunt, & sacerdotium. Hoc tamen fieri Ecclesia annuente, ut facilius Ecclesiastica statuta promoveantur, ut l. 20. c. 16. prop. 2. dictum est.

Id vero probat objectio præcedens. Nam leges Imperatorum Christianorum latæ sunt ad jura Ecclesiastica promovenda ipsis pastoribus probantibus, leges vero ethnicorum nullam sacramenti rationem habuere, iisque pro legum æquitate, & ratione temporum Ecclesia obtemperavit. Notandum tamen, olim apud ethnicos nuptiarum & adoptionis causas ad eorum pontifices spectasse ex Dione Cassio, Tacito, Tullio, & A. Gellio. Hinc Tacitus l. 12. Annal. temporum injuriæ adscribit, quod senatus post Claudii cum Agrippina connubium, inter patruos, & fratrum filias permiserit matrimonium. Spectabant ex adverso quæstiones hæreditatis ad prætorem. Vide Grævium to. 5. Antiq. R. p. 86. De legibus Gallorum, quoad conjugia inita invitis parentibus, dictum cap. præc. prop. 3. Leges aliæ circa matrimonia regii sanguinis, vel peculiari indulto sedis Apostolicæ latæ sunt, vel vim habent solum, quoad hæreditatem & successionem.

Ob. ult. Leges matrimonii constituit Deus in Levitico; ergo &c. R. neg. cons. Plura enim præscripta sunt in veteri lege, quæ nullam vim habent in Evangelio. II. Non vetuit ibi Deus plura addi in posterum impedimenta, quæ revera statuta esse ostendit Seldenus in *Uxore hebraica.* III. Christus Ecclesiæ contulit, quoad ritus & Sacramenta, amplissimam potestatem; ergo &c.

PROPO-

Propositio IV. Dispensare in impedimentis matrimonii ad Ecclesiam spectat, quae urgentibus tantum causis dispensare debet.

Prob. I. pars. Ex Trid. sess. 24. c. 3. ubi ait: *Si quis dixerit, non posse Ecclesiam in nonnullis* (consanguinitatis & affinitatis gradibus) *dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit.* Prob. II. ratione, necesse est enim, ut dispensatio fiat ab iis, qui habent jurisdictionem, sed haec convenit Ecclesiae; ergo &c. Ubi nota I. Ecclesiam dispensare non posse impedimenta, quae jure naturae, & divino positivo constituta sunt, e. g. circa validum matrimonium, vel impotentiam, sed solum in iis, quae jure Ecclesiastico fuerunt inducta. Hinc Trid. PP. apposuerunt in cit. can. *In nonnullis illorum.*

II. potestatem dispensandi esse in Romano Pontifice, quamvis aliqua, vel ex consuetudine, vel ex Rom. Pont. permissione ab episcopis dispensari queant. Prob. II. pars. Ex Trid. sess. 24. c. 5. ubi legitur: *In matrimoniis, vel nulla detur dispensatio, vel raro, idque ex causa concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam.* Accedit ratio a Trid. producta: id enim aditum cuique aperiret ad leges violandas. Causae autem dispensationis sunt 1. discordiae perniciosae sedatio. 2. Incompetentia dotis. 3. Angustia loci. 4. Infamiae aut scandali periculum. 5. Illustris familiae conservatio. 6. Meritum singulare petentis in Ecclesiam. 7. Aetas puellae annum 24. excedens, & ideo remanens innupta &c. De quibus plura Barbosa, Fagnanus &c.

CAPUT VI.

De nonnullis ad impedimenta matrimonii spectantibus.

Not. Matrimonii impedimenta alia esse *dirimentia*, alia *impedientia*; illa matrimonium irritant, haec impediunt, & faciunt, ne inculpate, & fine

ſine crimine celebretur. Impedimenta dirimentia ſunt 14. hiſce verſibus comprehenſa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis, ſi clandeſtinus, & impos.
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.

De quibus breviter diſtinctis paragraphis diſſeremus.

§. I. De impedimento erroris. *Error*, ut legitur in Decreto 29. q. 1. *alius eſt perſonæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error perſonæ eſt, quando hic putatur eſſe Virgilius, & ipſe eſt Plato. Error fortunæ, quando hic putatur dives, & eſt pauper. Conditionis, quando putatur liber, & eſt ſervus. Qualitatis, quando putatur eſſe bonus, qui malus eſt.* Hæc Gratianus. Error ergo perſonæ, & conditionis, cum ſpectet ad matrimonii ſubſtantiam, nullum reddit conjugii conſenſum. Sicut enim qui paciſcitur ſe Titio agrum venditurum, aut empturum auream laminam, illegitimus eſt contractus, ſi Cajus Titio, auricalchum auro fraudulenter ſupponatur, ita dicendum de matrimonii contractu ex cap. *Tua nos*, de Sponſ. 26. Cum autem conſenſus jure naturæ requiratur ad matrimonium, ad conſenſum autem requiratur actus humanus præcognitus liber, & voluntarius, hoc impedimentum irritat matrimonium de jure naturæ. Nec obſtat exemplum Jacob, qui deceptus pro Rachele Liam accepit. Nam Jacob inſpecta conſuetudine primogenitarum, quam errans compreſſerat, ſciens ac lubens complexus eſt.

Secus tamen de errore fortunæ, & qualitatis dicendum eſt. Cum enim is non ſpectet ad contractus matrimonialis ſubſtantiam, ſed ad acceſſoria, ſtat cum tali errore robur contractus, & hinc firmitas connubii non enervatur. Si quis ergo ducat mulierem pauperem, ignobilem, & corruptam, quam divitem, nobilem, & integram putabat, is conjugii vinculo adſtringitur, niſi conditionatus fuerit aſſenſus: puta: *dummodo hæc fortunæ bona, aut hæ quali-*

qualitates personæ intersint: tunc enim error qualitatis in errorem personæ transit. Si tamen de qualitate, ac fortuna in desponsatione actum esset, in conjugio autem ineundo absolute præstaretur consensus, ratum foret connubium, ex Navarro, Poncio, Sylvio &c. quia error qualitatis non afficeret directe personam, quæ absolute reciperetur in uxorem.

Quæres I. Quid sentiendum sit, si in contrahendo error facti, & scientia juris intersit? puta si contrahentes falso putantes ligari se aliquo impedimento dirimente, e. g. consanguinitatis, quod re nullum sit, ineant connubium, nec ignorent hoc impedimento illud dirimi? R. irritum esse in eo casu matrimonium, consensus enim contrahentium, cum sit actus voluntatis, pendet a judicio mentis; si ergo mens non judicet posse firmari conjugia, nec poterunt firmari deliberato, legitimoque consensu. Valeret tamen cum illo errore facti conjugium, si contrahentes conditionem illam apponerent: *Si possumus, atque impedimentum istud non officit.* Non consensus conditionatus effectum consequitur, quoties conditio impletur.

Quæres II. Quid sentiendum sit de consensu conditionato? R. S. Thomas q. 47. art. 5. ratum esse connubium, si conditio sit *de præterito*, vel *de præsenti*, ut si vir mulierem ducat hac conditione: *Si dives es, si nobilis, virgo &c.* dummodo ea prædita sit his conditionibus, quia statim dominium corporis sui alteri in alterum transfert. At si sit de futuro, e. gr. *Tecum contraho, si pater assentiatur, si dotem promittat &c.* contractus ante conditionem extantem nullam vim habet. Si autem conditio sit *de impossibili*, aut *de re turpi*, ex. gr. *si assentiatur pater defunctus, si occidas fratrem*, cum hæ conditiones substantiæ matrimonii non adversentur, *pro non adjectis*, ex jure canonico, *haberi debent.* Si autem inserantur conditiones contra substantiam conjugii, e. g. *Contraho tecum, si generationem pro-*

lis evites, aut ſi pro quæſtu te adulterandam tradas, ex cap. *Si conditiones*, contractus nullus eſt. Illæ autem conditiones cenſentur adverſari ſubſtantiæ matrimonii, quæ repugnant tribus ejuſdem matrimonii bonis, nempe proli, fidei, & Sacramento.

§. II. De impedimento conditionis. Conditio, de qua hic agimus, eſt ſtatus ſervitutis, quem alter contrahentium ignorat, ubi nota, olim civili jure ſervorum conjugia fuiſſe nulla, tum apud Romanos, cum apud Longobardos, & Gallos. Imo nec inter liberam & ſervum Romano jure nuptiæ ſubſiſtebant: nam libera, poſt trinam monitionem Decemviri a ſervo non ſe ſubducens, cogebatur una cum illo venire in domini poteſtatem. Libertinam quoque ducere vetabantur ſenatores, & hujus filiæ libertos, niſi ob corporis quæſtam, aut artem ludicram fœdaſſent generis qualitatem. Alicubi tamen, *ut in Græcia, Carthagine, & Apulia*, permiſſæ ſunt ex Plauto ſerviles nuptiæ. Inter Chriſtianos autem, licet hi ſervilis eſſent conditionis, non vetantur, ſed ratæ ſunt nuptiæ, etiam invitis dominis contractæ, ex c. *Dignum eſt* de Conjug. ſervorum, nam *in Chriſto Jeſu nec Judæus eſt, nec Græcus, nec ſervus, nec liber.* Hinc Juſtinianus declaravit legitimum connubium: *Si quis ancillam ſuam ſibi ſociaverit in matrimonium.* Idem ſtatuit Pipinus Gallorum rex, & Compendienſis Synodus an. 576. Cabilonen. an. 812. quæ can. 30. ſtatuit, ut ſervi, qui etiam diverſos habent dominos, *in uno conjugio permanentes dominis ſerviant ſuis.* Nec obſtat cit. canone Cabilonenſi, & 40. Baſilii ad Amphil. irritas declarari nuptias ſervorum præter domini ſententiam contractas; nam abrogata eſt priſca illa conſuetudo, quæ Chriſtianæ libertati adverſabatur.

Debent tamen ſervi, etiamſi nubant Dominis ſuis, obtemperare, non tamen invicem ſeparari. Cum conjugii vinculum jure naturali, ſervitus autem humano jure inducta ſit. Quare, ſi mas longe diſtet a fœmina, tenetur, ex Gloſſa, unus dominus ſervum

ſuum alteri vendere. Impedimentum autem conditionis tunc intercedit, quando liber ignoranter contraxit cum ancilla, & ex quo talem eſſe novit, nunquam in matrimonium conſenſit, ex cap. *Dignum eſt*, *&* *Ad noſtram* de Conjug. ſerv. n. 1. & 4. Et ratio eſt, quia is error verſatur circa rem ſpectantem ad matrimonii ſubſtantiam: nam libere contrahens putat poſſe alterum conjugem tradere ſibi plenam ſui corporis poteſtatem, quod tamen non poteſt. Ac præterea officiis ſervilibus a filiis enutriendis, atque inſtruendis impediri poteſt, necnon ab uxoris libera conſuetudine. Secus dicendum, ſi ingenuus ancillam ducat, quam talem eſſe ſciebat, vel ſi ignoranter contrahens, poſtquam novit ancillam eſſe, cum ea rem habuit, tunc enim tamquam uxorem retinere debet ex c. *Propoſuit* de Conjug. ſerv. Nec obſtat c. *Ancillam*, ubi S. Leo ancillam ab uxore ſecernit; loquitur enim S. D. de *ancilla fornicaria*, non de ea, quæ ducta eſt in uxorem.

Quæres: an libera ſit proles, quæ naſcitur ex uno tantum parente ſervilis conditionis? R. Theologi cum D. Thoma q. 57. Suppl. art. 4. quod *partus ſequitur uterum*, & ejuſdem eſt cum matre conditionis.

§. III. De impedimento voti. Votum, de quo hic agimus, eſt illud, quo quis proponit cœlibem vitam agere oblatione corporis ſui Deo facta, & duplex eſt, *ſolemne per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſſionem factam alicui de religionibus approbatis*, & hoc dirimit matrimonium, ex capitibus. *Neque veduas*, *Quæ Chriſto*, *Viduas quæ ſpontanea*, *Si quis ſacro* 27. q. 1. &c. & ex Trid. ſeſſ. 14. c. 9. Simplicia vota ſunt ea, quæ, *etſi quandoque matrimonium impediant, non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta.* Ita Bonifacius VIII. in 6. ex cap. *De voto, & voti redemptione.* Si quæras, undenam inter ſimplex & ſolemne votum interſit diſcrimen, cum utrumque ſit promiſſio Deo facta, ac

ſimplex etiam irritet ſponſalia poſtea ineunda? R. I. Id conſtare ex Eccleſiæ definitionibus. II. dicimus votum ſimplex eſſe ad ſolemne, ſicuti ſponſalia ad matrimonium de præſenti: in voto ſimplici intelligi quandam ſervandæ virginitatis promiſſionem, in ſolemni autem conſecrationem, & ſui corporis cæleſti ſponſo traditionem. Quare, ſicut ſponſalia de futuro ſolvuntur per ſequentia de præſenti, ita vota ſimplicia, quæ ſunt promiſſio tantum, dirimuntur per contractum matrimonialem de præſenti.

Quæres: an votum ſolemne religionis dirimat matrimonium *ex ſui natura*, an jure tantum Eccleſiaſtico? R. Noſtrates cum Baſilio Poncio, Vanroy, Gavardi, nec non cl. Jureconſultis Gonzalez, & Wan-Eſpen: ex jure Eccleſiaſtico. I. enim voti ſolemnitas ſola Eccleſiæ conſtitutione inventa eſt, ex Bonifacio VIII. loc. cit. II. diſcrimen illud voti ſolemnis & ſimplicis, quorum unum non alterum conjugia dirimat, primitus inductum videtur ex can. 7. Concilii Rom. an. 1139. III. Can. 16. Chalced. habetur, poſſe *fieri humanitatem* virgini & monacho, qui, poſtquam ſe Deo dedicaverunt, matrimonio jungantur. Alii autem canones hæc matrimonia cenſuris & pœnitentiæ ſubjiciunt, non tamen irrita declarant. Et S. P. A. de Bon. Vid. improbat ſententiam eorum, qui aſſerebant: *Lapſarum a ſancto propoſito fœminarum, ſi nupſerint; non eſſe conjugia.*

At D. Thomas, Bonaventura, Major, Soto &c. cenſent, ſolemne votum dirimere ex ſui natura matrimonium. Quod probant, ex quo per hoc votum homo abdicaverit a ſe corporis ſui poteſtate, eamque tradiderit Deo, & ex aliis momentis, quæ collegit Sylvius in art. 2. qu. 53. Suppl. Quidquid ſit, putamus nunquam ſanctimonialium monachorumque rata fuiſſe conjugia; ſi ergo hæc lege Eccleſiaſtica nulla ſunt, vetuſtiſſima hæc lex eſt cenſenda. Nam Innocentius I. Virginibus, quæ *non-*
dum

dum ſunt ſacro velamine tectæ, ſi nupſerint, aliquanto tempore pœnitentiam agendam eſſe; ergo iis, quæ fuerint hoc velamine tectæ, non fuit indultum ut nuberent. Hujuſmodi plures alios canones profert Lupus ad can. 16. Conc. Chalced. At S. P. poteſt commode exponi de *voto ſimplici.* Chalcedonen. autem canon conjugia monachorum, & S. virginum irrita declarat ex Balſamone, Arſenio &c. & facultatem facit epiſcopis exercendæ in illos *humanitatis*, abſolvendo nempe a cenſuris ob inceſtas nuptias contractis. Ex prima ſententia Rom. Pontificem in voto ſolemni diſpenſare poſſe facile intelligitur, quia hoc votum lege tantum Eccleſiaſtica dirimit matrimonium, licet ab eo diſpenſare poſſe cenſeant cl. Theologi, etſi votum eſſet impedimentum dirimens natura ſua, uti diſpenſare poteſt in matrimonio rato, non conſummato.

§. IV. De impedimento cognationis. Cognatio triplex eſt, naturalis, legalis, & ſpiritalis. Naturalis ab Oſtienſi definitur: *Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, vel aſcendentium carnali propagatione contractum. Stipes, radix, vel truncus*, eſt perſona illa, a qua conſanguinei originem ducunt, aut in quo colligantur, ut reſpectu duorum filiorum pater, duorum nepotum avus: conſtituitque vir & uxor, utpote *una caro*, ſtipitem unum. In conſanguinitate diſtinguunt canoniſtæ gradus, ſeu majorem vel minorem diſtantiam, qua conſanguinei inter ſe diſtant. *Lineam* vero vocant conſanguineorum collectionem ordinatam, qua ab uno ſtipite deſcendunt, & ad eum referuntur: & duplex eſt, recta, quarum una eſt aſcendentium, altera deſcendentium, & *tranſverſa*, ſeu *collateralis.*

Recta eſt collectio perſonarum, quarum una ab alia procreatur, eſtque deſcendentium, ſi a ſtipite progrediatur ad poſteros, aſcendentium, ſi ab his aſcendatur ad ſtipitem: tranſverſa eſt, in qua ambo ab eodem ſtipite deſcendunt, & a latere ſe ſpectant,

ita

ita avus, pater, filius ſunt in linea recta, fratres, & ſorores, patrueles, conſobrini in tranſverſa. In linea *recta* tot gradibus unus ab alio diſtat, quot ſunt perſonæ, una dempta: ſic pater a filio diſtat uno gradu, avus a nepote duobus. Idem evenit in *tranſverſa* æquali, ſeu quæ utrimque æque diſtat a ſtipite, ita duo fratres uno gradu diſtant, eorum filii duobus, at in tranſverſa inæquali, in qua ex uno laterum plures, ex altero pauciores perſonæ numerentur, tot ſunt gradus, quot perſonæ a latere magis diſtant , dempto ſtipite: ſic frater & ſororis filius 2. gradu diſtant, filii autem conſobrini, vel patruelis gradu 3. In jure tamen civili non excluditur ſtipes, ac duo fratres duobus gradibus diſtant.

Not. Fuerunt olim connubia vetita etiam in ſeptimo gradu ex can. 10. Conc. Aurelian. ann. 538. At S. Greg. M. in ep. 64. ad Aug. Angl. epiſcopum indulſit, ut *tertia*, *vel quarta generatione* fideles jungerentur. Jam vero in Lateran. c. 50. prohibitio conjugii inter conſanguineos ad quartum gradum ſtatuta eſt.

Quæres: quinam conſanguinitatis gradus, jure naturæ dirimat matrimonium. R. I. In primo gradu lineæ rectæ inter patrem & filiam, filium & matrem: quod conſtat ex communi hominum ſenſu ac reverentia parentibus debita. Hinc Tertullianus in Apol. c. 9. velut probrorum omnium maximum cenſet, quod nonnulli Perſarum in tam enorme ſcelus prolapſi fuerint. Et Ambroſius ep. 28. ait: *Ne pater filiam ſuam accipiat uxorem interdictum eſt, jure naturæ.* Id etiam lege civili interdictum eſt ex l. *Nuptiæ* ff. De ritu nuptiarum nu. 53.

II. Etiam in primo gradu lineæ *tranſverſæ*, ideſt inter fratres, & ſorores videtur matrimonium adverſari juri naturæ: nam S. P. A. l. 5. C. D. c. 16. perverſas vocat ethnicorum leges, *quæ permittunt fraterna conjugia*, ut fecerunt Athenienſes, qui probarunt olim connubia fratrum, ex Minucio in Octa-

Octavio, licet lege Solonis fas esset ducere solum *germanas uterinas*, at non eodem patre progenitas.

Videtur etiam hoc juris naturæ impedimentum agnovisse Conc. Trid. Statuens enim, in secundo gradu non dispensandum, nisi inter magnos principes, supponit in primo nunquam omnino dispensandum. In aliis gradibus nullum est impedimentum jure naturæ: nam ex cap. *Gaudemus* De divortiis n. 8. Innocentius III. definiit, paganos, qui *in secundo, vel tertio gradu sibi conjunctas* uxores duxerunt, post conversionem suam posse *insimul remanere*, eo quod a paganis, qui constitutionibus canonicis non arctantur, *matrimonium licite sit contractum*. In quibus autem gradibus jure divino prohibeantur conjugia eruitur ex c. 18. Lev. & ex seq. versibus: *Nata, soror, neptis, matertera, fratris & uxor, & patrui conjux, mater, privigna, noverca, uxorisque soror, privigni nata, nurusque, atque soror patris conjungi lege vetantur.*

Cognatio legalis oritur ex adoptione alienæ personæ in filium ab iis facta, qui filiis, aut nepotibus carent. Frigidi & impotentes, qui filios naturaliter procreare non possunt, ex 2. ff. *de Adoptione*, adoptare nequeunt. Spadones tamen & in sacris ordinati, si attigerint 25. ætatis annum, possunt adoptare. Fœminæ autem ex privilegio tantum principis. Duplex est autem adoptio, nempe *arrogatio*, & *simplex adoptio*. Prima fit *rogando* adoptatum, an velit in patrem habere adoptantem, & vicissim: quo casu constituitur adoptatus illius hæres, ac si naturalis esset filius. Simplex adoptio est, quæ fit sine principis rescripto, & per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, nec jus ad hæreditatem nancifcitur, licet *ab intestato* sit hæres adoptantis.

Sola autem cognatio *ex arrogatione* dirimit matrimonium ex Silvestro, Soto, Sanchez, Ledesma, Silvio, aliisque. In cognatione legali, ut in naturali attendendæ sunt duæ lineæ, *recta*, & *lateralis*:

in

in recta impedit matrimonium usque ad quartum gradum inter adoptantem & adoptatum, hujusque posteros, ut docent Estius, & Vanroy. In linea *transversa* est impedimentum inter filium adoptatum, & inter filiam naturalem adoptantis, sed adoptione soluta possunt inter illos nuptiæ consistere, ex cap. *Si qua* unico de cognat. legali.

Cognatio spiritalis est, quæ jure Ecclesiastico oritur ex administratione & susceptione duorum Sacramentorum baptismi, & confirmationis. In baptismo ex Trid. contrahitur tantum inter baptizantem & baptizatum, & baptizati matrem, & patrem. Idem de confirmatione dicendum est. Hinc susceptores nullam contrahunt cognationem inter se, & si conjuges sint, & alterius prolem suscipiant, possunt invicem debitum exigere. Baptizatus item, aut confirmatus nullam cognationem contrahit cum suscipientium fratribus, sororibus, & consanguineis.

§. IV. De impedimento criminis. Crimen, quo matrimonium dirimitur, est adulterium, aut homicidium, machinatione facta in necem alterius conjugis, aut fide futuri matrimonii præmissa. Contrahitur hoc impedimentum I. Si vir ei, quam polluit adulterio, fidem dederit uxore sua vivente, quod eam hac demortua ducet in uxorem, ex cap. *Si quis vivente* 31. q. 1. n. 5. II. Si vir cum ea, quam adulterio vitiat, conspiravit in necem conjugis, sive mortis machinatio adulterium præcesserit, sive fuerit subsecuta, ex cap. *Significasti* eodem titulo. III. Si occisio conjugis ex mutua conspiratione sequatur, licet nullum antea, vel post accesserit adulterium. IV. Si adulter in mortem uxoris conspiraverit, sive fidem dederit eam ducendi, sive non. Secus, si alterius virum casu aut rixa occiderit, non autem ejus uxorem ducendi animo, vel si mortua uxore contrahat cum ea, quam ea viva absque ulla fidei datione cognoverat, dummodo neuter in mortem defunctæ sit machinatus.

§. V.

§. V. De impedimento diſparis cultus. Hoc impedimentum, quod extat inter baptizatum, & non baptizatum, lege Eccleſiaſtica ſtatutum eſt. Cum neque naturali, neque divina lege hoc matrimonium irritum cenſeatur. Conſtat enim Joſephum, Iſmaelem, Eſau, Eſther, Salomonem, Roboamum &c. cum ethnicis, & alienigenis iniiſſe connubia, quæ irrita, aut nulla fuiſſe non legimus. Hinc Apoſt. 1. Cor. 7. præcipit, ut, *ſi quis frater, aut mulier uxorem habet, vel virum infidelem, & conſentit habitare cum illo, non dimittat.* Nam & S. Mater Monica, Patricio a fide alieno nupſit, atque is ex illius conſuetudine ad fidem converſus eſt. Hinc filii ab ea ſuſcepti, quæ ante baptiſmum fuit uxor, legitimi dicendi ſunt, non *naturales, aut ſpurii*, & jus habent ad hæreditatem. Verum cum matrimonium in diſpari cultu contractum ſubverſionis periculo non careat, ideo hujuſmodi conjugia fuiſſe communiter prohibita, licet aliquando propter gentium converſionem contigiſſe legantur, docent, ut diximus, Tertullianus, Ambroſius, & Hieronymus. Quo factum eſt, ut Eccleſia diſparitatem cultus inter matrimonii impedimenta recenſeat, ut obſervat S. Thomas q. 59. ſuppl. art. 1. *Nam ſi conjuges ſint diverſæ fidei intentio unius alterius intentioni contraria erit, & ita inter eos non poteſt eſſe conveniens matrimonium.* Adde ex Cypriano, & Aug. de Fid. & Op. c. 19. *nihil aliud eſſe jungere cum infidelibus vincula matrimonii, quam proſtituere gentibus membra Chriſti.*

§. VI. De impedimento violentiæ, ſeu coactionis. Vis & coactio etiam jure canonico & naturali matrimonium dirimit. Jure canonico ex Tolet. III. ann. 589. can. 10. ex Hormiſda, & Urbano apud Ivonem p. 8. c. 23. & 24. Accedit Trident. ſeſſ. 24. cap. 9. ubi vetat ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda *omnibus cujuſcumque gradus exiſtant*, ne aliquem cogant, quo minus libere contrahat matrimonium. Quod naturali etiam jure firmatur.

matur. Nam conjugium facit plene liber aſſenſus, is autem deeſt, ſi vi aut metu extorqueatur contractus. Sed quia *inter vim & vim differentia eſt*, ut ait Innocentius III. cap. *De muliere* de Sponſ. num 6. oportet diſtinguere violentiam, qua extrinſecus impellente aliquis movetur renitens omnino & invitus, & violentiam alteram, qua metu incuſſo aliquis eligit, quod ſecluſo metu illo non eligeret. Prima violentia, utpote ſejuncta ab omni deliberatione, omnem conſenſum excludit. Secunda autem tunc dirimit matrimonium, quando eſt metus cadens in virum conſtantem, non vero ſi levis ſit.

Metus cadens in virum conſtantem eſt ille, quo vir, ut gravius malum evadat, e. g. mortem, mutilationem, exilium, levius malum amplectitur, ut ſolutionem pecuniæ &c. Metus levis eſt, cum ob minimum incommodum vir imbecillis præbet aſſenſum, prior metus, non poſterior, impedit matrimonium. Cenſetur tamen metus gravis etiam ille pavor puellarum, quæ cum parentes habeant auſteros, illorum juſſu & comminatione eligunt nuptias, a quibus abhorrent.

Perſiſtit quidem in iis, quæ ex metu fiunt, ratio liberi & voluntarii, eſt in contractibus ad humanam ſocietatem inſtitutis hæc a legibus addita eſt conditio, ut ſint nulli, ſi terroribus, & minis fiant. In contractibus autem matrimonialibus adeſt ratio quædam peculiaris, ob quam irriti eſſe debent, ſi ſint violenter extorti: cum conjugium ſit conjunctio perpetua, retineatque individuam conſuetudinem, neque actionem ullam admitteret, ſemel ac eſſet legitimus, & ex ſe ratus.

Hinc canones ſtatuunt, ut ubi timetur ne puellæ violentia inferatur, tuto honeſtoque loco detineatur: ut improbetur ſtipulatio contractus, in quo pœna imponitur parti contravenienti: ut mulier, quæ ſe nupturam juravit, & poſtea ſervare renuat

renuat quod juravit, moneatur quidem, ſed non cogatur. Si tamen uxores reclament, ſe nunquam in matrimonium conſenſiſſe, viri autem legitime probent oppoſitum, ad implendum juramentum nuptiarum, quod libere præſtitere, omnino teneantur ex cap. *Conſultationi* De ſponſalibus & matr. Licet autem vis & coactio matrimonium impediat, ſi tamen poſt violentiam intercedat conſenſus, aut cohabitatio ſpontanea excludat probationem coactionis, juxta cap. *De muliere &c*, conjugium per vim contractum convaleſcit: ſecus, ſi invita contrahat, & ſe cognoſci non ſinat, ex cap. *Veniens* De ſponſalibus.

§. VII. De impedimento ordinis, ligaminis, & honeſtatis. Minores ordines matrimonium non impediunt, niſi forte ratione voti & religioſæ profeſſionis, ut docent Greg. M. & Humbertus, & conſtat ex praxi Eccleſiæ. Impediunt ergo ordines ſacri, inter quos comprehenditur etiam ſubdiaconatus, ut definit Alexander III. in 4. Decr. tit. 6. Imo Clerici ipſi Græcorum nequeunt matrimonio jungi poſt ſubdiaconatum ex can. 6. Trull. Hinc Trid. ſeſſ. 24. can. 9. ait: *Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, anathema ſit.* Græci autem, quibus ante ſacros ordines uxores unam, & virginem ducere permiſſum eſt, ſi poſt ſacram ordinationem, defuncta uxore, aliam ducant, vel ſi non habeant, ducere præſumant, ex Conſt. Bened. XIV. *Etſi paſtoralis*, puniuntur excommunicatione latæ ſententiæ & ab ordine ſtatim deponendi ſunt. Tenentur etiam, ex eadem Conſtit. ſaltem per triduum, ab uxoribus abſtinere ante ſacrum.

Impedimentum ligaminis eſt matrimonium cum alia uxore antecedenter contractum. De hoc ait Hieronymus: *Una coſta in unam uxorem verſa eſt. Et erunt, inquit, duo in carne una, non tres, ne-*

que quatuor. Ubi nota I. matrimonium, quo aliud dirimitur, esse matrimonium ratum, *per verba de præsenti*, nam sponsalia *de futuro* solvuntur per sponsalia *de præsenti.* II. Matrimonium ratum nullum reddere subsequens matrimonium etiam carnali copula consummatum. III. Mulieres viris junctæ rursus contrahere prohibentur, donec certum nuncium de illorum morte recipiant, ex cap. *In præsentia* De sponsalibus.

Impedimentum *publicæ honestatis* oritur ex sponsalibus, & matrimonio *rato*, non consummato: & ita dicitur, quia Ecclesia inhonestum putat nubere cum sponsæ vel uxoris suæ, etsi non cognitæ, consanguineis. Hoc impedimentum nullum est si sponsalia, non sint valida, si autem valida sint, ex Trid. primum gradum non excedit. Persistit autem hoc impedimentum, licet sponsalia mutuo consensu solvantur, ut definiit ann. 1658. Congr. Concil. idque etiam post mortem sponsi, vel sponsæ; impedimentum enim semel contractum solius Ecclesiæ auctoritate dissolvitur. Hoc impedimentum, si contrahatur ob matrimonium ratum, usque ad quartum gradum extenditur, ut definit S. Pius V. ann. 1568. definitio ergo Trid. spectat solum sponsalia de futuro. Cumque Trid. nihil innovarit circa impedimentum ex matrimonio rato, sive ex sponsalibus de præsenti, sequitur induci impedimentum hoc, licet matrimonium ratum nullum sit ratione consanguinitatis, affinitatis, impotentiæ &c. *Dummodo non sit nullum defectu consensus*, ex c. unico *Ex sponsalibus* in 6. l. 4. tit. 1. Vide Vanroy c. 4. q. 9.

§. VIII. De impedimento affinitatis. Affinitas est propinquitas orta ex viri mulierisque consummato concubitu, sive licito, sive illicito. Contrahitur inter virum, & consanguineos mulieris, & vicissim, non autem inter consanguineos utriusque: nam *affinitas*, ex communi effato, *non parit affinitatem.* Nec fratres, vel sorores unius conjugis affines

affines fiunt fratrum, aut fororum alterius. Neque affinitas fequitur, nifi fequatur concubitus. Hinc obfcœne puellam urgere absque effectu carnali, carnale vinculum non infert. Requiritur etiam ut concubitus ifte fit naturalis ex cap. *Extraordinario* 35. q. 3. num. 2. Affinitas lineas, & gradus habet, ut confanguinitas. Tanta ergo erit diftantia *affinitatis* inter virum, & confanguineos mulieris, quanta eft confanguinitatis diftantia inter mulierem, ejufque confanguineos. Sic in linea recta uxor eft affinis in primo gradu cum focero, five patre mariti, in fecundo cum avo, & fic deinceps. In linea autem laterali primus gradus affinitatis eft uxoris cum fratre, aut forore viri, fecundus cum viri nepote vel nepte. Affinitas olim ufque ad feptimum gradum impediebat, at ex Trid. c. 4. feff. 24. ad eos tantum reftringitur affinitas ex fornicatione contracta, qui in primo & fecundo gradu junguntur. Quæ vero ex honefto concubitu & matrimonio provenit, ufque ad quartum. Si vir cognofcat fororem uxoris fuæ, aut hujus filiam, nequit petere debitum, fecus fi comprimat confanguineam uxoris in tertio, vel quarto gradu, quia concubitus illicitus impedit tantum in primo & fecundo. Affinitas ergo non folvit matrimonium ratum, cui fupervenit, fed impedit contrahendum, licet interfint fponfalia, ipfumque matrimonium dirimit, fi ante difpenfationem contrahatur.

§. IX. De impedimento impotentiæ. Hæc eft coeundi impotentia. Eaque vel ex naturali caufa oritur, vel ex maleficio: atque adeffe creditur, ubi id fatetur uterque. Si autem vir afferat, & neget mulier, viro potior fides habenda eft, nifi per infpectionem & judicium vera affertio mulieris comprobetur. Hæc autem impotentia *cohabitatione triennii* comprobanda eft. Naturalis impotentia ex parte viri adeffe dicenda eft, fi naturæ fit frigidæ, aut aliis de caufi ad actum conjugii cenfeatur in-

eptus, dummodo ope medicorum nequeat impotentia illa juvari, ex cap. *Requisisti* 33. q. 1. nu. 2. Impotens etiam est spado utroque teste exsectus, qui non prolifico semine potest rem uxoriam exercere. De hoc plura Sixtus V. Const. 59. *Cum frequenter*. Idem dicendum de pueris ad gignendum nondum aptis, ex cap. *Tuæ nobis* de despons. impub.

Ex parte fœminæ hoc impedimentum oritur ex *arctatione*, cui nequeat absque corporali periculo mederi, ex c. *Fraternitatis* de Frig. & malef. n. 6. Negant proinde nonnulli, mulierem incisioni cogendam esse. In cit. c. *Fraternitatis* legitur, mulierem adeo arctam, ut a nullo potuerit deflorari, posse per judicium Ecclesiasticum ab eo sejungi, & alteri nubere, cui arcta non sit; quod non multo ante in nobilissima fœmina certum est contigisse. Falluntur ergo qui putant nullam dari impotentiam *respectivam*, quæ dirimat matrimonium: quæ sententia, licet vera esse possit de impedimento frigiditatis, quod ex eventu constat non adfuisse, vel non fuisse perpetuum, vera non est, si loquamur de impedimento *arctationis*, quæ etsi perpetuum non fuerit absolute, perpetuum tamen erat *respective*, idest relate ad virum, cum quo mulier primum contraxerat, quia is eam nunquam deflorare potuerat.

Verum si hæc impotentia superveniat contracto jam matrimonio, hoc non dirimitur, ex cap. *Si uxorem* 32. q. 5. n. 18. Senes etiam effœta ætate impotentes *ad humanitatis solatium* cum uxoribus morari debent. Maleficium, quo connubia impediuntur, est *fascinatio*, cujus vi conjuges devinciuntur, ne coire valeant, quod Deo permittente arte dæmonum fieri posse dubium non est, cum id dæmonum facultatem non excedat. Hæc autem *perpetua*, ac dirimens conjugium censetur, si per triennium Ecclesiasticis remediis, oratione, jejunio &c. sanari nequeat. Vide Auctorem l. 10. cap. 21.

§. X.

§. X. De raptus impedimento. Raptus eſt violenta mulieris abductio ad contrahendum cum ea matrimonium, aut ad explendam libidinem. Raptor ergo non eſt, qui conſentiente muliere ipſam a parentibus invitis abducit, ex cap. *Cum cauſam* De raptoribus. Statuunt hoc impedimentum etiam leges civiles ex cod. Theodoſii l. 9. tit. 24. & ex cod. Juſtiniani eodem tit. Apud Gallos eſt etiam raptus ſubornatio puellarum, quæ abſque expreſſo parentum, aut tutorum conſenſu abducuntur, ſi 25. annum non attigerint, & raptores capite plectuntur, & excommunicantur. Et cap. *Placuit* decernitur, ut raptores raptas fœminas non habeant uxores, licet inter ſe conveniant, & parentes aſſentiantur. Verum Trid. Synodus ſtatuit ſeſſ. 24. nullum eſſe matrimonium, *quandiu ipſa*, rapta, *manſerit in poteſtate raptoris*, a quo poſſe ait in uxorem duci, quando *in loco tuto*, *& libero conſtituta*, *illum in virum habere conſenſerit*; raptorem tamen eo etiam in caſu ipſo jure eſſe excommunicatum, non ſecus ac *omnes raptori conſilium*, *& favorem præbentes*. Mulierem vero jubet arbitrio judicis decenter a raptore dotandam, *ſive eam duxerit*, *ſive non*.

§. XI. De impedimentis non dirimentibus. Dicuntur vulgo *impedientia*, quia impediunt quidem licite fieri, ſed facta matrimonia non dirimunt. Sunt autem his verſibus comprehenſa: *Eccleſiæ vetitum*, *necnon tempus feriatum*, *atque catechiſmus*, *crimen*, *ſponſalia*, *votum*. I. Eſt Eccleſiæ inhibitio: vetare enim poteſt ne conjugia jungantur judex Eccleſiaſticus pendente lite circa matrimonium, ex cap. *Tua nos* De ſponſ. & parochus, ſi illi denuncietur aliquod impedimentum, vel hujus ſuſpicio oriatur cap. *Cum inhibitio* ibidem.

Quæres, an matrimonium irritum fiat, ſi illud vetet Rom. Pontifex? R. Si in prohibitionis formula, inſit clauſula irritans matrimonium, erit nullum, ſecus, ſi non adſit: & ita conciliantur

canones, qui hac de re videntur oppoſiti. II. Tempus feriatum eſt, quo nuptiæ vetantur, *ab adventu Domini, uſque in diem Epiphaniæ, & a feria 4. Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ*, ex Trid. ſeſſ. 24. Hæretici hoc impedimentum novitatis damnant, & tyrannicæ ſuperſtitionis, cum tamen ab anno 364. vel 357. Laodicena Syn. 52. ſtatuerit: *Quod non oportet in Quadrageſima nuptias, vel natalia celebrare.* III. Catechiſmi nomine intelligitur ceremonia illa, qua ſuſceptor baptizati infantis reſpondet interrogationibus, quæ fiunt ante fores Eccleſiæ, & quæ fiebant olim catechumenis: qua ceremonia contrahitur ſpiritalis affinitas. IV. Crimen hoc loco eſt grave ſcelus, propter quod antiqui canones flagitioſis vetabant contrahere cum quavis perſona, licet non conſcia criminis. Tale eſt inceſtus, raptus alienæ ſponſæ, mors illata uxori, vel ſacerdoti, aliaque omnia, quæ publicæ pœnitentiæ ſubjiciebantur: hac autem ſublata ſola crimina dirimentia attendi ſolent, de quibus ſupra. V. *Sponſalia* faciunt, ut matrimonium cum alia muliere initum, ob promiſſi violationem, culpa non vacet, licet illud non dirimat ex ſupradictis. VI. Votum denique ſimplex matrimonium impedit, non dirimit, vide paragraphum 3.

CAPUT VII.

De clandeſtinis conjugiis.

Not. I. Clandeſtinum dicitur, quod clam peragitur, unde *conſilia clandeſtina* apud Cæſarem l. 7. de Bello Gall. Matrimonium clandeſtinum eſt, quod absque forma a Conc. Lateran. IV. præſcripta, & confirmata ad Trid. ſeſſ. 24. c. 1. ideſt non præmiſſis proclamationibus, nec præſente parocho, vel alio ſacerdote, & duobus, vel tribus teſtibus contrahitur. Cum autem ipſa Trid. Synodus declaret, hæc clandeſtina conjugia, *quandiu Eccleſia ea irrita non fecit*, rata & vera matrimonia fuiſſe, & ali-

& aliunde non possit Ecclesia mutare, quæ spectant ad Sacramenti substantiam, idest materiam & formam, quæritur, an post illam definitionem sint rata?

Not. II. Ante Trid. Synodum clandestina connubia rata fuisse, eaque a Lateran. Synodo improbata esse, non irrita declarata, imo adhuc valida esse, ubi Trid. Concilium non fuit promulgatum, quia ipsum Conc. declaravit, suam definitionem de clandestinis conjugiis suum robur habere post 30. dies, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ. Sit ergo

Propositio I. Licet clandestinæ nuptiæ ante Trid. ratæ fuerint, semper tamen ab Ecclesia sunt improbatæ.

Prob. I. pars I. ex c. 3. libri hujus prop. 2. ubi ostendimus juxta legem naturæ sufficere ad matrimonium contrahendum liberum contrahentium consensum. II. Ex jure canonico, ac præsertim ex capitib. *Matrimonium quidem, Sufficiat, Omnis res* 27. q. 2. III. ex Trid. sess. 24. c. 1. ubi ait: *Dubitandum non est, clandestina matrimonia rata, & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.* IV. ratione. Congruit enim naturæ, ut unus sponte ac libere conjugem se se tradat alteri, & cum ipso ineat individuam vitæ consuetudinem: reliqua vero ad eam necessitudinem firmandam sunt humani instituti; ergo &c.

Prob. II. pars. Ex cap. *Aliter* 33. q. 5. ubi legitur: *Legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, uxor petatur, a parentibus sponsetur, & a sacerdote benedicatur: aliter vero præsumpta, non conjugia, sed adulteria esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.* Quibus verbis, licet non irritentur clandestina conjugia, ut Poncio visum est, ostenditur tamen ea in se inspecta vix distingui ab illegitimis contuberniis, & eandem turpitudinem præseferre ad adul-

teria, licet propria voluntate rata esse queant. Hinc Tertull. de Pudic. c. 4. ait: *Penes nos occultæ conjunctiones, idest non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* Accedunt canones, & leges civiles, quibus clandestina connubia inhibentur. Unde Innocentius III. & Conc. IV. Lateran. illegitimam declaravit sobolem ex clandestinis conjugiis susceptam; & Trid. c. 1. animadvertit, gravia inde oriri peccata: *Dum in clandestinis nuptiis, priore uxore, cum qua clam contraxere, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt*; ergo &c.

Propositio II. Potuit Trid. & recte se gessit, hæc irritando connubia, quæ posthac & noxia, & nulla sunt.

Prob. I. pars. I. Licet enim Christus *materiam* hujus Sacramenti constituerit civile contractum, qui jure naturæ exigit liberum contrahentium consensum; non tamen excedit limites auctoritatis Ecclesiasticæ talem formam, conditionemque præscribere, qua non apposita censeantur personæ inhabiles ad contrahendum: nec inde sequitur immutari materiam, nam eadem materia est civilis contractus, de cujus ratione est, ut præter consensum liberum, subjiciatur conditionibus humana lege præscriptis, sine quibus nudus consensus non sufficit. Sed hoc præstitit Tridentinum, præter liberum consensum, præscribens præsentiam parochi, & testium, & sine hac conditione declarans personas ad contrahendum inhabiles; ergo &c.

Prob. maj. pluribus exemplis. Nam professio religiosa ante ann. 16. emissa irrita declaratur, nedum a Trid. PP. sess. 24. sed etiam ex cap. *Ad nostram*, & *Significatum est* in 3. Decr. tit. 31. de Regularibus. Nulla etiam Ecclesiastico jure declarantur matrimonia inter consanguineos, licet ea naturæ legi non adversentur. Idem dicendum de peccatis episcopo, aut Rom. Pontifici reservatis. Tandem quod jus naturæ statuit de libero assensu in matrimonio, statuit etiam in aliis contractibus, ex. gr. ven-

venditionis, alienationis &c. ſed hi jure humano nulli ſunt, niſi ſub certa forma civili jure præſcripta, ergo a pari. II. Contractus civilis ad bonum commune ordinatur, ſed hoc ſubjici debet certis legibus, ſine quibus bonum commune læderetur, ut fieret in contractibus a prodigo, vel pupillo factis, qui ea de re abrogantur l. 1. ff. de Curat. furioſi & l. *Pupillus* ff. de regulis juris: & multo magis in cland. contractibus, quibus ut plurimum læditur fides conjugalis, beneficium prolis, & gratia Sacramenti, ut PP. Trid. demonſtrarunt, ex Pall. l. 22. c. 4. ergo &c.

Prob. II. pars ex verbis Trid. ſupra cit. prob. 2. prob. 1. Deinde hæc conjugia eſſe irrita conſtat ex his verbis Tridentinæ Synodi: *Qui aliter, quam præſente parocho, vel alio ſacerdote, & duobus vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus nullos, & irritos eſſe decernit, & annullat*, ſed in his Eccleſia non exceſſit, ut conſtat ex ſupradictis, cum non ſemel duos ad contrahendum ineptos declaraverit. puta conſanguineos, uxoricidas, affines &c. ergo &c.

Ob. I. decretum illud latum eſt a Trid. PP. reluctantibus S. R. E. Card. Simoneta, Morono, Madrutio, Patriarcha Jeroſ. aliiſque, teſte Pallav, l. 23. c. 9. ergo &c. II. In eo contradictoria enunciantur, nempe clandeſtina connubia rata & vera fuiſſe, *quandiu Eccleſia ea irrita non fecit.* Item *illa ſemper Eccleſiam eſſe deteſtatam.* Quid autem abſurdius Eccleſiam deteſtatam eſſe vera Sacramenta? Hæc Sarpius. III. Hæc conjugia jure naturæ olim rata erant; ergo & nunc, cum jus naturæ immutabile ſit. IV. Nequit Eccleſia immutare materiam Sacramentorum; ergo &c. V. Parochi præſentia non fuit ſemper neceſſaria ad matrimonii contractum; ergo ea eſt accidentalis, & adventitia: ſed quod tale eſt, nequit Eccleſia conſtituere pro eſ-

ſentia Sacramenti, alias poſſet irritum reddere baptiſmum &c. ergo &c. VI. ex eo decreto majus emerſit incommodum. Ubi enim antea clandeſtine contrahentes innoxie conveniebant, poſthac in perpetua fornicatione verſantur; ergo &c.

R. ad I. neg. conſ. Nam laudati PP. re melius diſcuſſa, in eandem ſententiam, ex Pallavicino cit. loco, deſcenderunt. Ad II. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Eccleſia ea matrimonia deteſtabatur per ſe, neg. per accidens, & ex hominum pervicacia, quo ſenſu execramur quævis Sacramenta ſacrilege adminiſtrata, aut ſuſcepta, conc. Ad III. neg. conſ. Non enim jus naturæ pervertitur, ſed perficitur, cum ei humanis legibus apponuntur conditiones ad bonum commune directæ. Vide prop. 2. n. 2.

Ad IV. neg. conſ. Nam etiam nunc contractus civilis eſt hujus Sacramenti materia, neque hæc immutata cenſenda eſt, ex quo Eccleſia juſta de cauſa quoſdam ad contrahendum ineptos declaraverit, ut ſupra dictum eſt. Id etiam lege civili ſtatutum eſt, quoad prodigos, & pupillos. Ad V. R. Non ſemper quidem neceſſariam fuiſſe præſentiam parochi & teſtium, ſed ſemper neceſſarium fuit, ut contractum inirent perſonæ legitimæ; atqui Eccleſia nunc præſentiam illam exigit, ut perſonæ legitimæ contrahant, ſicut in profeſſione religioſa certum requirit annorum numerum; ergo &c.

Ad VI. neg. ant. Eo enim decreto conſuluit S. Synodus vinculo ac fidei maritali, bono legitimæ prolis, & Sacramenti ſanctitati. Neque hinc ſequitur fornicationi patere aditum, cum, ubi S. Synodus promulgata eſt, ſciant omnes clandeſtina conjugia, æque ac mœchiam, reprobari. Nec leve adverſus fornicationem remedium eſt cavere, ne velut uxores ſcorta habeantur.

CAPUT

CAPUT VIII.

De matrimoniis Hæreticorum, præsertim in Hollandia contractis, & de Benedicti XIV. Constitutione.

Matrimonia inter catholicos, & hæreticos inita valida quidem esse, sed noxia docent Sanchez, Poncius &c. & demonstratur I. ex quo nulla lege tamquam irrita declarentur. Non naturali, cum enim constet veteres Patriarchas, & mulieres SS. ut Monica & Læta ethnicis nupsisse, *disparitas cultus* non fuit olim impedimentum dirimens. Nec divina lege. Nam Apostolus reprobat quidem ut illicita hæc conjugia, non ut nulla. Neque Ecclesiastica, cum in cap. *Decrevit* de Hæreticis in 6. firma & valida ea conjugia supponantur; tum quia hæretici inter Christianos connumerantur, & subjiciuntur jurisdictione Ecclesiæ, tum quia matrimonium hæreticorum Sacramentum est, licet sacrilegio pollutum. Nec obstat canon Trull. 72. quo declaratur, *nuptias hujusmodi irritas existimari.* Nam cit. canon accipiendus est de separatione fidelis conjugis a viro hæretico, nisi cum illo habitare consentiat. Sequitur enim: *Si fideli homini placet cum infideli cohabitare, aut e contra, ne a se invicem separentur, ex divini enim Pauli sententia sanctificatus est infidelis &c.* Esse autem illicita hæc Sacramenta prob. I. ex Ap. Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, quæ verba accipit Hieronymus l. 1. adversus Jovinian. de matrimonio. II. Illud 1. Corinth. 7. *Cui vult nubat, tantum in Domino*, Theodoretus, D. Thomas &c. de viro fideli tantum accipiunt, ut sensus sit: *Nubat, sed temperanter, nec a Christi fide descisens.*

III. Idem constat ex sacr. canonibus, ex 67. Laodic. 14. Chalced. 12. Carthag. I. 16. Illib. IV. Ex periculo subversionis conjugum, & filiorum, quam probat Poncius ex Tertulliano, Ambrosio, & Chrysostomo, & exemplis eorum, quos pravæ mulierum

rum illecebræ deceperunt. Hac de causa Juenin, aliique hæc connubia juri naturali adversari opinantur, sed plane falluntur, constat enim plura matrimonia, etiam cum ethnicis inviolato naturæ jure stetisse, plura etiam ad fidei incrementum, & conjugum sanctificationem valuisse, ut de Monica, & de Læta dictum est. Cæcilia item, Lucia, & Crotildis ethnicis nupsere, Ringundis, & Brunichildis Arianis.

V. Greg. XIII. Urban. VIII. Clem. VIII. & Benedict. XIII. in hujusmodi matrimoniis dispensavenrunt. Nec dicat Juenin, hanc dispensandi praxim esse valde recentem, nam ipse in superiori art. docuit, hæc matrimonia cum infidelibus usque ad V. sæculum valuisse, nullumque jus ea irrita fecisse; vetantur ergo solo jure Ecclesiastico, in quo potest Rom. Pontifex dispensare. Dummodo ergo causa dispensationis intersit, qualis est spes conversionis conjugis infidelis, vel si vir permittat uxorem filiosque vivere juxta ritum catholicum, potest pontifex dispensare, secus, si adsit subversionis periculum, eo quod quisque vitare teneatur periculum perditionis. Ex dictis autem de clandestinis conjugiis constat, hæc matrimonia nulla esse, si in catholicorum regionibus, ubi Tridentinum promulgatum est, clandestine celebrentur.

Sed difficilior quæstio est de matrimoniis, quæ coram magistratu, absente parocho, contrahuntur in Hollandia, aliisque Fœderati Belgii provinciis. Complures enim irrita esse ea matrimonia dixere, quod in illis provinciis Trid. decretum opera Margaritæ Parmensis, quæ tunc pro Philippo II. Belgium regebat, promulgatum fuerit ann. 1565. ut scribunt Huygens, De Cocq, Zypæus, Neusser, Reiffenstuel, aliique, quos laudat noster Piette. Alii Theologi vero non negantes hæc matrimonia fuisse irrita initio revolutionum, quando parochi adesse poterant, tradidere, tunc rata illa extitisse, cum jugo

go religionis excusso politici tantum, & hæretici magistratus vigeret auctoritas.

Dum hæc controversia ita penderet, Benedictus XIV. causam hanc sedulo expendendam commisit Guidobono Cavalchini, & Joachimo Besozzi, quos postea sacra purpura ornavit, aliisque doctissimis viris, quorum consultationibus ad examen revocatis Constitutione, quæ incipit *Matrimonia*, anno 1741. statuit, & declaravit. I. matrimonia ab hæreticis inter se in locis Fœderatorum Ordinum dominio subjectis celebrata, non servata forma a Trid. præscripta, *pro validis habenda esse, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum*, adeoque, si uterque conjux ad catholicam redeat, *eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri*, licet mutuus consensus coram parocho non renovetur. Sin autem unus tantum ex conjugibus convertatur, *neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire*. Quoad vero conjugia, quæ in iisdem fœderatis Belgii provinciis absque forma a Trid. præscripta a catholicis cum hæreticis contrahuntur, monet laud. Pontifex episcopos, vicarios, parochos &c. *ut catholicos ab hujusmodi nuptiis ineundis, quantum possint, absterreant*. At si forte aliquod hujusmodi matrimonium contractum jam sit, aut in posterum, quod absit, contrahi contingat, statuit *matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, & neutrum ex conjugibus, donec alter supervixerit, posse sub obtentu dictæ formæ non servatæ novum matrimonium inire*. Debere tamen conjugem catholicum pro gravissimo scelere pœnitentiam agere, & conari pro viribus conjugem a fide alienum lucrari, scientem *se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri*.

CAPUT

CAPUT IX.

De sponsalibus, atque denunciationibus, quæ matrimonii celebrationem præcedunt.

Sponsalia sunt *futurarum nuptiarum promissio*, ut ait cap. *Nostrates* 30. qu. 1. Nicolaus I. De his autem sequentia sunt adnotanda.

I. Ad sponsalia ineunda non sufficit interior animi cogitatio, mentis propositum, neque indeterminata voluntas, neque unius assensus, sed requiritur viri ac mulieris mutua promissio, aut verbis, aut signis expressa. Hinc jure Ecclesiastico ad sponsalia 7. annorum ætas requiritur, ut statuit Alex. III. cap. *Literas* De desponsat. impub. Si autem pro minoribus septennio parentes contrahant, sponsi usque ad legitimam ætatem expectare debent, nisi ante annos pubertatis carnalis commixtio interfuerit, vel urgentissima causa interveniat, ex cap. *Ubi non est consensus*, tit. cit. Cum itaque ad sponsalium valorem necessarius sit contrahentium consensus, hinc sequitur ea Hormisdæ verba: *Potest filium nondum adultum pater, cui vult matrimonio tradere, & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere*, accipienda esse *de solo debito honestatis*, ut ait Glossa. & colligitur ex Bonif. VIII. cap. *Si infantes* in 6. Nam in iis, quæ arbitrii sunt, cessat in adultis patria potestas.

II. Dum ergo adultus contrahit parentibus annuentibus sponsalia, *non luxuriæ causa, sed sola posteritatis dilectione*, uxorem quærat, ut habetur Tob. 9. Illud etiam meminerit: *Si vis nubere, nube pari.* Inferior quippe uxor despicitur, superior despicit. De tempore nuptiarum notum illud Hesiodi: *Junge tibi uxorem annos cum numeras terdenos, sed fœmina decimoquarto anno pubescit, nubat mox inde sequenti.* De uxoris dotibus pulchre auctor Prov. ait: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo &c.* Nec illepide quidam scripsit: *Quæ tibi ducenda est habeat P. quinque puella: Sit pia, sit prudens, pulchra, pudica,*

ca, proba. Inter ſponſalia debet aliquod tempus intercedere, *ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam*, ait l. 8. Confeſſ. c. 3. Aug. At poſt ſponſalia debet virgo, quantum poteſt, ſe ab oculis ſponſi ſubducere, ut monet Tertull. quare ſponſi monendi ſunt, *ne ante contractum matrimonium ſub eodem tecto ſimul habitent.*

III. Diſſolvuntur ſponſalia I. partium conſenſu, II. per matrimonium cum alia initum *per verba de præſenti.* II. Si appoſita conditio non impleatur, niſi tamen accedat carnalis commixtio. IV. per profeſſionem monaſticam, & ſuſceptionem Ordinis ſacri. V. Si alter conjugum abeat in regionem longinquam inſcio altero, nec redeat ſtatuto tempore. VI. per unius contrahentium fornicationem. VII. Si inter ſponſos, vel eorum parentes graves inimicitiæ oriantur. VIII. Si eorum unus in turpia vitia ſe ſe immerſerit, ſi ſit pauperrimus, leproſus, vel inſanus ante copulam, ex cap. *Paſtoralis* De except. &c.

IV. Præter ſponſalia, nuptiis proclamationes ſunt præmittendæ, faciendæ *tribus continuis diebus feſtivis inter Miſſarum ſolemnia*, juxta definitionem Concil. IV. Lateranen. can. 51. ac Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. Hæ proclamationes fieri debent ex Rituali Rom. *a proprio utriuſque contrahentis parocho.* Permittit tamen Trid. ut *ſi fuerit ſuſpicio matrimonium malitioſe impediri poſſe, tunc vel una tantum fiat, vel ſaltem parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur.* Sed hanc diſpenſationem S. Synodus *ſolius Ordinarii* judicio committit.

CAPUT X.

De miniſtro Sacramenti matrimonii.

Veteres Theologi fere omnes docent, hujus Sacramenti miniſtros eſſe contrahentes, ſacerdotis vero benedictionem & verba ritum eſſe ad ejus ſubſtantiam non ſpectans, ut ait S. Th. 3. p. q. 42. art.

art. 1. cui subscribunt scholastici in 4. dist. 26. & Jureconsulti cum Fagnano, qui oppositam sententiam ait esse *periculosam in fide.* Et Soto ait esse *singularem.* Illam tamen postea plures secuti sunt, propugnantes sacerdotis benedictione ad Sacramenti dignitatem matrimonium attolli. Ita post Cajetanum, & Melchior. Canum, Toletus, Ledesma, Maldonatus, Estius, Sylvius, du Hamel, De-Cocq. Juenin, Tournely, Piette, aliique, quos laudat clariss. Auctor. Sit ergo

Propositio. Communior sententia est matrimonii ministrum esse contrahentes, licet opposita docens parochum esse hujus Sacramenti ministrum, sua probabilitate non careat.

Prob. I. pars. Ex decreto Eug. IV. ubi legitur: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, sed hæc verba proferuntur a contrahentibus; ergo &c. Nec dici potest ibi agi de matrimonio, ut est contractus, cum constet ibi Eugenium agere de Sacramentis, paragraphum illum sic incipiendo: *Septimum est Sacramentum matrimonii.* Unde in Enchiridio Instit. Christianæ editæ nomine Conc. Colonien. habetur: *Verbum hujus Sacramenti est, quo ambo mas & fæmina sibi mutuo fidem conjugalem dant.* II. Trid. Synodus sess. 24. c. 1. definit: *Matrimonia clandestina libero contrahentium consensu facta rata & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Nec Trid. *vera & rata* illa dicit in ratione contractus, constat enim ex cap. *Quanto magis* De divortiis: *Quod matrimonium inter fideles verum, & ratum existit*, ad differentiam matrimonii infidelium, quod, *etsi verum sit, non est tamen ratum.* Adde quod Trident. Synodus ibi benedictionem nuptialem aperte inter ceremonias enumerat. III. Adhæserunt huic sententiæ Theologi universi, excepto Guilelmo, cujus sententia est ambigua, sed a communi doctrina non est absque gravi rationum pondere recedendum; ergo &c. Frustra vero nititur Canus D. Thomam

Thomam ad ſe trahere, is enim nunquam retractavit, quod ſcripſit in 4. diſt. 26. q. 2. art. 1. *Verba, quibus conſenſus exprimitur, ſunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale.* IV. A Sacra Congreg. Concilii definitur, non eſſe de ſubſtantia matrimonii, ut parochus loquatur, ſed ſat eſſe ſi præſens ſit. Confirmatur tum ex Concilio Trid. quod parochi ac teſtium præſentiam requirit, non ut ſit miniſter; ſed ut vitentur incommoda orta ex clandeſtinis conjugiis, tum ex innumeris Ritualibus Latinorum, & Græcorum, ubi nullum apparet *formæ ſacramentalis* veſtigium.

V. Quod verba ſacerdotis habeant rationem formæ nullibi expreſſe legimus, imo haud obſcure infertur oppoſitum ex cap. *Licet præter ſolitum*, & ex cap. *Tua fraternitas* De ſponſa duorum, formam ſitam eſſe in verbis contrahentium: *Ego te accipio in meam, vel meum.* Diverſa quoque ſunt etiam in Latinis Eccleſiis verba a parochis prolata, quidam enim ajunt: *Ego vos ſponſo, & Sacramentum confirmo.* Alii: *Quod Deus conjunxit &c.* quæ potius ſupponunt factum Sacramentum. Imo Trid. ipſum ſtatuit, ut quis *utatur verbis, juxta uniuſcujuſque provinciæ ritum.* VI. Forma Sacramentalis ea eſt, quæ effectum Sacramenti producit, ſed hanc præſtat conſenſus contrahentium verbis aut ſignis expreſſus; ergo verba ſacerdotis: *Ego conjungo vos,* nil aliud ſonant, niſi: *Ego approbo, confirmo &c.* quippe conjuges jam conjunctos ſupponunt.

Prob. II. pars. Oppoſita enim ſententia nititur I. auctoritati Tertulliani, qui l. de Pudic. damnat matrimonia apud Eccleſiam non celebrata. Ambroſius etiam ep. 70. ait: *Ipſum conjugium ſacerdotali benedictione ſanctificari oportet.* Eandem benedictionem memorant Innoc. I. Carth. IV. Siricius &c. Et S. P. in Pſ. 149. ad matrimonium exigit *epiſcopi manus*, ideſt *poteſtatem*, ut explicat Vanroy. II. Ritualia complura ſacerdotem vocant hujus Sacramenti miniſtrum,

niſtrum, ut Romanum, Colonien. Cameracen. & Conc. Petrocorien. III. Sacerdotale, Rituale Rom. & Trid. Syn. præſcribunt parocho, ut dicat: *Ego vos conjungo &c.* ſicut ergo hæc verba: *Ego te abſolvo* conſtituunt veram pœnitentiæ formam, ita & illa matrimonii formam conſtituunt. IV. Matrimonium eſt novæ legis Sacramentum, ſed ad ſacerdotes ſpectat divina diſpenſare myſteria; ergo &c. V. Contrahentes Sacramentum recipiunt; ergo non efficiunt. Adde, quod ante Trid. carnalis concubitus ſupplebat vices verborum: *Accipio te &c.* Abſurdum eſt autem carnalem actum Sacramentum perficere; ergo &c. VI. Alexander III. cap. *Cum in Eccleſia* de Simonia *benedictiones nubentium aliis Sacramentis* adjungit; ergo &c. Hæc argumenta hanc ſententiam probabilem reddunt, ſed prior ſententia his momentis non evertitur.

Ad I. ergo R. ex PP. id unum inferri, nuptias in faciem Eccleſiæ celebrandas eſſe, ut miniſtrorum benedictionem firmiorem nexum acquirant. Nam PP. eodem modo deteſtantur nuptias clam a ſacerdote benedictas, ex cap. *Nullus* 30. q. 5. & Conc. Turonen. c. 12. eas vetat ſub excommunicationis pœna. Ad II. R. parochum dici hujus Sacramenti miniſtrum, quia ſolus miniſter eſt ſacri ritus & benedictionis nuptiarum. Ad III. Vide argum. 4. & 5. prioris ſententiæ. Ad IV. R. S. Thomas, ſacerdotem eſſe miniſtrum aliorum Sacramentorum, quia in iis actus ſuſcipientium non ſufficiunt ad effectum Sacramenti, ut ſufficiunt in matrimonio, ubi *quicumque eſt ſui juris poteſt ſe alteri obligare; & ideo ſacerdotalis benedictio non requiritur tamquam de eſſentia Sacramenti.*

Ad V. neg. conſ. Cum enim contrahentes ex mutuo conſenſu ligari poſſint, poſſunt utique conficere Sacramentum, eique conſenſui, non quidem ut actus humanus eſt, ſed ex Dei inſtitutione, ſacramentalis gratia confertur, non autem carnali commercio. Alii duplicem conſenſum diſtinguunt, alium ex *naturali*

turali affectione, alium ex *religiosa intentione*, ex quo tantum perficitur Sacramentum. Ad VI. dist. ant. Adjungit, ut *formam*, *&* *causam efficientem*, neg. ut *benedictionem Sacramenti* (1), conc. Nubentes enim benedicuntur, dum in faciem Ecclesiæ mutuo consensu Sacramentum efficiunt.

Quæres: quinam sit *proprius parochus* nuptiarum celebrandarum? R. De hoc argumento egregie scripsisse Benedictum XIV. in sua Notificatione edita ante pontificatum ann. 1734. ubi statuit, ex authenticis sacræ Congreg. Concilii decretis, Nuptias celebrandas coram parocho, *non originis*, *sed domicilii*. Quo nomine non rus, aut locus alius, ad quem, *recreationis*, *vel peragendæ rei causa accedatur*, intelligi debet, nec civitas, aut locus, ad quem vir & mulier solo animo illic celebrandi matrimonium veniunt, proprio domicilio non relicto. Qui ergo animo domicilium suum retinendi pergit ad loca, ubi Trid. nondum est promulgatum, invalide contrahit: secus, si in iis sedem figat. Qui extra patriam versantur studiorum causa, vel rectoris, judicis, medici officium exercentes, item famuli, aliique, *quasi domicilium* habentes, coram parocho illius loci contrahere possunt. Perpetuo carceri addicti parochum loci, ubi sunt carceres; custos autem carceris sui domicilii parochum adire debent.

Puellæ, quæ apud moniales educantur, domum propriam adire debent, quam si non habeant, a parocho, sub quo est monasterium, jungi debent in matrimonium: Si vero domum habeant paternam, a

 paro-

(1) Videtur Alexander III. accepisse nomen Sacramenti *lato modo* prout significat *sacramentale*. Etenim jungit benedictionem nuptialem exequiis defunctorum, quæ dici nequeunt nisi sacramentale: *Horribile est*, ait Alex. III. ib. *quod pro sepultura & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & aliis Sacramentis aliquid requiratur.*

parocho domicilii. Item orbatæ parentibus, ac derelictæ, quæ in hospitiis servantur, non a confessario, sed a loci parocho jungi debent. Errones, & *Zingani*, in quorum numerum non veniunt peregrini, aut alii habentes alicubi domicilium, adire debent parochum, in cujus parochia tunc consistunt. In qua vero parochia matrimonium celebratur, illius parochus præsens erit. Hæc Benedictus XIV. ex supra laud. sacræ Congregationis decretis.

CAPUT XI.

De Polygamia.

Not. *Polygamia* est multiplicatio conjugii, & duplex est. Prima, quando vir unus plures simul uxores habet, & *successiva*, cum altero conjugum defuncto transit superstes ad alias nuptias. Nullum extat in sacris literis exemplum, quod eadem mulier pluribus viris nupserit, idque juri naturæ repugnare, *apud omnes exploratum esse*, ait Bellarminus de Matr. c. 10. Plura sunt autem ibi exempla Lamechi, Abrahami, Jacobi &c. qui plures duxerunt mulieres. Hos peccasse contra jus naturæ affirmarunt Sadducæi, & novatores plurimi, Calvinus, Junius, Beza &c. repugnantibus tamen non solum catholicis, sed Glassio, Brentio, Cuneo, & Lutheranis universis. Vera & communior sententia est, polygamiam muliebrem primario conjugii fini, qui est prolis susceptio, non adversari, licet repugnet fini secundario, ideft perfectæ societati: adeoque ad propagationem Hebraici populi cum patriarchis fuisse in polygamia dispensatum. Christus autem matrimonium ad priorem institutionem reduxit; adeoque in lege Evangelica vetita omnino est polygamia. Polygamiam successivam, seu secundas nuptias, damnarunt Montanistæ, & Novatiani, Catholici autem eam non improbant, ut falso scribit Kemnitius. His notatis sit

PROPO-

Propositio I. Polygamia virilis ſcelus foret turpiſſimum, & juri naturæ contrarium.

Prob. I. Ex Aug. qui l. de Bono conj. c. 17. ex quo vir ſit caput mulieris, oſtendit non perverti naturæ ordinem, ſi uni viro uxores multæ jungantur: *Non ſicut uni viro etiam plures habere licebat uxores, ita uni fœminæ plures viros. Occulta enim naturæ lege amant ſingularitatem, quæ principantur. Subjecta vero, ſi ratio ſocialis admittit, etiam plura uni non ſine decore ſubduntur. Neque enim ſic habet unus ſervus plures Dominos, quemadmodum plures ſervi unum Dominum.* II. Idem probat S. D. *quia pluribus maritis vivis nullam legimus ſerviſſe ſanctarum, plures autem fœminas uni viro legimus: neque enim contra naturam nuptiarum eſt.* III. Addit S. D. ib. *Plures fœminæ ab uno viro fœtari poſſunt, una vero a pluribus non poteſt.* IV. Si eadem mulier pluribus viris nuberet, haberet hoc conjugium idololatriæ ſymbolum, ut enim ait S. P. ibi: *Sicut multæ animæ uni Deo recte ſubduntur, ideoque non eſt verus Deus animarum, niſi unus, una vero anima per multos falſos Deos fornicari poteſt, non fœcundari;* ergo &c.

Propositio II. Polygamia muliebris finibus matrimonii ſecundariis, ac perfectioni adverſatur.

Prob. I. Ex ſacris literis. Deus enim unicum maſculum tantum creavit, eique unam fœminam, non plures junxit. II. Ex PP. De Lamecho enim, qui primus accepit uxores duas, ait Tertull. de Exhort. caſt. *Duabus maritatus tres in unam carnem effecit,* & Hieronymus ep. 85. ad Salvinam: *Unam coſtam diviſit in duas.* III. Ex hiſtoria conſtat ab ea polygamia plura diſſidia ortum habuiſſe, ut inter Saram & Agar, inter Liam & Rachelem. Hinc Euripides, qui ex Agellio l. 15. *Duas ſimul uxores habuerat,* in Andromaca ajebat: *Numquam geminos lectos laudabo, neque binas matres habentes liberos, rixam quidem domorum.* Eandem damnarunt leges complures. Cecrops enim Athenis unicam

uni viro junxit muliérem, hinc Socrati objectum est a Callisthene, eo quod binas duxisset. Apud Romanos l. *Eum* polygamos comitabatur infamia. Imo Constantinus polygamiam sub pœna capitali proscripsit; ergo &c.

Propositio III. Antiqui Patriarchæ uxores plures inculpate duxeré.

Prob. I. Ex Tertull. qui c. 5. de Cast. ait: *Nobis quoque licebit innumerum nubere, si adhuc typi futuri alicujus Sacramenta supersunt, vel si etiam nunc locus est vocis illius: Crescite & multiplicamini.* Chrysostomus hom. 56. in 26. Genes. ait: *Tunc enim, quia principia erant, permissum fuit cum duabus, vel tribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur.* Ambrosius l. 1. de Abr. c. 4. ejus polygamiam excusat, quia ex *studio propagandæ sobolis, non ardore vagæ libidinis* se se ancillæ permiscuit. Idem docet S. P. l. 16. de Civ. Dei c. 25. *Nullo modo*, ait, *est inurendum de hac concubina*, Agar, *crimen Abrahæ; usus est ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem.* Et l. 22. contr. Faust. c. 30. de Jacob ait: *Quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore hoc factitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur.* Nec te moveat ab Aug. Tertulliano, ac Leone M. Agar Abrahæ *concubinam* appellari, hoc enim vocabulum *secundariis uxoribus* non inepte tribuebatur, quod non essent ea dignitate præditæ, ac uxor prima, nec filios gignerent paternorum bonorum hæredes, atque ad prolis genesim, non ad familiæ regimen ducerentur.

Ob. Sadducæi, & Calviniani: Levit. 18. habetur: *Mulierem unam ad alteram ne assumito.* Et Deuter. 17. *Non multiplicabit uxores*; ergo &c. II. Polygamia repugnat substantiæ conjugii; eandem enim potestatem habet vir supra corpus mulieris, ac

ac iſta ſupra corpus viri ex Aug. l. 1. de Adult. conjug. c. 8. Unde infert Eſtius, polygamiam illicitam eſſe ſpectato jure conjugali, utrique enim conjugi ſit injuria, ſi alteri tradatur alterius corpus.

R. neg. conſ. Nam Vulgata hebraicum אחותה recte reddit: *Sororem* ejus, ut habent etiam Chaldaica, Samaritana, Syriaca, Græca, Arabica, exigitque, fatentibus etiam Grotio, Druſio, Fagio &c. hebraicæ linguæ proprietas. In ſecundo autem loco vetatur ſolum nimius uxorum numerus, unde vulgata habet: *Non habebit uxores plurimas*, & Hebraica: *Non multiplicabit valde*. Nam teſte Plutarcho ex nimio uxorum numero enervatur gignendi vis. Idque exemplo Salomonis confirmatur, qui ex 700. uxoribus & concubinis 300. unicum Roboamum, & duas fœmellas Evaphet, & Baſemat legitur ſuſcepiſſe. Ad II. vide notas & prop. 1. hujus cap. Quoad poteſtatem vero unius conjugis in corpus alterius, dici poteſt ſupremum Dominum Patriarchis poteſtatem feciſſe diſponendi de ſuo corpore per novum contractum, non diſſoluto priori, ut docet cl. Auctor tom. 4. pag. 26. Hinc cap. *Gaudemus* De divortiis polygamia Patriarcharum a crimine adulterii excuſatur, quod fuerit divina revelatione conceſſa, eo modo, quo excuſantur Iſraelitæ a furto, & Sampſon ab homicidio. Quid plura? Abraham, Jacob, David, Elcana, aliique polygami commendantur in ſacris literis, nunquam ea de re reprehenduntur; ergo &c.

Propositio IV. In lege Evangelica polygamia vetita eſt.

De fide eſt ex Trid. definitione ſeſſ. 24. Et prob. 1. ex Matth. 19. ubi Chriſtus ait: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ex quibus Innoc. III. cap. *Gaudemus* De divortiis ait: *Si ergo uxore dimiſſa duci alia de jure non poteſt, fortius, & ipſa retenta.* II. Innoc. I. ep. 9. ait: *Secundæ mulieris conjugium, priori ſuperſtite, nullo modo poteſt eſſe legitimum*

timum. Et Nicolaus I. ad Consulta Bulg. n. 51. ait: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit;* ergo &c.

Dices: Valentinianus, Constantius, & Lotharius duas simul uxores habuere; ergo &c. R. Valentinianum, ut probrum & dedecus hujusmodi a se amoveret, legem impiam constituisse, ut cuilibet duas simul uxores habere fas esset, ait Socrates l. 4. H. E. c. 31. Constantius Arianus fuit: Lotharius denique una cum pellice communione privatus est a Nic. I. ergo &c.

PROPOSITIO V. soluto per mortem cum priore uxore conjugio fas est secundam, tertiam, & quartam &c. ducere.

Prob. Ap. I. Cor. 7. ait: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, cui vult nubat, tantum in Domino. Quid est in Domino?* ait Chrysostomus hom. 19. *Cum temperantia, cum honestate.* Ambrosius de Viduis c. 2. num. 10. ait: *Secundas nuptias Apostolica præcepta non damnant.* Hieronymus ep. 27. ad Marcellam: *Nos secundas nuptias concedimus, Paulo jubente ut viduæ adolescentulæ nubant.* Et ep. 30. *Ego libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere, sed istæ nuptiæ solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ.* S. P. A. l. de Bono viduit. c. 12. ait: *De tertiis, & de quartis nuptiis solent movere quæstionem, unde nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.* Accedunt definitiones Ecclesiæ: nempe Nicænæ Synodi can. 8. Urbani III. cap. *Super alia*, Innoc. III. cap. *Cum secundum Apostolum* 4. Decr. tit. 21. Eugenii IV. Decretum pro Arm. ubi statuit *Etiam tertias, quartas, & ulteriores nuptias licite contrahi posse;* ergo &c.

Opp.

Opp. Basilius in ep. ad Amphil. can. 4. tertias nuptias appellat: *Castigatam fornicationem.* Auctor Const. l. 3. c. 2. eas vocat: *Indicium intemperantiæ.* II. Digami sunt irregulares, ex Ap. 1. Tim. 3. ex Tertulliano, Epiphanio, Hieronymo &c. III. Secundæ nuptiæ sine benedictione sacerdotali celebrantur; ergo &c.

R. ad I. PP. non laudare secundas nuptias, propter incontinentiam nubentium, non propter inhonestatem nuptiarum. Ad II. R. Innocentius III. cap. *Debitum* de Bigamis, eos esse *irregulares*, non propter Sacramenti defectum, sed quia *bigamus non est unus unius*, ait ibi Innoc. & quia secundæ nuptiæ non æque repræsentant, ut primæ, Christi cum Ecclesia unionem, quo sensu ait S. P. A. de Bon conjug. c. 18. bigamum *non peccatum aliquod admisisse, sed normam quandam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium.* Ad III. R. Secundas nuptias solemniter non benedici, quia hæc solemnis benedictio iterari non debet.

CAPUT XII.

De indissolubilitate matrimonii.

Not. I. Repudium apud Macedones, aliosque Græcos obtinuisse scribit Justinus l. 9. ubi ait Philippum Cleopatræ nupsisse expulsa Alexandri matre Olympiade. Et Demosthenes Or. 1. ait, repudium scribi solitum apud Archontem. Romani etiam ob sterilitatem uxores repudiarunt, juxta legem XII. Tabularum; licet Tertull. in Apol. 6. scribat, per 600. annos apud Romanos nullum contigisse repudium. Neque ad nutum viri, sed tabulis firmata connubia, tabulis tantummodo solvebantur. Judæi etiam, quibus permissum fuisse repudium ex 29. Deuter. constat, repudiare uxorem non poterant, nisi dando ei libellum, quem Hebræi appellant ספר כריתות *sepher cheritut*

Græci βίβλιον ἀποςασίε *schedam abscissionis.* Viris tantum repudiare uxores permissum erat, non vicissim: hinc Salomen, quæ libellum repudii misit Costobaro, non fecisse *juxta Judæorum leges*, ait Josephus l. 15. Ant. c. 7.

Not. II. Non conveniunt Theologi, an per libellum repudii uxore dimissa, fas esset novum inire connubium. Affirmat Bellarminus, Sanchez, Poncius, du-Hamel, Tournely, sed ex Bellarmino ipso *communior sententia Magistri, Bonav. Richardi &c. habet, ut illicitum semper fuerit, sed permissum tamen, ut impune fieret causa majoris mali vitandi.* Idem sentiunt Estius, Sylvius, Gotti, Vanroy &c. Quidquid sit de ea lege Judaica, non dimittendam uxorem, nisi ob fornicationem, nec dimissam ad alia vota transire posse docet Christus Matth. 19. Hinc oritur quæstio, an per adulterium, vel per monastica vota, solvantur conjugia? Sit itaque

PROPOSITIO I. Per libellum repudii non solvebatur vinculum primi conjugii, sed hoc Judæis ob duritiam cordis permissum est, ne exosas uxores necarent.

Prob. Matth. 19. Pharisæis Christum rogantibus, an fas esset dimittere uxorem suam quacunque ex causa, respondet id repugnare institutioni matrimonii, ejusque vinculo. Nam Deus *masculum & fœminam conjungens, ostendit secunda vitanda conjugia*, ut ait Hieronymus, & ideo masculum unum, & unam fœminam condidit: *Ut unius conjugis consortia necterentur.* Hinc addit Christus: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Reponentibus autem Judæis: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* subdit Christus: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*, idest, *Moyses, cum videret propter desiderium secundarum conjugum pri-*

primas interfici, maluit indulgere discordiam, quam odia & homicidia perseverare. Similia habet Chrysostomus in catena Corderii pag. 263. ubi ait: *Protervia male morati populi, Moysen, coactum, permisisse bene rem non bonam, & metu majoris mali.* Eadem habet Theophylactus. Item S. P. A. de Bono conjug. cap. 8. num. 7. ait: *Cui consuetudini, Ethnicorum, simile aliquid propter Israelitarum duritiam videtur permisisse Mayses de libello repudii. Qua in re exprobratio, quam approbratio divortii magis apparet.*

Hinc patet, sententiam nostram SS. PP. menti propius accedere, quorum nullum adversarii pro se habent: nam auctor Oper. imperf. hom. 32. in Matt. quem laudat Bellarm. non est Chrysostomus, sed Arianus, ut norunt omnes. Et D. Thomas l. 3. contr. Gent. nobiscum sentit, ut Sylvius ostendit. Accedit ratio. Nulla enim afferri potest causa, ob quam Deus adversus matrimonii institutionem repudium cohonestaret: nam sobolis propagationi satis consultum fuit permissa polygamia. Adde, quod mulier alteri viro nupta ex Deuter. 24. *Polluta, & abominabilis coram Domino*, dicitur, qua phrasi Ezech. 33. *pollutæ* dicuntur adulteræ. Hinc Jeremias c. 3. repudiatam comparat fornicariæ.

Ob. I. Repudium jubetur a Domino Deuteron. 24. Malach. 2. & Matth. 19. ergo est honestum & licitum.

R. dist. ant. Jubetur, quoad uxoris dimissionem, neg. quoad conscriptionem libelli, conc. Recte S. P. A. l. 19. contra Faustum ait: *Utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut animus præceps libelli conscriptione refractus obsisteret, & quid mali esset dimittere uxorem cogitaret.* Malachias autem hæc habet: *Uxorem noli despicere: cum odio habueris, dimitte: operiet autem iniquitas vestimentum ejus*, idest, si permissione legis usus fueris, non tamen culpa vacabis. Hinc

LXX.

LXX. legunt: *Si odio habens dimiſeris, operiet iniquitas ſuper cogitationes tuas.* Sequitur proinde Propheta: *Cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere*, uxorem, *etiamſi pauper ſit, aut deformis.*

Ob. II. Solis ſacerdotibus prohibetur eam ducere, *quæ repudiata eſt a marito* Lev. 21. Nullibi enim id lex vetat: imo Abraham repudiavit Agar; ergo &c. R. neg. conſ. Sacerdotibus enim non permittebantur, quæ in aliis tolerari poterant, quia erant *conſecrati Deo ſuo.* Ne vero duceretur repudiata aliqua ratione prohiberi videtur ex c. 3. Jeremiæ & 2. Malach. imo ex Deuter. 24. ubi mulier repudiata dicitur: *Polluta, & abominabilis coram Domino.* Agar autem divortio, non repudio fuit ab Abraham ejecta.

Dices: poſt uxoris repudium vir cum alia licite contrahebat; ergo &c. R. neg. conſ. Id enim maribus conceſſum eſt, non ex ſolutione matrimonii, ſed ex permiſſione polygamiæ.

Inſt. Nuptæ poſt viri repudium non lapidabantur, ut adulteræ; ergo &c. R. neg. conſ. Nam ob duritiam Judæorum tolerabantur earum conjugia.

PROPOSITIO II. In lege Evangelica non diſſolvitur per adulterium vinculum matrimonii.

Prob. I. cum Aug. l. 1. de Adult. conjug. ex 1. Corinth. 7. *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem non dimittat.* Quæ verba accipi debent de diſceſſione fornicationis cauſa, alias non juberet Apoſt. manere innuptam, ſed vetaret, ne diſcederet: nam ob ſolam fornicationem fas eſt uxorem dimittere. Item Luc. 16. habetur: *Qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit mæchatur*; ergo &c. Prob. II. ex PP. Hermas l. 2. Mand. 4. ait: *Si ſcierit vir uxorem ſuam deliquiſſe, & non egerit pœni-*

pœnitentiam, & convivit cum illa, reus erit peccati ejus: & particeps mœchationis ejus. Quod si dimiserit, & aliam duxerit, & ipse mœchatur. Et Basilius l. de Virg. p. 755. *Non audis*, ait, *qui dimissam duxerit mœchatur. Etsi enim*, *ait; pro culpa dimissa est, vivit tamen vir ejus.* Nazianzenus adulteram vocat: *Pestem, quam nulla liceat ratione fugare.* Chryſ. Hom. 17. in Matt. ait: *Expulsa quoque uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat.* Hieron. in c. 19. Matt. ait: *Sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat.* Et ep. 84. ad Oceanum peccaſſe ait Fabiolam, *quod repudiato marito*, adultero, *non innupta permanserit*, etſi eam excuſet, quod junior eſſet, idque civili lege permitteretur. Verum defuncto ſecundo viro, ea de cauſa publicam egit pœnitentiam. Innocentius I. ep. ad Exup. c. 6. ait: *Qui interveniente repudio alio se matrimonio copularunt, adulteros esse manifestum est, secundum illud, quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit &c.* Idem docet S. P. A. l. 1. de Serm. Domini in monte c. 26. de Bono conjug. cap. 7. & alibi. Mitto alios.

Prob. III. Ex Conciliis. Milev. II. cui S. P. A. interfuit anno 416. can. 17. ait: *Placuit, ut secundum Evangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur.* Triburienſe ann. 895. ait: *Maritus, quandiu ipsa vivat* (nempe adultera conjux a ſe divulſa) *nullo modo alteram ducat.* Eadem habet Florentinum ann. 1439. in Inſtr. Armen. & Trid. ann. 1563. ſeſſ. 24. can. 7.

Prob. IV. ex pluribus, quæ ex oppoſita ſententia emergunt incommodis. I. Quia improbo viro præberetur occaſio, *ut calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret.* II. Quia alio inito poſt fornicationem matrimonio, pro matre adhuc viva filiis proponeretur noverca, quam legem injuſtam, ſævam-

vamque appellat Ecloga 3. Poeta. Hinc Ambrosius l. 8. in Luc. ait: *Paterisne liberos tuos vivente te esse sub vitrico, aut noverca. Pone, si nubat. Necessitatis illius tuum crimen est, & conjugium quod putas, adulterium est.* Adde, quod si adultera transire posset ad alterius amplexus, ex patrato crimine caperet utilitatem; ergo &c.

Opp. I. Matth. 19. ait Christus: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem &c.* sicut ergo fornicationis causa fas est fornicariam uxorem dimittere; ita ea dimissa, aliam ducere. R. neg. conf. Nam verba illa: *Nisi ob fornicationem*, ad præcedens verbum *dimiserit*, non ad subsequens *duxerit* referri debet, ut sensus sit, non esse dimittendam uxorem non adulteram: illum autem, qui dimissam quomodolibet duxerit, cum aliena pollui, & mœchari. Quod S. P. ostendit l. 1. de Adult. Conjug. significatione illius verbi: *Mœchatur*, quod est: *Alienæ miscetur uxori. Porro si aliena est, hoc est ejus, a quo dimissa est; etiamsi propter fornicationis causam dimissa est, nondum dimittentis uxor esse cessavit.* Et l. 2. cap. 3. idem confirmat ex Ap. Rom. 7. & 1. Cor. 7. dicens: *Si mulier alligata est, quandiu vir ejus vivit, nullo modo, nisi viro mortuo, soluta dicenda est ab hoc vinculo.*

Ob. II. Tertullianum l. 4. contra Marc. Origenem tr. 7. in Matth. Theodoretum l. 4. Hær. fab. & Epiphanium hær. 59. ubi ait: *Sed cui mortua una non sufficit, cum occasione stupri &c. cum ea divortium fecerit, is si alteram uxorem duxerit, sacrarum literarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit.* Eadem habet Ambrosius in 7. Corinth. Hinc Cajetanus, Catharinus, Erasmus, Launojus oppositæ sententiæ adhæsere.

R. Tertull. ibi docere dimittendam uxorem ea conditione, ne quis illam dimittat, *ut aliam ducat.* Origenes ib. ait: *Scio quosdam extra scripturam permisisse aliquos nubere, priori viro vivente.*

Et

Et contra ſcripturam quidem fecerunt dicentem : Mulier ligata eſt &c. cenſet tamen eos eſſe excuſandos, quod minus malum permiſerint, ut majus devitaretur. Theodoretum accipiendum de ſolutione, quoad *torum* non quoad *vinculum*, contendit du-Hamel. Epiphanii locum depravatum cenſet Petavius. Verum Le-Nourry ait, Epiphanium loqui de nuptiis poſt mortem conjugis, ut conſtat ex illis verbis : *Cui mortua una non ſufficit.* Commentaria autem in Ep. Pauli falſo adſcribi Ambroſio norunt omnes. Falluntur ergo Cajetanus, Eraſmus &c.

Ob. III. Arelat. I. can. 10. ſtatuit : *De his, qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, & non prohibentur nubere, placuit ut conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant.* Ubi male quidam codices habent : *Et prohibentur.* Sic enim non conſilium daretur, ſed præceptum. R. Nullum extare codicem, quo Petavii correctio defendi queat. Nam collectiones Conciliorum Binii, Harduini, Labbæi, & poſtrema Veneta habent : *Et prohibentur.* Unde retorqueri poteſt argumentum. Ideo autem id conſulit, non præcipit S. Synodus, quia id licebat per leges Imp. quas irritando ſibi invidiam conflaſſet. Aliunde adeo tunc quæſtio iſta erat obſcura, ut nonnulli *venialiter* fallerentur, ut ait S. P. A. l. de Fid. & Op. cap. 19.

Ob. IV. Leges Imperiales in cod. Juſtiniani l. 5. de Repud. tit. 17. & l. 9. de Adult. t. 9. & in cod. Theodoſii l. 3. t. 16. ergo &c.

R. I. neg. conſ. Nam Imperialibus legibus, queis repudium permittitur, non ſemper permittitur ut aliæ ducantur uxores, ſed ubi lex jubet repudium ſub certis conditionibus fieri, nimiæ eorum licentiæ modum adhibuit. R. II. neg. ant. Non enim de civilibus, ſed de Evangelicis legibus heic ſermonem inſtituimus. Nam Chryſoſtomus Hom. 19.
in

in 1. Corinth. queritur legibus Romanorum *mœchiam in viris fuiſſe impunitam.* Et Hieronymus ep. ad Ocean. agens de repudio Fabiolæ : *Aliæ ſunt,* ait, *leges Cæſarum, aliæ Chriſti, aliud Papinianus, aliud Paulus præcipit.* Et S. P. A. ſerm. 392. num. 2. ait : *Non licet vobis habere uxores, quorum priores mariti vivunt. Adulteria ſunt iſta conjugia, non jure fori, ſed jure cœli.* Vide c. 8. de Bon. conjug. n. 7.

Ob. V. Saltem gignendorum liberorum cauſa licebit viris, dimiſſa uxore adultera, aliam ducere, quamquam ad puniendas adulteras id ipſis videatur eſſe permiſſum.

R. Ad I. neg. conſ. Nam cauſatio iſta, ait S. P. A. l. 2. de Adult. conjug. *etiam non adulteras, ſed caſtiſſimas fœminas, ſi forte ſint ſteriles, cogit dimitti, & alteram duci,* quod nemo catholicorum affirmat. Ad II. R. S. D. debere viros peccatricibus præbere miſericordiam : *Ut & ipſi pro ſuis peccatis miſericordiam conſequantur ; & multo magis hoc eis faciendum eſt, qui dimiſſis uxoribus adulteris cupiunt vivere continenter.*

Propositio III. Matrimonium ratum, & non conſummatum, per religioſam profeſſionem ſolvitur.

Prob. I. ex definitione Trid. ſeſſ. 24. can. 6. ubi anathema dicit hæreticis oppoſitum affirmantibus. Idem ſtatuit Alex. III. cap. *Verum poſt conſenſum.* De Converſione conjug. Ubi ait : *Poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero ita repugnante eligere monaſterium, dummodo inter eos carnalis commixtio non intervenerit.* II. Nec deſunt SS. exempla producta a Bellarmino, Eſtio, Gonzalez &c. Ad rem faciunt exemplum Theclæ, quæ Paulo monente *copulam fugit nuptialem* ex Ambr. l. 2. de Virg. c. 3. & exemplum eorum, qui auditis Antonii geſtis ad monaſteria convolarunt, relictis ſponſis, quæ item Deo virginitatem dicarunt;

runt; Gregoriæ item, quam *conſtitutis jam nuptiis*, in Eccleſiam fugiſſe ſcribit Gregorius M. l. 3. Dial. cap. 14.

Accedit ratio D. Thomæ in 4. diſt. 27. Quod religio ſit quædam *mors ſpiritalis*: unde, ſicut matrimonium *conſummatum*, diſſolvitur morte corporis, ita *ratum*, quo conjuges uniuntur tantum animo, & voluntate, diſſolvitur morte ſpiritali, qua vir religioſus moritur mundo. Hinc ſequitur, conjunctionem, quam efficit matrimonium ratum, eſſe ſpiritalem; illam vero, quam facit matrimonium conſummatum, eſſe corpoream, ex cap. *Omne* 27. q. 2. cumque religioſa profeſſio ſit mors ſpiritalis, ſequitur per ipſam religioſam profeſſionem matrimonium ratum, & non conſummatum diſſolvi.

Hinc ſequitur I. locum Evangelii: *Non licet viro uxorem dimittere &c. intelligendum de his, quorum matrimonium eſt carnali copula conſummatum*, cap. *Ex publico.* Nam Matth. 19. legitur: *Jam non ſunt duo, ſed una caro*, nempe ob corporum commixtionem. II. Sequitur matrimonium conſummatum, quo conjuges fiunt una caro, profeſſione religioſa dirimi non poſſe, ex c. *Agathoſa* 27. q. 2. Hinc, ſi quis uxore invita monaſterium ingrederetur, cogi deberet, ut ad eam rediret, ex cap. *Quidam intravit* de Converſ. conjug. Et ſi profeſſionem emiſerit, niſi idem uxor præſtare velit, debet de monaſterio auctoritate epiſcopi revocari ex c. *Præterea* ib. III. Ex quo vir & uxor una ſit caro, non poteſt unus religionem ingredi, & alter in ſæculo remanere, ſed uterque debet religionem ingredi, aut ſaltem continentiam profiteri, ex c. *Conjugatus* ib. IV. Cavendum eſt, ne ſub monachalis ſtatus prætextu deſponſata mulier a connubio reſiliat: unde, ſi non ſit carnaliter cognita, & ad monaſterium migrare voluerit, *infra duorum menſium ſpatium*, aut religionem ingredi debet, aut ad virum redire, cap. *Ex publico.* Vide caput 6. præcedens.

CAPUT XIII.

De Divortiis.

Divortium, a latino verbo *divorto*, eſt unius conjugis ab alio, quoad torum, divulſio conjugali fœdere permanente.

Not. I. Fieri poſſe divortium conſtat ex cap. *Pervenit* De jurejurando, ubi dicitur, quod nemo tenetur debitum ei reddere, qui fidem frangit. Inhumanum eſt enim, ſi honeſtus vir compellatur ad ſervandam individuam conſuetudinem cum ea, a qua honor læditur, & ſacrum connubii jus violatur. Imo ad propriæ famæ, & ſaluti uxoris conſulendum, neceſſarium, eſt dimittere fornicariam: *Qui*, enim, *tenet adulteram*, *inſipiens eſt*: ex Prov. 18. Etſi vero minus decorum videatur, ſi mulier virum, *caput mulieris*, dimittat; tamen, quoad facultatem divortii, par eſt jus utriuſque. Nam Apoſt. 1. Corinth. 7. ait: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet*, *ſed vir*: *ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet*, *ſed mulier*.

II. Cum cauſæ matrimoniales ſpectent ad forum Eccleſiaſticum, ſequitur ſæcularis judicis ſententia ſeparari non poſſe uxorem a viro ſuo: quod confirmatur ex *concordato* inter Carolum V. & epiſcopum Leodien. de quo Wan-Eſpen p. 2. Jur. Eccl. Quare, ſi uxor a viro ſeſe propria auctoritate ſeparaverit, ut ad eam redeat ſententia ordinarii compelli poteſt, cap. *De illa* De divortiis. Quod de ſeparatione, quoad forum ſimul & cohabitationem accipi debet: nam ſolius tori conſortium negare poteſt pars innocens abſque ſententia judicis. Quoad vero cohabitationem, ex cap. *Sæculares* 33. quæſt. 2. *Si mariti*, *antequam apud epiſcopos diſſidii cauſas dixerint*, *uxores abjecerint*, *a communione S. Eccleſiæ excludantur*.

III. Præcipua divortii cauſa eſt alterius conjugis fornicatio ex cap. præced. prop. 2. Fornicationi accedit

cedit idololatria, apoſtaſia a fide, atque hæreſis ex cap. *Idololatria* 28. qu. 1. ubi ſtatuitur, ut niſi alia adſit cauſa diſſidii, ſi vir *converſus fuerit*, mulier ad eum reverti compellatur. Alia eſt cauſa, ex c. *Quæſivit* tit. de divort. *Si vir conjugem ſuam ad maleficium traxerit, mulier a viro recedere poterit. Sed ei alii nubere non licebit.* III. Cauſa eſt, ſi mulier mariti necem machinata eſt, vel de illo occidendo cum alio inierit conſilium, & ſi vir id juridice demonſtraverit cap. *Si qua mulier* ib. IV. Si maritus uxorem graviter cædat, & huic trepidanti nequeat *ſufficiens ſecuritas* provideri, ab eo amovenda, & *ſufficienti ſecuritate proviſa* reſtituenda eſt, ut ait Innoc. III. cap. *Literas* de reſtit. ſpol. Laxiores in divortiis, repudiiſque fuerunt Cæſarum leges. Nam Conſtantinus & Theodoſius ea permiſere, ob alia crimina, puta ob perjuria, furta, homicidia &c. Verum, ut ait Hieronymus: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti.*

IV. Cum autem Evangelium Matth. 19. ſolam cauſam fornicationis commemoret, cur hæreſim quoque, machinationem mortis, irritamenta peccati, & viri ſævitiam jus Eccleſiaſticum ſuperaddidit? R. I. Aug. l. 1. de Serm. D. in monte c. 16. fornicationis nomine apud Matth. ſignificari quaslibet concupiſcentias, *quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt:* at lib. 1. Retr. c. 19. ait, quomodo fornicationis vocabulum loco cit. limitandum ſit, vel ampliandum, *quæſtionem eſſe latebroſiſſimam.* Propius ad veritatem accedere videntur, qui ajunt, alias cauſas divortium inducere, dumtaxat ad tempus, atque ad malum vitandum; adulterium vero, quia lædit conjugii fidem, eſſe per ſe divortii occaſionem. Quod confirmatur ex iis, quæ de ſævitia mariti, & de apoſtaſia, vel hæreſi diximus n. 3.

V. Si uterque conjux fidem violavit, debent ſibi mutuo parem injuriam donare, ex cap. *Significaſti*

De divortiis: hinc Antoninus Imp. conſtituit, ne maritus de adulterii crimine uxorem accuſaret, *cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum.* Quam legem laudat S. P. A. l. 2. de Adult. conjug. c. 8. Idem dicendum, ſi vir ad patrandum adulterium uxorem impulit, aut illius criminis conſcius ſit, eique conniveat: vel ſi mulieri vis inferatur: vel ſi per fraudem aliquis pro vero conjuge ſe in thorum ingeſſerit, tandem ſi vir poſt crimen cognitum uxori commiſceatur, reconciliatus cenſetur.

VI. Si poſt divortium dimiſſa uxor in viam redeat, æquum eſt ut recipiatur, quod probat S. P. A. loc. cit. I. Quia adulteri putandi non ſunt, quos pœnitentia credimus eſſe ſanatos. II. Exemplo Davidis, qui filiam Saulis ab eo ſeparatam recepit. III. Exemplo Chriſti, qui adulteræ mulieri pepercit: *Egreſſus enim malitiæ virtutis operatur ingreſſum*, ait Ambroſius l. 2. de Cain c. 4.

CAPUT ULTIMUM.

De matrimonii ritibus, & ceremoniis.

Omiſſis nuptialibus gentium, & Hebræorum ritibus, nec non Orientalium ſuperſtitionibus a Benedicto XIV. in Conſt. *Omnium ſollicitudinum* proſcriptis, de fidelium ritibus (1) eo, qui ſequitur, ordine pertractabimus.

§. De

(1) Ad matrimonii ritus plura, eaque obſervatione digniſſima, referri poſſunt, quæ ſtatuit Auximana Synodus anno 1593. celebrata ab Eminentiſſimo Card. Antonio Maria Gallo, quorum ſynopſim in gratiam tironum noſtrorum, breviter hoc loco ſubjicimus. Itaque c. 1. tit. de Sacram. Matrim. poſtquam definit laud. Synodus hoc Sacramentum a Deo in ipſo mundi naſcentis exordio in

§. *De ſacerdotali nuptiarum benedictione.*

De hac in Hormiſdæ decreto 3. q. 6. legitur: *Nullus fidelis occulte nuptias faciat, ſed benedictione accepta a ſacerdote publice nubat in Domino.* Hanc

---

in Paradiſo fuiſſe inſtitutum, ac deinde Chriſti præſentia cohoneſtatum, præcipit ut parochi moneant eos, qui matrimonium inituri ſunt, quomodo illud ſancte contrahendum ſit, ne brutorum more & ſola concupiſcentia ducti id efficiant. Hortatur proinde contrahentes, ut orationibus, aliiſque piis operibus vacent, & ſaltem triduo ante conſummationem Matrimonii peccata confiteantur, & Sacram Euchariſtiam ſumant. C. 3. & ſeq. debitas ſubinde denunciationes fieri jubet in diebus feſtis, idque ab utroque parocho, ſi ſponſi habitent in diverſis parochiis, licet a ſponſæ parocho jungi debeant, ubi nullum impedimentum detectum fuerit.

Ubi vero impedimentum aliquod inſurgit, licet falſum, aut doloſum, ad alias denunciationes deveniendum non eſſe, niſi de licentia epiſcopi. Qui autem falſum impedimentum detulerit, excommunicatione, aliiſque pœnis ſubjicitur. Parochi etiam, qui ſine epiſcopi licentia aliquas denunciationes omiſerint, declarantur ipſo facto ſuſpenſi. Declaratur etiam matrimonia quovis tempore contrahi poſſe: in Adventu autem & Quadrageſima vetita eſſe tantummodo nuptiarum ſolemnia. Vetantur tamen matrimonia vagantium, & ignotorum hominum, niſi facta diligentiſſima inveſtigatione, & de epiſcopi licentia. Nuptiæ fieri jubentur in Eccleſia & de mane, niſi de epiſcopi conceſſione. Interdicitur etiam parochis ne matrimonio jungant eos, qui prima fidei rudimenta ignoraverint, neve permittant in eadem domo cohabitare conjuges ante ſacramentalem benedictio-

benedictionem in ipſa conjunctione primorum parentum Deo auctore firmatam gentes etiam inviolate ſervarunt. Hinc Alexandrini apud Photium cod. 242. legitimas nuptias eſſe negabant, quibus ſacerdos Iſidis non adfuiſſet. Apud Judæos inviolabilis erat ea lex, teſte Joſ. de Voiſin pag. 223. *Non licet accedere ad ſponſam abſque benedictione:* multo magis id ſervandum a fidelibus, apud quos matrimonium habet Sacramenti dignitatem. II. Hanc benedictionem dandam *in facie Eccleſiæ* ſtatuit Trid. ſeſſ. 24. c. 1. aliæque Synodi apud Van-Eſpen p. 2. t. 12. c. 6. Affert tamen Martenius l. 1. Ant. rituum exem-

---

nedictionem. Vetatur etiam ne ſecundæ nuptiæ a parochis benedicantur: & pœna ſuſpenſionis indicitur parochis, qui alienæ parochiæ ſponſos matrimonio jungere auſi fuerint abſque proprii parochi licentia. Rurſus præcipitur, ut nullus parochus abſque licentia epiſcopi matrimonio jungat filios familias, qui invitis parentibus nubere volunt. Item jubentur parochi ſæpe monere populum ut a clandeſtinis conjugiis abſtineant, & Concilii Trid. decretum circa illa vulgari idiomate inter Miſſarum ſolemnia populo publicare.

Interdicitur ſponſo, qui etiam verba de futuro contraxit, ſponſam invitam relinquere, & cum alia contrahere, niſi prius petita, & obtenta fuerit talium ſponſalium diſſolutio. Atque anathematis pœna multantur, qui veneficia, faſcinationesque ad nuptias impediendas adhibent. Interdicitur matrimonii ſeparatio quoad torum niſi ex graviſſimis cauſis ab epiſcopo cognoſcendis: quoad vinculum vero nullo modo neque per adulterium alterius conjugum permittitur, cum poſt conſummationem morte tantum diſſolvi queat. Denique jubentur parochi matrimonia omnia deſcribere, quod etiam definitione Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de Reform. ſancitum eſt.

exemplum nuptiarum, quæ domi ſunt celebratæ. Cum autem ex Tertulliano l. 2. ad Uxor. c. 9. conſtet, felix eſſe matrimonium, *quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio*, infertur antiquiſſimam eſſe conſuetudinem, ut fideles in Eccleſia, idque ſacrificii tempore, inirent conjugium, & communionem perciperent, ut demonſtrant Græcorum Euchologia, & canones Latinorum. Vide Arcudium l. 7. Conc. c. 23. & Martenium loco cit. III. Conc. Carth. IV. ſtatuit can. 13. *Ut ſponſus, & ſponſa cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.*

§. *De annulo nuptiali.*

Annulum, quem arrhæ loco ſponſus dat ſponſæ fuiſſe ferreum ſcribit Tertullianus de Hab. mul. Hebræi etiam argenteum adhibebant, aut ex lapide Onychino, cujus generis eſt annulus S. Annæ, & B. M. V. quos Romæ, & Peruſii ſervari fertur. Annuli notas deſcribit S. Clemens Alex. l. 3. Pæd. c. 2. his verbis: *Sint nobis ſignacula columba, vel piſcis, vel navis, vel lyra muſica, vel anchora, vel piſcantes*, quæ ſunt ſymbola Spiritus S. baptiſmi, Eccleſiæ, concordiæ, ſpei, & Evangelii. Quoſdam Chriſti nomine, vel ſigno crucis inſculptos e ruderibus effoſſos profert Baronius ad ann. 57. nu. 2. Vide Boldettum l. 2. c. 14. & Aringhum Romæ ſubterr. c. 50. A Chriſtiana ergo modeſtia longe abſunt, qui *ſardonichas, ſmaragdos, adamantas portant in articulo*, ut ait Martialis. Annulus eſt *ſymbolum fidei conjugalis*, ut ait Nicolaus I. in R. ad Conſulta Bulg. addens, ideo inferri quarto ſiniſtræ digito, quod in eo ſit vena quædam, vel nervulus ad cor uſque perveniens, quod etiam Agellius, & Appion affirmant. Ex Gen. 38. & Luc. 15. infertur, annulum eſſe *arrham, & ſinceræ fidei ſignaculum.* Eſt etiam *ſilentii ſymbolum, & rei domeſticæ cuſtodiam* ſignificat, ideoque S. Clem. Alex. c. 11. Pæd. ait, uxo-

ribus domus cuſtodiam committi. Recte ergo, ut hæc recto fine ſerventur, nuptialis annulus benedicitur.

§. III. *De ſponſorum dextris mutuo dandis, & flammeis, ſertiſque nuptiarum.*

Meminerunt ritus hujuſmodi Tertull. de Veland. virg. c. 2. ſcribens per dexteram *reſignari pudorem Spiritus*, & Nazianzenus ep. 57. de nuptiis Olympiadis ait: *Juveniles dexteras inter ſe jungo, atque utraſque Dei manui.* Et Claudianus in Epithal. Palladii & Sirenæ ait: *Tu dexteram complexa viri, dextramque puellæ, tradis, & hic ultro ſanctis connubia dictis.* Conſueverunt antiqui etiam Chriſtiani tegere nuptarum capita velo croceo, quod a colore *flammeum* dixere: & ab eo, quod mulierum faciem obnuberet, nuptæ ſunt appellatæ, ex Tertulliano, Ambroſio, atque Iſidoro. Fuit autem *flammeum* virginei pudoris indicium. Hinc Paulinus commemorato Rebeccæ palliolo ait: *Quo pudibunda ſuum texit velamine vultum, oblatam ſponſi virgo pavens faciem.* Hinc digami, qui virginalem verecundiam exuerunt, *flammeis* non obtegebantur. Fuit etiam uſus in nuptiis coronandi ſponſos, ut ait de corona militis Tertull. & Nic. I. ad Conſulta Bulg. eaque multiplex fuit, ſed ex oliva frequentior, de qua Sidonius in fine Epithal. *Pace ligat, nectit dextras, & fœdera jungit.* Verum flammea & coronæ nuptiales obſolvere.

Jam vero, cum Synopſis hæc noſtra ad exitum Deo dante perducta ſit, illud vos enixe rogo obteſtorque optimæ ſpei juvenes, ornatiſſimi candidati, ut ſi quid inconcinne, vel ſubobſcure aut minus appoſite a me dictum ſit, id ignorantiæ atque imperitiæ meæ tribuatis, non voluntati atque animo, quo vos omnes in Chriſto & colo, & diligo, ſicut me a vobis amari deſidero.

APPEN-

APPENDIX LIBRI XXXVII.

In quo Orientalis Ecclesiæ disciplina circa matrimonii Sacramentum exponitur.

Proclamationes *tribus diebus festivis inter Missarum solemnia* nuptiis præmittendas esse, juxta definitionem Concilii IV. Lateranen. can. 51. ac Trident. sess. 24. de Ref. Matr. c. 1 idque ad detegenda, si quæ sunt, matrimonii impedimenta, c. 9. hujus libri cum cl. Auctore observavimus. Verum hæc laudabilis consuetudo in Orientali Ecclesia locum non habet. Siquidem Græci uno eodemque die sponsalia, ac matrimonium hoc ritu celebrant. Post Missæ celebrationem, Ecclesiæ foribus adstant; vir quidem a dextris, mulier autem a sinistris. Interim sacerdos ter eorum capita obsignat, tradit eorum manibus cereos accensos, illos introducit in templum: variisque recitatis precibus, & acceptis de S. mensa annulis, prius viro aureum porrigit, ter dicens: *Suburratur servus Dei N. propter ancillam Dei N. in nomine Patris &c.* Deinde argenteum tradit mulieri ter repetens: *Suburrhatur ancilla Dei N. propter servum Dei N. In nomine &c.* Factoque super utriusque capita ipsis annulis signo crucis, aureum viri, argenteum mulieris digito immittit. Assistens vero Paranymphus amoris, & concordiæ inter sponsos conciliator, annulos permutat & sponsæ aureum, sponso argenteum præbet: qua ceremonia mutua corporum traditio, juxta nonnullos exprimitur. Conc. quoque Carthaginen. IV. meminit Paranymphi, qui est castitatis & pudicitiæ conjugis utriusque custos, & *puros adhuc illos, & commercii carnalis expertes inter se jungit:* atque his nuptiarum ceremonia absolvitur. In Moscovia autem, postquam sponsus annulum sponsæ tradidit, hæc illius pedes osculatur, eoque ritu obedientiam ei pollicetur.

Posthæc, si recens nupti coronari velint, templum ingrediuntur cum

cereis accenſis, prævio ſacerdote, qui poſt varias preces, quibus divinam benedictionem iis apprecatur, hanc orationem profert: *Domine emitte manum tuam de S. habitaculo tuo, & conſocia ſervum tuum N. & ancillam tuam N. Copula illos unanimi conſenſu: corona illos in carnem unam: tribue illis fructum ventris, prolis fruitionem &c.* Et acceptis coronis primo coronat ſponſum dicens: *Coronatur ſervus Dei N. propter ancillam Dei N. In nomine &c.* Deinde coronat ſponſam dicens: *Coronatur ancilla Dei propter ſervum Dei &c.* Poſtea benedicit eis ter dicens: *Domine Deus noſter gloria, & honore corona illos.* Ubi notat Goarius, ſacerdotem verbis illis: *Coronatur &c.* Matrimonium ratum, & a conjugibus legitime contractum exprimere, ac ſi diceret: *Coronas nuptiales ſubit ſervus Dei N. in ſignum fœderis conjugalis cum ancilla Dei contracti.* Qui enim coronandos ſe ſe mutuo exhibent, matrimonium contrahere profitentur.

Coronatis interim ſponſis, ac matrimonii vinculo ſociatis, ſacerdos nonnullas preces ſuper eos fundit, & communi poculo in medium prolato, illud benedicit, ac viro primum, poſtea uxori ter libandum præbet. Quem ritum a nonnullis etiam Occidentalibus, Goario teſte, uſurpatum ſic exponit Jo. Theſſalonicenſis: *Ex communi ſacerdos propinat illis poculo & decantatur illud: Calicem ſalutaris accipiam, cum propter SS.* Euchariſtiam, *tum in lætitiæ ſignum, propter ſponſorum conjunctionem, pacem, & concordiam: & quod etiam bigamis, & hujuſmodi*, trigamis, *dispenſatur. Non enim divina illis dona, ſed commune ſolum illis poculum ab Eccleſia in privatam ſanctificationem, & convictum felicem, & cum benedictione Dei copulam diſtribuitur.* Poſt trinam delibationem ſacerdos poculum de more quorundam frangit, ſive in ſymbolum humanorum gaudiorum fragilitatis, & tranſitus, ſive religionis cauſa, ne ſcyphus nuptialibus ritibus uſurpatus pro-

profanis usibus inserviat. His peractis egrediuntur sponsi, atque octava die coronas in Ecclesia cum precibus atque ejus benedictione deponunt. Syri Jacobitæ, ac Nestoriani, item Cophti nuptiarum benedictionem *coronationem appellant*, ut constet hanc ceremoniam vetustissimam esse, ut suo loco cum cl. Auctore monstravimus.

De ministro Sacramenti matrimonii, tametsi non desint viri doctissimi, qui eum putent esse parochum, ut alibi dictum est, quod etiam suaderi putant ex quo Orientales plurimi ita de sacerdote loquantur, ut eum non obscure hujus Sacramenti ministrum existimasse videantur: communior tamen, & probabilior sententia est, ut nos quoque cum cl. Auctore statuimus, hoc Sacramentum confici a contrahentibus. Quod etiam ex Orientalium sententia Thessalonicensis & Goarius asseruere: atque ille quidem Sacramenti formam statuit in consensu expresso per verbum *volo*, alter vero in eodem consensu per actum illum sensibilem significato, quo sponsi sese coronandos exhibent.

Cum autem in celeberrima Constitutione Benedicti XIV. *Etsi Pastoralis* plurima tradantur, quæ ad Sacramentum matrimonii spectant, præcipuos ejusdem articulos, qui Græcos-Italos, aliosque Orientales respiciunt, juvat hoc loco subjicere: eosque nonnullis observationibus a scriptore nostri ævi doctissimo concinnatis exornare. Itaque in laud. Constit. §. 8. tit. de Matr. Sacr. statuitur. I. Ut decretum Trid. Concilii de Reform. Matrim. *in linguam Græcam vulgarem versum, in locis, & parochiis Græcorum, & Albanensium evulgetur*. Id vero accipiendum est de Græcis, & Albanensibus, qui in Italia, eique adjacentibus insulis sub Latinis episcopis degunt; adeoque decretum illud non extenditur ad Orientales reliquos, apud quos Trid. decretum non fuit promulgatum.

II. Vetantur *divortia, quoad vinculum, & si qua de facto præcesserunt, nulla* declarantur. Quod quidem non ad solos Italo-Græ-

Græcos, aut Albanenſes, ſed ad Orientales pertinet univerſos, cum idipſum ſtatutum fuerit in Florentina Synodo, & in Decreto pro inſtr. Armen. & plurimi ex Latinis & Græcis PP. quos laudat Arcudius, in eandem ſententiam conſpiraverint. III. Jubentur Græci non improbare *ſecundas, tertias, & ulteriores etiam nuptias inter perſonas, quæ alias licite jungi poſſunt.* Ex quibus conſtat, a Græcis non eſſe damnandos Latinos, Cophtos, Syros, alioſque Orientales, qui ſucceſſive ad ſupradictas nuptias ſolent convolare, neque illas, ut noxias, aut vetitas, deteſtari. Conſtat etiam Græcos, & Albanenſes in Italia degentes poſſe memoratas nuptias ſucceſſive celebrare, cum iis quoque Rom. Pontifex facultatem faciat, qua gaudent Latini. Hinc tamen non recte infertur ſublatam eſſe per eam Conſtitutionem (quæ non ſolum reſpicit Italo-Græcos, Tridentini decretis obſtrictos, ſed alios etiam Orientales, apud quos Trid. non fuit promulgatum) legem illam vetuſtiſſimam, & Eccleſiæ canonibus ſtabilitam, qua irritæ declarantur quartæ nuptiæ. Quamve Matthæus Blaſſar. in Syntagm. Alphabet. c. 4. tit. de Polyg. exponit his verbis: *Univerſis manifeſtum eſto, quod ſi quis auſus fuerit ad quartas nuptias convolare, non modo futurum, ut eæ nuptæ pro nullis habeantur, ſed ne liberi quidem ex iis procreati pro legitimis ducantur, adeoque pœnis etiam pollutorum ſcortationes tales ſubjicientur.* Porro legem iſtiuſmodi adhuc vigere apud Græcos, eamque ab Apoſtolica ſede non eſſe improbatam quamplurimi aſſeverant, inter quos Papadopoli in Reſp. 2. ſect. 2. §. 12. ait: *Matrimonium, quamvis penes Latinos centies iterari queat, ita cenſente Florentino Concilio & Hieronymo dicente: Non damno bigamos, imo & trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos, penes noſtros tamen quarto initum nullum erit: ut Græcis notiſſimum eſt, cenſeturque vel a Sede Apoſtolica ſeveritati morum Græcorum indultum, auctore Arcudio, & Goario.* Ad-

de Goarium not. 4. de Bigam. docere, a Græcis *quartas nuptias omnino reprobari, ut noxias, & vetitas*, irritante nimirum earum contractus S. Sede Apoſtolica: cum autem S. Sedes permittat Græcorum conſuetudines, quæ neque orthodoxæ fidei, nec morum honeſtati adverſantur, perſpicuum eſt hanc etiam permittere conſuetudinem ex veteribus canonibus ortam, ubi adhuc viget. Illis vero, qui eam ſervant, nefas eſt eos damnare, qui hac lege non obſtricti quartas, quintas, aut etiam ulteriores nuptias contrahunt.

IV. Interdicitur presbyteris *ſecundo nubentes benedicere, aut ipſos bigamos ad ſacros ordines, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, promovere.* Quoad primum autem, quamvis certo conſtet Græcos, ſub Latinis epiſcopis degentes omnino prohibitos eſſe ſecundas nuptias benedicere, id tamen non reſpicit Orientales illos, qui ſpeciale habent pro bigamis officium, in quo eorum nuptiæ benedici ſolent. Quamvis enim *exacta legum obſervatio bigamos coronare non eſt aſſueta, minus vero hæc cuſtodit magna Eccleſiæ conſuetudo: verum & bigamis ſponſalibus imponit coronas, nec ullus propterea conqueſtus eſt unquam. Uno vel altero anno ſacra communione excluduntur, ſed neque fas eſt presbyterum benedictionem eis impertientem ſimul convivari juxta 7. Can. Neocæſarien. Synodi.* Hæc Goarius ex reſp. B. Nicetæ Metropolitæ Heracleen. ad Conſt. ep. Cum ergo hæc prior Conſtitutionis pars Græcos Italos tantum reſpiciat, non videtur per eam illorum conſuetudo improbari, qui bigamis coronas imponere, ac benedicere ſolent, ſed exacta legum obſervantia Græcis præſcribi, qui Latinis epiſcopis ſubjiciuntur, juxta quam *bigamus non coronatur, ſed prohibetur communicare annis duobus, trigamus vero quinque*, ut ait Goarius, ex cap. *De bigamis* Nicephori Confeſſoris Patriarchæ C.P. Altera Conſtitutionis pars, qua vetatur, ne bigami abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ad ſacros ordines pro-

promoveantur, ad omnes Orientales extenditur, cum omnes antiquis Ecclesiæ legibus obligentur, quæ bigamos a sacris ordinibus arcent, neque ab illis solvi queant, nisi ab eo, qui universæ Ecclesiæ jure divino præficitur.

V. Prohibetur etiam Græcis, *ne in quarto consanguinitatis, aut affinitatis gradu copulari ulterius præsumant*, juxta Concilii Tridentini decretum. Qua in re non videtur Constitutio extendenda ad Græcos alios, qui juxta priscam gentis suæ consuetudinem impedimentum hujusmodi ad tertium tantum gradum extendunt. Græci enim, teste Assemanno tom. 3. part. 2. Bibl. Orient. p. 325. primis quatuor sæculis consanguinitatem non extenderunt ultra primum gradum lineæ collateralis rectæ, juxta leges Imperiales, quæ consobrinorum conjugia permittebant. Labente sæculo IV. ex lege Theodosii senioris ea vetita sunt. Sæculo XI. Nuptias vetarunt Græci ad sextam usque personam inclusive, hoc est ad tertium gradum, juxta supputationem Latinorum. Sextæ demum personæ circa ann. 1050. septima addita est a Michaele Patriarcha. Quam Græcorum praxim improbavit quidem Innocentius IV. ep. 10. ad Othonem, sed hæc œconomiæ causa promulgata non fuit, & nihil per eam immutatum est in Græcorum disciplina. Ita, quod Latini cum persona octava, (hoc est in quarto gradu, juxta distinctionem Latinorum) prohibent Matrimonium, Græci permittunt. Nestoriani, seu Chaldæi, cum in Persico, non in Romano Imperio versarentur, eos consanguinitatis gradus olim servarunt, qui per priora sæcula ex Levit. 18. servabantur: subinde vero, vel ex Græcorum disciplina, vel ex Patriarcharum suorum constitutionibus legem Imperialem admittunt, in qua part. 2. de Matr. statuitur: *De fœminis, cum quibus matrimonium contrahere non liceat, sunt autem filia, & noverca, & mater, & soror, & patris, & fratris filia, & patris, & matris soror, &*

& uxor fratris, & patrui, & ſocrus, & nurus, & filia uxoris, & filii & filia filiæ, eorumque filiæ. Quorum vero mentio facta non eſt, prædictorum menſura metiendi erunt, cum enim quis fratrem commemorat, filiam quoque fratris connotat. Quæ verba excerpta ſunt ex Arabica canonum collatione Abulpharagii Benaltibi. Tantam autem poteſtatem Neſtoriani, teſte Aſſemanno, ſuis Patriarchis tribuunt, ut præter vetitos in Levitico gradus, in aliis omnibus diſpenſatio obtineri poſſit.

VI. Statuitur, ut *in cognationis ſpiritualis, quæ in baptiſmo & confirmatione contrahitur, gradibus ſervetur id, quod a Trid. Synodo definitum eſt. In baptiſmo videlicet inter ſuſcipientem, & baptizatum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem tantum cognationem contrahi. Eamque rurſus, quæ ex confirmatione oritur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem non egredi.* Hoc decretum Græcos complectitur univerſos, juxta can. 53. Trullanæ Synodi, quo ſtatuitur: *Ut qui ex ſacro baptiſmate pueros ſuſcipiunt, & poſtea cum matribus eorum viduis in matrimonium coeunt, primum a tali contubernio abſtineant, deinde pœnis ſubjiciantur: quippe qui ab hoc malo non abſtinet, & confitetur, tamquam inceſtis nuptiis pollutus damnetur.* Syri Neſtoriani non videntur agnoſcere *cognationem ſpiritalem*, ſed antiquam Eccleſiæ diſciplinam ſequi, in qua per tria priora ſæcula nequit oſtendi, eam fuiſſe matrimonii impedimentum. Porro impedimenta jure Eccleſiaſtico ſtatuta, nullam vim habent in Orientalibus Eccleſiis, in quibus lex vetans matrimonium vel nunquam promulgata & recepta fuit, vel ita in deſuetudinem abiit, ut penitus ignoretur, donec Eccleſiæ auctoritate ſit ipſis propoſita, & inculcata.

MONITUM.

Cum poteſtas diſpenſandi ab iis matrimonii impedimentis, quæ jure Eccleſiaſtico inducta ſunt, emineat in Romano Pontifice, ad quem ſpectant quæcumque juris ſunt Eccleſiaſtici, ut obſervat cl. Auctor prop. 4. c. 5. l. 37. non abs re erit tyronibus noſtris viam ac rationem exponere, qua diſpenſationes iſtiuſmodi, ubi opus eſt obtineri debeant. Ubi notandum eſt, duo apud R. Pontificem, ea de re, extare tribunalia, nempe ſacræ *Pœnitentiariæ*, & *Datariæ*. Ab illa petitur diſpenſatio pro ſolo foro interiori, & pro ſolis impedimentis occultis; adeoque in ſupplicatione, quæ dirigitur ad majorem Pœnitentiarium non exprimuntur vera oratorum nomina, ſed ficta, puta, Titius, Caja &c. vel A. B. Atque ibi omnia gratis expediuntur. A Dataria petuntur diſpenſationes pro foro externo, ac proinde in ſupplicatione, quæ dirigitur ad Summum Pontificem, oratorum nomina, cognomina, ac diœceſis exprimi debent; & niſi diſpenſatio, ob magnam oratorum inopiam, expediatur in forma pauperum, ſolvendæ ſunt expenſæ non modicæ, quæ a Rom. Pontificibus in pios uſus, puta in redemptionem captivorum, in ſubſtentationem miſſionariorum, quos in omnes mundi plagas mittit S. Sedes Apoſtolica. In utroque vero tribunali exprimendum eſt impedimentum in ſpecie, ſuper quo petitur diſpenſatio, & alia omnia impedimenta, quibus oratores implicantur. Qua in re, ut rite, ac debito ordine procedatur, ſedulo legenda eſt Appendix I. ad tractatum de Matrim. Theol. Moralis Gabrielis Antoine a continuatore Tournely excerpta a R. P. Philippo de Carboneano, ubi hæc materia fuſe, & perſpicue tractatur.

FINIS.



INDEX

QUARTI VOLUMINIS.

Diſ-

INDEX.

Disser-





